


JUS PUBLICUM CÆSAREUM,

SIVE

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS JUS SUPREMUM,

EX


MONUMENTIS LEGUM, CONSTITUTIONUM IMPERII, CAPITULATIONUM CÆSAREARUM, ET HISTORIARUM PUBLICIS AC FIDE DIGNIS GENERALITER ET PER SPECIES ASSERTUM ATQUE DECLARATUM

A

JOH. WOLFG. TEXTORE,
JCTO AC LIBERÆ IMP. REIPUBL. FRANCOF. AD MOENUM
SYNDICO PRIMARIO.

Sumpt. JOHANNIS ADAMI JUNGII, Bibliop. ibidem.

Typis MATTHIÆ ANDREÆ, A. 1721.



PRINCIPI AC DOMINO,
OMNIUM SERENISSIMO,
POTENTISSIMO ATQUE
INVICTISSIMO,

DOMINO

LEOPOLDO,

ROMANORUM IMPERATORI SEMPER AUGUSTO, PIO, FELICI, VICTORI, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ REGI, ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET WIRTENB. COMITI TIROLIS ET HABSB.
&c. &c.

IMPERATORI AC DOMINO
SUO OMNIUM CLEMENTISSIMO,

quàm humilimè ac devotissimè
inscribit, dicat, dedicat

Auctor.

PRINCIPI AC DOMINO
OMNIUM SERENISSIMO,
ATQUE POTENTISSIMO,

DOMINO

JOSEPHO

ROMANORUM REGI
SEMPER AUGUSTO, PIO, FELICI, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ REGI, ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ ET WIRTENB. COMITI TIROLIS ET HABSB.

REGI AC DOMINO SUO
OMNIUM CLEMENTISSIMO,

quàm humillimè ac devotiſſimè
inſcribit, dicat, dedicat

Auctor.



PRovidentiam divinam, IMPERATOR INVICTISSIME & REX AUGUSTISSIME, agnoverunt in humanis rebus præſertim publicis, non Chriſtiani tantùm, ſed Sapientiores quoque gentilium: eſſe nimirum virtutem aliquam ſuperiorem, quâ regna, quâ reſpublicæ, origines capiant & incrementa, ratioque inter homines imperandi, ad rectiorem vitam divinitùs ſtabilita conſiſtat, & omnium maximè in bellis, unde Imperiorum momenta ſæpè pendent, directricem aliquam poteſtatem animadverterunt, quâ pars juſtior belligerantium, quod amicabili modo conſequi haud potuiſſet, proſpero armorum ſucceſſu tandem obtineret; hoc intuitu Scipio Africanus, cum in colloquium Annibalis infenſiſſimi Romanorum hoſtis veniſſet, Deos (gentili more) ait, & ſuperioris belli, Punici ſcil. Primi, & tunc præſentis Secundi, quod acerrimum Romanos inter & Pœnos exarſerat,

ſerat, ſecundum fas & æquum, dediſſe exitum, dare, porroque daturos eſſe; huc Marci Antonini, adverſus Quados & Marcomannos, huc & Conſtantini Primi, Theodoſii Primi, Caroli Magni, Imperatorum, adverſus hoſtes varios inſignes victorias haud ſine causa relatas legimus. Nec verò ſemper humanæ opinioni divinum de regnis & imperiis judicium congruit, quando interdum homines, quod bellum aliter ceciderit, quàm ipſi voto & affectibus præconcepiſſent, vel divinam directionem in dubium vocare, vel injuſtitiam ei affingere haud erubeſcunt. Talis fuit Pompeji cenſura, cum ad Pharſalum à Julio Cæſare victus eſſet; fertur enim poſt in colloquio Cratippi Philoſophi, de divina, quæ res humanas regeret, cura, prorſus dubitâſſe, quòd præjudicio cauſæ ſuæ diceret, debuiſſe ſibi potiùs, qui juſtiores partes defendiſſet, victoriam cedere, ſi dirigente Numine juſta obtingeret. Verùm non in providentiam divinam inſurgere, ſed belli à ſe moti cauſas penitius & ſemotis affectibus inſpicere debuit Pompejus; ſic faciliùs deprehendiſſet, bellum nec neceſſarium, nec revera juſtis ex cauſis, quod & Julius Cæſar ei exprobrâſſe dicitur, à ſe inchoatum haud meruiſſe alium eventum; Pompejus

pejus enim auctoritate Senatus Romani in speciem defensâ suos subvelabat affectus, scil. ut socerum Cæsarem de Republicâ tàm benè meritum totque victoriis ad invidiam usque insignem specioso prætextu premeret, honorumque petitionibus qualibet ratione excluderet; hinc etiam bello civili, quod Cæsarem inter & Pompejum fuit, non injustus datus est finis atque exitus, cumprimis Numen ita illud direxit, ut Respublica Romana, quæ jam pro illo statu ceu Tacitus de temporibus Augusti subsecutis scribit, nisi ab uno, regi ampliùs commodè haud poterat, in Principatum converteretur, Cæsareæque potestatis per tot secula & mutationes hactenus continuatæ hinc emergerent fundamenta. Si cujus verò in Imperatoris aut Regis historiis unquam divinæ providentiæ signa apparuerunt, in Tuis rebus gestis, MAXIME IMPERATOR LEOPOLDE, conspiciuntur evidentissima; nam cum gloriosum sit, Turcas potentissimos hostes ab obsidione Viennæ ac Terris Austriacis depulisse, gloriosius tot prœliis hactenus devicisse, gloriosissimum verò, tot munitissimas urbes, imò regiones integras & provincias velut victoriarum præmia, & fructus cepisse, hodieque possidere, quis est adeò

mentis inops, qui hæc omnia fortuito cœcovè impetu accidisse dicere ausit, & non potius propitii Numinis justæque causæ faventis decreta existimet? Magnificum olim visum Friderici primi Imperatoris copias ad Dravi usque fluenta pervenisse; sed nostrâ ætate Cæsareus exercitus victoriis Savum penetravit, pluresque terras hostiles victor est emensus, unde licèt postulante ratione belli cis flumen se receperit, hactenus tamen & magnis victoriis novis & insignium partium accessu, illic relicta satis superque compensavit, ut quod, per longissimos temporum tractus à diversis Sultanis Turcicis Hungariæ regno ereptum, ab UNO IMPERATORE LEOPOLDO feliciter sit recuperatum atque receptum. Magnum antehac & arduum visum defendere finitimas Transsilvaniæ partes, ne Turcæ ulterius irrumperent; eam provinciam TUA SCEPTRA, MAGNE MONARCHA, cum Slavoniâ, exclusis hostibus hodiè totam gubernant, totamque nec renuentem, ac de excusso Turcico jugo sibimet gratulantem benignè moderantur. Sed cur solum Orientem loquor? ab Occidente cum immineret potentissimus hostis Gallus, prædisposuit divina cura Britannicas & Belgicas res in remedium, ne to-

ta moles Gallici belli Germaniæ simul incumberet, nevé victoriosi exercitus, ex Hungariâ, quod maximè expetiisse hostem vero simile est, contra Gallos deberent avocari, sed socia Cæsarea ac nonnullorum Principum, Circulorumque vicinorum arma, tuendis finibus, Gallisque, quò minus ulterius progredi possent cohibendis, abundè sufficerent. Igitur sive Orientem sive Occidentem lustremus, Orbis Terrarum habet, quod in LEOPOLDINO IMPERIO suspiciat, præsens ætas, quod literis æternis commendet, posteritas quod miretur. Nec verò substitit Numinis benignitas in Cæsareis victoriis, sed egregiam quoque gloriam, vel etiam emolumenta potestatibus armorum sociis detulit, in quibus Poloni ob commune periculum fœdere juncti ab obsidione Viennæ & Terris Austriacis pulsi fugatique hostis barbari, inter cæteras copias subsidioque advenientium Germanorum phalanges, sed & aliis præsertim contra immanes Tartaros partis victoriis, haud parvum meruêre decus; Veneti verò ex felicitate Cæsareorum armorum ad Societatem allecti, non victoriis tantùm clarissimis in Græciâ, hostibus superbis, quibus antè pares non erant, prævaluêre, sed etiam præter capta in Dalmatiæ

partibus munitissima loca, Peloponnesum hodiè Moreæ nomine insignitam, occupaverunt tantò gloriosiore successu, quòd classis fœderata Pii Quinti Pontificis, Philippi Secundi Hispaniarum Regis & ipsorum Venetorum, quæ superiori seculo Turcicam classem maximam ad Echinadas insulas memorabili pugnâ navali superavit, vel tentare Navarrinum, Methonem aut aliam opportunam Peloponnesi urbem, uti Thuanus refert, gloriosum duxerit, quantò autem gloriosius non ejusmodi aliquam urbem tentâsse, sed provinciam ipsam pulsis hostibus subegisse, hactenusque armis asseruisse? Quæ sanè decora & prægrandia Reipubl. suæ augmenta habent Veneti satis causæ, cur post divina, societati armorum Cæsareorum adscribant, qui vix ita ausuri fuissent inferre bellum Turcis, nisi Hungarico bello occupatis & insigni strage cladeque multiplici jam debilitatis. Quin eadem etiam Magno Moschorum Duci tùm armorum contra Turcas, tùm novi fœderis causam fuisse, haud obscurè apparet, scilicet, ut hostem vario, præcipuè autem Cæsareo bello distractum ulteriùs infringendi vel opprimendi occasionem non negligeret. Nec diffitentur id ipsi Turcæ & ferox animo Sultanus, qui maximas copias,

quas

quas contrahere poteſt, non contra Polonos, Venetos, Moſchos, ſed in bella Hungarica ac Tranſſilvanica contraque Cæſareos exercitus convertit, infractis Turcicis rebus levamen ab illis partibus, ſi fieri poſſet, quæſiturus, ſed nulla animi ferocia, fatis inclinantibus tyrannica imperia, poteſt reſiſtere, ac teſtabitur eventus, an inflati ſuperbique Sultani obſtinatio mentis, quâ cuncta amiſſa recuperare velle fertur, Turcico Imperio ſalutem, an potiùs perniciem, gloriam verò atque emolumenta novarum & majorum victoriarum, quod omnes Imperii Romani fideles, probabiliùs ſperant & humilimè precantur, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATI allatura ſit. Verùm TANTI IMPERATORIS ingentium rerum geſtarum monumenta conſignent alii literis ex merito; VESTRÆ SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS & SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS thronum ego jam ſupplex accedo, atque id unum humilimè rogo, ut præſens hoc ſcriptum juris publici, quod SACRATISSIMIS NOMINIBUS CÆSAREO & REGIO ROMANO, ut debui; devotiſſimè conſecravi, clementiſſimis vultibus recipiatur. Poteſt videri, fateor, temeritatis ſpeciem eſſe, ſic alloqui SUPREMOS

MOS PRINCIPES, ſed benignitatis & veniæ exorandæ ſpes eſt his, qui alloquii non improbabiles cauſas habent. Harum prima mihi fuit, ut CÆSARI redderem, quæ ſunt CÆSARIS, jura ſcilicet publica Cæſarea ſuprema cum hoc ſcripto explicem, ea SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATI, cujus ſunt, & SACRÆ REGIÆ MAJESTATI, cui electione deſtinata, humilimè dedicare ſubmiſſiſſimi obſequii ſpeciem putavi. Deinde cum profeſſione juris publici per longa tempora in Univerſitate Electorali Heidelbergenſi ſub Sereniſſimis Principibus Carolo Ludovico, Carolo, Philippo Wilhelmo, & qui nunc Electoratui præeſt JOH. WILHELMO, Electoribus Palatinis publicè functus fuerim, tantò magis permiſſum fore credidi, ſi jura, quæ publicè privatimque per multos annos docuiſſem, ſuccinctè explicata in publicum darem, & clementiſſimum patrocinium CÆSAREUM REGIUMQUE inſcriptione quærerem & exorarem. His tertia potiſſima cauſa acceſſit Imperatoria & Regia in viros literatos orbi notiſſima clementia, ad quam, ſi quid habeat hæc mea Dedicatio temerarii auſus, ſupplex confugio & deprecor. Faxit DEUS INVICTISSIME

IM-

IMPERATOR, ut gloriosissimas victorias novis aliis obscures, & præterlapsis AUGUSTALIS IMPERII TUI annis tot addat residuos, ut vel ipsum Augustum, qui cæteros Imperatores omnes annorum Imperii numero vincit, felici ac diuturno Imperio tandem superes. Ut verò, AUGUSTISSIME REX JOSEPHE, IMPERATORIS PATRIS moderatissimum regimen diutissimè continuari, fidelium omnium devotissima precatio est, ita Imperio tuo secundum divinam voluntatem quandocunque obventuro & felicitatem & diuturnitatem administrationi Paternæ parem, communia vota rogant. DEUS servet Reipublicæ & LEOPOLDUM ROMANORUM IMPERATOREM, hostium TRIUMPHATOREM, PIUM, FELICEM, & JOSEPHUM REGEM ROMANUM, SPEM GERMANIÆ GENERISQUE HUMANI (quo titulo olim benignitas Titi Cæsaris insignita) DELICIAS; servet, inquam, & in seros annos sospitet! Hæc vota, quæ & universorum Imperii fidelium sunt, & esse debent, pro salute, pro longævitate & prosperitate SA-

CRA CÆSAREA REGIAQUE ROMANA ſupplex hoc Scripto & quàm devotiſſimè nuncupo

VV. S. CÆS. MAJEST.
&
S. REGIÆ MAJEST.

Servus & Cliens ſubjectiſſimus,

JOH. WOLFG. TEXTOR, ICtus.

Lectori



Lectori Benevolo Auctor Sal. dicit.



Abes Benevole Lector, eam jurispublici partem hoc libro à me editam, quæ Cæsaream Regiamque Romanam Majestatem concernit, adeoque cæterarum haud dubiè præcipua est; in quo argumenti genere tantò difficilius apparet ita scribere, ut & verum assequamur, & nullâ parte impingamus, quantò plures sunt scopuli, in quos nisi sedula cura præcaveat, facilè allidimur; hinc enim Sacræ supremæ Majestatis, illinc Principum statuumque jura sollicitam requirunt indaginem, ne qua vel asserantur vel negentur veritati adversa, & cum jura ejusmodi plurima sint, fit, ut cura intentior esse debeat, securiùs in hoc tantarum rerum pelago navigaturis; Id verò tutius navigium obtingere illis arbitror, qui non ideas sibi fingunt aut præconcipiunt publicorum jurium cerebrinas, sed legum ac constitutionum Imperii ductum sequuntur, & velut secundis ventis periculosa securi transeunt; hoc medium ut dextrè servemus, opus est, tùm jura antiqua nosse & præ oculis habere, tùm recentiora, ne vel, quod legibus Imperii aliter cautum, erroneè æstimemus ex jure prisco, vel quod non mutatum temerè negemus adhuc obtinere; utroque enim modo aut contra leges publicas aut contra Majestatem peccare contingit scriptores, si non ex proposito, culpâ saltem, & per incuriam; in quos equidem errores non possunt non incidere per exemplum, qui simplicem publici status formam sive monarchicam sive aristocraticam effingunt, quando aut legibus quoad exercitium, aut Majestatis juribus per se haud obscurè eos adversari oportet; multa enim sunt publica jura, quæ Capitulationum Tabulis exercitio restringuntur, ea si vel veteri more & mero arbitrio exerceri, vel prorsus adempta diceres, aut conventionum Cæsarearum documentis obloqui deberes, aut veritati jurium, quæ publicæ stipulationes

)( )( )(*nes*

nes per se nullibi penitùs sustulerunt; nec enim si quo casu modus exercitio adjicitur, propterea res ipsa planè abrogatur; duos vero liceat præ cæteris hac in re allegare simplicium Imperii nostri formarum assertores, Stamlerum de reservatis §. 4. & 5. item §. 15. & 16. cum seq. nec non ex Diar. Europ. part. 27. Appendice sec. Titum Germanum, quorum ille totum hoc agit, ut monarchiam, hic d. l. à pag. 80. usque 98. ut aristocratiam, uterque, exclusâ omni mixtione adstruat; Sed si rationes & rem ipsam consideremus, neuter probat, quod sibi probandum sumpserat; concedit enim Stamlerus supremam potestatem exercitio administrationis restringi, quod fateri, & tamen negare statum mixtum, quid est aliud, quàm admittere rem & litem movere nomini? neque enim mixturam status aliter interpretari debemus, quàm ratione administrationis aristocraticâ formâ per leges Imperii temperatæ; quòd si jam quis inficias ire velit, hinc misceri regimen publicum vel statum reverà effici mixtum, concedet saltem monarchiæ sive regni formas differre, cum tit. sec. hujus libri ex ipsomet Aristotele quinque genera declaraverim, & nominatim hoc in dubium vocare non poterit, committi τὸ κύριον sive supremam potestatem uni, non uno modo, sed vel meroprorsus arbitrio, ut olim apud Assyrios, Persas, & alios, hodieque apud Turcas, Indos aut similes barbaros, vel secundùm certam administrandi formam, quæ posterior species, quando ut in Imperio nostro includit in multis & arduis negotiis publicis consensum Ordinum, cur non ad differentiam Monarchiæ absolutæ ac arbitrariæ, nomine etiam discerni status mixti queat, nihil est, quod obstet, ut ita veritas Monarchiæ servetur in supremo jure Imperatoris Principibus & Ordinibus non communicato, mixturæ autem qualitas ex administrationis formâ secundùm leges fundamentales, quæ quidem est ipsa vulgò collaudata politica Imperii harmonia. Nec feliciùs loc. præcit. Titus Germanus, quisquis sit, qui sub hoc nomine latitet, suam exclusâ Monarchiâ efformat aristocratiam Imperii, dum argumenta arcessit à juribus nonnullis Majestatis velut legum ferendarum, creandorum regum ducumque, constituendorum magistratuum, belli, pacis, fœderum, vectigalium, monetarum, & ultimæ provocationis; nam partim falsa sunt, quæ tradit, ut in creatione regum ducumque constitutione magistratuum, & ultima provocatione, cùm hæ jurium species, ut & sano sensu vectigalium & monetarum concessiones adhuc hodiè, reservatis Cæsareis accenseri possint, prout tit. XII. deduxi; partim non excludunt monarchiam; nec enim sequitur: negotia legum, belli, pacis, fœderum in Imperio peragi debent de consensu Ordinum, ergo suprema in his potestas non est penes unum Impera-


rato-

ratorem; non magis, quàm si quis ideò populo quondam Romano in liberâ Republicâ supremam potestatem in dubium vocare, aut prorsus negare voluisset, quòd eadem hac jura non nisi Auctoribus Patribus vel Senatorio magistratu rogante consuevissent exerceri, negotiaque id genus publica perfici, ut hinc mixtæ etiam Reipubl. nomen Imperio Romano veteri ac populari Polybius tribuerit. Itaque suprema potestas, quæ Imperatori testimonio ipsarum capitulationem per electionem confertur, & soli; nec enim sic communicata legitur, in Imperio competit, comitiali negotiorum publicorum, ut ita loquar, auctorisatione, ceu quidem Tito Germano visum, haud quaquam subvertitur, neque etiam per mixturam sano sensu declaratam sive à modo administrationis ex legibus restricta petitam tollitur, nec adeò referre videtur, Imperatorem suâ sponte rectè administrare rempublicam, an ex formâ conventionis ac publicæ sponsionis, nisi quòd posteriori casu, ubi Imperator malè administraret, vinculo pacti magis censeatur consultum Reipublicæ. Atque hoc est illud medium, Lector benevole, quod supra tenendum monui, scilicet ut conformiter legibus Imperii & supremam Imperatoris potestatem asseramus, & administrationis Reipubl. formam capitulationum tabulis maximè proditam sequamur, quæ duo capita insignem juris publici partem faciunt, totamque ferè paginam implent ejus, quod Cæsareum est. Hæc verò & alia jura publica, cùm præter privata, quorum publica professio ad Institutiones, Pandectas & Codicem Justiniani, successivè etiam & per longos annos mihi demandata fuerat, in duabus universitatibus Altdorffinâ & perantiquâ Heidelbergensi sæpè aut privatis collegiis aut publicis lectionibus explicaverim, visum est hac quoque parte studii, lucubrationum mearum publicandum esse hoc qualecunque monumentum, quod ut æqui bonique consulas, errores typorum, quos mihi aliis negotiis occupato non semper ex voto corrigere licuit, quanquam nonnulla errata ad finem notaverim, excusatos habeas & libro huic mihique Auctori faveas, enixè rogo. Vale. Dabam Francofurti ad Mœnum undec. Cal. Apriles. Anno 1697.



Enumeratio Titulorum hujus libri.

TIT.



TITULUS I.

DE JURE PUBLICO IN GENERE, EJUSQUE PRÆCOGNITIS.

SUMMARIA.

N. 1. 2. & 3. Juris publici studium seculis prioribus neglectum fuit, & ex quibus causis. 4. Auctoris scopus in hoc scripto. 5. usque 10. Juris publici diversæ significationes declarantur. 11. Juris publici descriptio in genere. 12. 13. & 14. Juris publici nostri moderni descriptio ac declaratio; ubi 15. Monzambani error de statu Imperii nostri notatur. 16. & 17. Juris publici à privato differentia. 18. Jura quædam sunt comparativè publica. 19. Jura publica & quasi publica distinguuntur. 20. Jus publicum ex mente Ulpiani tribus capitibus, vel concisius secundùm alios duobus consistit, sc. sacrorum & profanorum, quæ Remp. concernunt. 21. Juris publici nostri moderni trimembris distinctio, in reservata territorialia, vel privilegiaria & comitialia jura. 22. Juris publici differentia à politicâ. 23. Ratio status quid sit, & quo sensu ad jus publicum pertineat. 24. Juris publici prudentia, non sola interpretandi leges notitia est, sed novarum quoque legum Reip. convenientium peritia. 25. 26. Juris publici quæ sit differentia à jure gentium. 27. & 28. Mixtæ quæstiones in publicis ex jure & publico & gentium decidendæ. 29. Juris publici differentia à jure naturæ. 30. 33. & 34. Juris prudentiæ publicæ acqui-

rendæ media sunt historiarum & politices studia, & quo sensu. 31. *Juris publici notitia an ex solo usu comitiorum asserenda?* 32. *Jus publicum in Academiis docendum discendumque, sed usu rerum perficiendum.* 35. & 36. *Juris publici notitia principaliter peti debet ex legibus Imperii.* 37. *Juris publici acquirendæ notitiæ quatenus leges Justinianeæ conducant.* 38. *Juris Canonici notitia ad jus publicum requiritur.* 39. *Juris feudalis cognitio ad jus publicum est necessaria.* 40. 41. & 42. *Juri publico explicandi methodus convenit analytica.* 43. *usque* 46. *Juris publici distinctio per capita specialiora.*

JUris publici Studium diu obliterati professi sunt multi egregiique viri tùm superiori tùm maximè nostro
1 hoc ad finem vergente seculo. Causæ omissi antea nobilissimi juris cum variæ afferri possint, duæ videntur esse præcipuæ, sc. metus potestatis Pontificis, & publica rerum publicarum negligentia; ex priori evenit, ut in multis non facile quis auderet, quæ circa jura Imperatoris & Imperii vera essent proferre, inventi equidem sunt qui ex antiquitate Imperatoris jura & partes propugnarent, quos inter fuisse fertur ætate Ludovici quarti Imperatoris Guilhelmus Oc-
2 cam; Sed rarius id fuit & periculosius jura Imperii defendere, illis præsertim temporibus, quibus Pontificum in orbe Christiano potentia jam valdè adoleverat, ut plerique posthabitis Imperatorum Imperiique juribus, quæ per ea tempora quasi submissis fascibus dormiebant Romanum præsulem tantùm non adorarent; itaque & metus ille saltem reverentialis, & publicarum rerum negligentia, communisque deæstimatio
3 seculis intulerunt tam nobilissimi juris detrimentosam incuriam, cui equidem ultrò largior & barbariem linguæ, & politioris literaturæ præcipuè studii historici contemptum insigne addidisse momentum; non est ut in hanc rem inquiramus curatius, nec meum id propositum, sed hæ causæ sufficere possunt obli-

oblivionis. Quamvis verò jus publicum è tenebris in lucem
assertum nitidiores hodie ostendat vultus, nondum tamen in
eum perfectionis gradum est deductum, quin scriptis novis
de eodem ulteriùs benè merendi supersit copia; Itaque & 4
ipse, cum à multis annis jus publicum in certa capita reda-
ctum, variis vicibus publicè & privatim explicavissem, meas-
que hac in re lucubrationes, ordine collegissem, operam haud
inutilem me facturum putavi, si succinctè notata reviderem,
quatenus opus videretur, excolerem & augerem, postque pro
communi utilitate in publicam lucem darem; inter illa verò ca-
pita meritò primũ locum sibi vindicat titulus de jure publico ge-
neratim ejusque præcognitis inscriptus. Is duabus partibus ab-
solvitur sc. jure publico & præcognitis. Juris publici priusquam 5
definitionem proponamus, ex lege methodi præmittendæ sunt
diversæ significationes; accipitur autem tripliciter: 1. Pro jure
universali, quatenus nimirum auctoritate publica constat &
omnes obligat, hæc est significatio juris publici *in l. patronus.
8. ff. de tut. & in l. ex sententiâ 29. ff. de testam. tut. item in
l. quod autem. 7. §. 6. ff. de don. int. vir. & ux. & in l. fin. pr. ff.
quod met. caus. l. avia. 77. §. fin. ff. de cond. & dem. l. neq; pignus
45. §. 1. l. nihil.* 116. §. 1. *ff. de reg. jur.* & aliis locis pluribus.
2. Pro jure, quod publicâ auctoritate certam formam negotio 6
præscribit, quam privatis mutare non liceat, quo sensu testa-
menti factio dicitur esse juris publici apud Papinianum in *l. te-
stamenti. 3. ff. qui test. fac. poss.* non quod testamentum per se
sit publica res, cum à privatis fiat & privatorum quoque com-
modum, veluti heredum legatariorum vel fideicommissario-
rum, principaliter respiciat, sed quod formam contineat publi-
co jure præscriptam, extra quam non sit permissum testamenta
condere, hinc jure cautum neminem cavere in suo testamento
posse, ne leges in eo locum habeant, *l. nemo. 55. ff. de leg. 1.*
& cum quidam spretâ publicâ legum formâ ex suo genio te-
stamentum fecisset, causa intestati successit. *l. pen. §. fin. ff.
de leg. 2.* Quæ cum ita sese habeant, nulla solida ratio appa- 7

ret, quare Calvinus in suo Lexico Juris *voce publ. juris* textum *d. l. Testamenti* corrigendum esse puret, ita, ut factio testamenti privati non publici juris sit, postquam vetera calatis comitiis & in procinctu testandi genera ab usu recessissent; nam & lectio textus adversatur & ratio constans, quâ testamenta tàm vetera illa quàm recentiora per se privata fuerunt sive testatorem consideremus, sive heredem & alios, quibus in testa-
8 mento quid fuisset relictum, publica verò ratione formæ, quæ apud veteres fuit populi convocatio, vel procinctorum ad prœlium circumstantia; neque enim aut populus aut procincti faciebant testamentum, sed privatus quilibet testator, quin populus & procincti neque confirmabant, sed tantummodo publice testes ex formâ prisci juris aderant, ut postmodum te-
9 stes privative ex novâ testandi ratione, imò hodienum testamenta, quæ publica dicere solemus, velut principi insinuata vel apud acta confecta, juxta *l. omnium. 19. C. de test am.* per se considerata sunt merè privata, sicut quæ olim calatis comitiis vel in procinctu condita fuerunt, forma verò publica est ex Principis cum suis Aulicis scientiâ, vel insinuatione actorum publicorum, ut olim ex calatis comitiis vel virorum procinctu; verbo & jure veteri & recentiori forma testandi publica fuit & hodiè est, facultas testandi privatorum, quibus eam lex
10 dedit vel saltem non negavit. Verum hæ significationes juris publici, alterius loci sunt. Succedit igitur tertia acceptio, quâ jus publicum ab objecto per se æstimatur, quatenus sc. ea quæ Reip. sunt, vel ad publicum statum per se pertinent, considerat; hoc sensu describitur ab Ulpiano *in l. 1. §. 2. ff. de just. & jur.* & ab Imperatore Justiniano *in §. 4. Inst. eod.* jus quod ad statum rei Romanæ spectat, ubi dubium nullum est, & Imperatorem & JCtum definiisse jus publicum non omne,
11 sed Romanum tantum, quod sc. in Republicâ Romana obtineret; ideoque si in genere jus publicum describendum esset, diceremus jus ad certæ alicujus Reip. vel Imperii statum pertinens, quemadmodum verò plures sunt & fuerunt respublicæ,

sic

ſic plura quoque jura publica, omne tamen jus publicum cer-
tæ alicujus gentis & Reip. eſt, ut cum ſcholis loquamur in in-
dividuo, veluti jus publicum Venetorum, Gallorum, Britanno-
rum &c. κατ' ἐξοχὴν tamen jus publicum ſimpliciter dictum
Romanum ſignificâſſe, pari ratione, ut jus civile privatum, teſte
Juſtiniano Imp. *in* §. 2. *Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* non eſt
ambigendum, hodiè verò mutato rerum ſtatu jus publicum Ro- 12
mano-Germanicum apud nos, intelligi ſimiliter extra dubium
eſt, atque ita hodiernum noſtrum jus publicum deſcriben-
dum veniet, *quod ad ſtatum Imperii Romano-Germani-
ci ſpectat*; nolim enim vel ad ſolam Romam veterem jus pu-
blicum noſtrum referre, vel ad ſolam Germaniam reſtringere,
quando origo convenìente nomine ex Romanis rebus peten-
da eſt, progreſſus Germanicis armis adſcribendus. Ut verò 13
propoſitam deſcriptionem rectè intelligamus, vocabulum ſta-
tus præcisè conſiderandum eſt reſpectu Imperii, non quatenus
in jure privato refertur vel ad perſonas *tit. de ſtat. hom. de his,
qui ſui ſunt vel al. jur. de adopt. &c.* & eſt certa perſonarum
conditio, quâ hoc vel illo jure utuntur in Rep. v. g. homines,
ingenui, libertini, patres familias, filii familias &c. vel ad res, ut
in l. cum hic 32. *pr. ff. de don. inter vir. & uxor.* & eſt certa
rerum vel actuum, qui jus rerum reſpiciunt, conditio, quo neu-
tro ſenſu ſtatum hoc loco ſignificari jam dictum eſt, ſed potius 14
hic vocabulum ſtatus propriè denotat Imperii ſubſiſtentiam
publicis legibus ſubnixam; quæ igitur leges quæve jura dire-
ctè concernunt Imperii noſtri vel Reip. Romano-Germanicæ
ſubſiſtentiam, illæ leges vel jura proprie conſtituunt hodier-
num noſtrum jus publicum. Ex quibus ſequitur, (1) erro- 15
neam eſſe perſonati Monzambani ſententiam, quâ *in lib. de
rat. ſtat.* Germaniam noſtram pro corpore monſtroſo & in
anarchiam degenerante percenſendam exiſtimat; nam ſi
Imperii noſtri leges publicæ ſunt, ut ſunt, & maximè funda-
mentales, profectò aberit anarchia, quæ talem rerum ſuppo-
nit faciem, ubi nulla ſit imperandi, & conſequenter nulla leges,

quippe quæ ad ſubjectos proprie tantum pertinent, ferendi ra-
tio, nullumque ab alterâ parte legitimum obſequium, nec ſi
quandoque de facto non pareatur, propterea parendi obligatio
16 ſecundum leges extincta eſt. Sequitur (2) jus publicum dif-
ferre à privato maximè reſpectu objecti, quia formam præſcri-
bit his, quæ directè ad ipſum pertinent Imperium vel rempu-
blicam, hoc verò perſonis, rebus aut negotiis privatorum; ac-
cedit differentia altera reſpectu finis, quia jus publicum prima-
riò Imperii & Reip. reſpicit utilitatem, jus verò privatum ſin-
gulorum, ſed ipſius Reip. in conſequentiam, quamvis negan-
17 dum non ſit, eſſe quædam in certis materiis privata jura, quæ
comparatione aliorum privatorum magis intereſſe publicum
involvant, & ita dicantur publicè utilia, quo in numero ſunt
dotium jura, *l. Reipublicæ. 2. ff. de jur. dot. l. 1. ff. ſol. matr. l.
intereſt. 18. ff. de reb. auct. jud. poſſ.* Item jura liberæ naviga-
tionis per flumina publica, aut commeatus vel fruitionis itine-
rum ac locorum publicorum, *l. un. ff. ne quid in flum. publ. & c.
l. un. ff. ut in flum. publ. nav. lic. tt ff. ne quid in loc. publ.
l. 1. §. 1. ff. de loc. publ. fr.* ſimiliter jura commerciorum, *l. un.
C. de monop. l. nobiliores* 3. *l. mercatores* 4. *C. de commerc.*
jura ex functione primipilari, *l. utilitas.* 3. *C. de primip.* jura ar-
gentariorum, in *Nov.* 136. *præf. & c.* 1. quæque ſunt ſimilia
18 alia: Sed hæc omnia per ſe privata jura ſunt, maximè in compa-
ratione eorum, quæ ad rempublicam directè pertinent usque
adeo, ut hac reflexione etiam principis res fiſcales ad privatas
quondam fuerint relatæ *in l. prætor.* 2. §. 4. *ff. ne quid in loc.
publ.* quamvis reſpectu aliarum rerum privatarum etiam ipſius
principis non immeritò publicæ dici potuerint; vid. *diſp.
19 meam. X. ad Rec. Imp. de anno* 1654. *th.* 3. & 4. Quo intuitu
fuerunt, qui diſtinguerent jura publica & quaſi publica, ut il-
la referri deberent ad ea, quæ ipſum Imperium concernunt,
hæc ad ſimilia vel proxima, ſic quod ad vetera attinet, jura
verè publica primo libro Codicis Juſtinianei tribuunt, in quo
de ſacris, Epiſcopis & ſacerdotibus, legibus etiam & magi-
ſtrati-

ſtratibus agitur, tribus verò ultimis libris ejusdem Codicis, ſc. decimo, undecimo & duodecimo, jus quaſi publicum, quod in fiſcali, municipali & militari præcipuè abſolvitur; à quâ ſententiâ, cur adeo diſſentiamus, ſolidi nihil obſtat, niſi hoc quis forſan urgere velit, quòd & in tribus ultimis libris Codicis repetitæ prælectionis diverſa habeantur, quæ ad jus verè publicum magis pertinent, velut quæ circa dignitatum majorum collationes, *tit. de præt. de conſ. de præf. præt.* item quæ circa ſtatum militarem jus Imperatoris directè concernunt, repeſriuntur diſpoſita, ut plurimum tamen relati tres libri Codicis jura quaſi publica complectuntur, & ſic ab eo, quod eſt potius, diſcerni poterunt.
20 Sed jam hæc mittimus, & in quibus jura propriè publica conſiſtant, amplius conſideramus. Ulpianus JCtus *in d. l.* 1. §. 2. in quibus jus publicum ſui temporis conſiſtat, tria refert capita, nempe ſacra, ſacerdotes & magiſtratus; verum quia ſacerdotes ſacra adminiſtrant, & hoc ſenſu ut adminiſtratores ad eandem ſpeciem juris publici referri poſſunt, duo relinquentur juris publici ſuprema capita, ſc. ſacra & profana, quatenus Imperii ſunt, quò forſan reſpexerunt & alii, qui in hæc genera jus publicum diſtinxerunt, & præcipuè Reinking. *in ſuo opere de Regim. ſec. & Eccleſ.*
21 Sed ſpecialius & explicatiùs, ut mihi viſum, & auditoribus meis proponere ſolitus ſum, Imperii Romano-Germanici jura publica in tria genera ſecerni poſſunt, ſc. ea quæ Imperatori ſeorſim, ea quæ Statibus ſeorſim, & ea quæ Imperatori ac Statibus junctim competunt. Primi generis jura publica ſunt Imperatoris reſervata, ſecundi generis territorialia & privilegiaria Statuum, tertii generis comitialia, quæ ad Imperatorem & Status junctim, quamvis alio & alio conſiderationis modo referri debent, atque ſub his capitibus, quicquid eſt juris noſtri publici moderni, revera comprehenditur, vel certè ad ea reduci poteſt, eaque ipſa objecta illa ſunt, quibus jus publicum à privato ſecerni diximus.
22 Hoc amplius verò, & à Politicâ quæ Reip. eſt vel formandæ vel conſervandæ & adminiſtrandæ pru-

prudentia jus publicum internoscitur, quòd ex suprà deductis
versetur principaliter circa hanc vel illam Remp. in indivi-
duo, cum Politica in genere consideret rempublicam ejusque
varias formas, & ideò Politicus, quà talis, ex professo ut loqui so-
lent, non explicat Imperii Romano-Germanici jura secus ac
Scriptor nostri juris publici; idem est judicium ferendum de
ratione status, quæ generaliter accepta & sine determinatio-
ne ad certam Rempublicam, vel ipsa est Civilis prudentia, vel
23 insignis pars ejus, quo sensu quidem hoc argumenti genus ador-
nârunt varii, præcipuè verò ex neotericis *Clapmarius de ar-
can. Rerump. & Ludov. Septalius de rat stat.* sed specialiter
& cum determinatione ad certam rempublicam ratio status ju-
rispublici est prudentia, & nostri quidem, quatenus ad Impe-
rium Romano-Germanicum refertur; quâ consideratione de
hoc argumento scripserunt *Hippol. à Lap. & Monzambano*
24 uterque sub ficto nomine, & ego ipse, ceu publicè notum, ante-
hac tractatum edidi, minimè autem jurispublici pruden-
tiam solâ interpretandi notitiâ eorum, quæ ad publicum sta-
tum pertinent, cum Dn. Rhetio *Inst. jur. publ. lib.* 1. *tit.* 1. §. 2.
circumscribendam putarem, quia vera prudentia publica, præ-
sertim etiam includit peritiam condendarum legum, publico
statui convenientium; uti sine dubio exempla novarum le-
gum docent, quas legati & plenipotentiarii, ut vocant, quibus
ea sparta commissa fuit, in tabulis Instr. Pac. Germ. Osnabr.
& Mon. tum Electorum legati in Capitulationibus Cæsareis
25 sub ratihabitione Superiorum potestatum, (quæ & secuta est)
concinnârunt. Præterea differt jus publicum à jure gen-
tium, quòd hoc & publicas res & privatas æque principaliter
complectatur, sed sub mutuo obligationis vinculo; illud verò
tantùm objecta publica, uti dictum; & ideò quod privati ho-
mines vel unius vel diversarum gentium vendiderunt, eme-
runt, locârunt, conduxerunt &c. tenentur invicem præstare
ex jure gentium, per *l. ex hoc. 5. ff. de iust. & jur.* neque contra-
ctus unilateres vel monopleuros, quos vocant, segregamus,
sed

sed hi etiam usu gentium ex eo jure inter privatos obligationem pariunt principaliter ab uno latere, ut mutuum; cum ejusmodi contractus ad jus publicum referri minimè debeant.
Deinde quamvis publica quoque negotia ad jus gentium per- 26
tineant, ut bellum, pax, induciæ, fœdera, diversus tamen modus est à jure publico, quia in gentium jure æqualitate hæc talia æstimantur in publico, ex constituto, dum, ad unam rempublicam vel Imperium ejusque statum referuntur; quoniam tamen is consensus gentium est, ut arbitrio potestatum publicarum tanta negotia invicem peragantur, accidit
ut quæstiones mixtæ in publicis occurrant, sc. ex jure genti- 27
um & publico hujus vel illius gentis determinandæ, ut olim in pace Caudinâ inter Romanos & Samnites, his ad æquitatem juris gentium, ut pax conventa servaretur, illis ad jus publicum Romanum, quo nefas sit Romanos obstringi pace injussu populi factâ provocantibus; celebre etiam est exemplum superioris seculi, quo Franciscus primus Galliarum Rex captivus leges Regni sui, quibus non liceat ex bonis publicis quid alienare, tractatibus pacis obtendit; & sanè ratio dictitat, eum, cum quo
publicè paciscimur, ne irritum negotium sit, facultatem paci- 28
scendi habere debere, quod maximè & caute observandum videtur, ne negotia conventa postmodum ab alterâ parte in dubitationem vocentur, ut in exemplo relato pacis Caudinæ
factum. Denique jus publicum à jure naturæ etiam distin- 29
gui perspicuum est, quòd hoc non magis quàm gentium jus ad unam gentem restringatur, nec positivis legibus nitatur, sed sit universi generis humani solâ æquitate ex dictamine rectæ rationis profluente subnixum. *Conf. synops. m. juris gent. c.* 1.
Et hæc de jure publico per se. Venio ad media prudentiæ juris 30
publici, de quibus scitè dixit Bœclerus in *not. Imp. lib.* 1. *c.* 1. *cum ergo.* duabus alis ad hanc sublimem notitiam subvolandum esse, sc. cognitione Politices & historiarum; non dubito de politicâ, quia sine cognitione principiorum, diversarum Reip.

formarum, causarum incrementi & decrementi, quæ & similia generaliter ex politicis petenda sunt, nemo veram juris publici prudentiam habere censeri potest, quando ea quis
31 non intelligit, quæ ad imperium vel rempublicam, cujus peritiam sibi asserit, generaliter pertinent. Ex quibus rectè judicare possumus, quid sentiendum sit de illis, qui juris publici veram notitiam, publicis conventibus devinciunt, hi nimirum idem sentiunt, de tam nobilissimâ juris parte, quod empirici de medicinâ, solo sc. usu totam rem æstimandam, sed quia hic error & rationi satis clarè adversatur, quæ usum veris principiis destitutum, planè insufficientem dijudicat, & præter alios à me in *præf. tract. de rat. Stat.* dudum confutatus est, pluribus huic rei non insisto, sed lectorem eò remitto.
32 Nec difficulter verò ex his resolvi quæstio poterit: an jus publicum in Academiis sit docendum; nam quia usus publicorum negotiorum simplex acquirendæ juris publici peritiæ minus sufficit, meritò Studiis Academicis sollicitudo doctrinæ juris publici committenda, id quod & ratio dictitat, & juris publici scriptores, interque illos Limn. *libr.* 1. *de jur. publ. c.* 2. *n.* 11. *& seq.* annotaverunt, & sapientiores principes, quos inter Carolum Ludovicum, Electorem quondam Palatinum nostra ætas non immeritò refert, universitatum suarum legibus &
33 exemplis approbârunt. Planè historias, quibus Boecleri judicio, secunda ad subvolandum in sublimem juris publici notitiam ala tribuenda est, non parum conferre ad juris publici prudentiam, minimè negaverim; opus tamen esse arbitror quàm maximè historiarum delectu, neque enim vel gentium aliarum facta & res gestæ principaliter ad nostræ Reip. jura referri possunt, neque domesticæ nobis sive rerum Germanicarum historiæ omnes magnum in republicâ momentum habent, sed illæ tantum, quæ publicum Statum vel negotia ejus concernunt, nec statum quidem antiquitatis omnem Germaniæ, sed illum qui ad Imperium Romano-
Ger-

Germanicum ſeſe referat, quo intuitu non aſſentior illis, qui
inſigne momentum ponunt explicandi originem noſtri Im-
perii ex veteri Provinciarum Germaniæ Statu, ante Imperi-
um Francorum, quia per hoc originalis forma infuſa eſt, cujus
incrementis ac decrementis, ſubſecutisque mutationibus in
hunc rerum Statum eſt perventum. Nec magis mihi ad ex-
plicandum Imperium Romano-Germanicum veterum Bojo-
rum, Suevorum, Saxonum, Vandalorum vel aliorum Germaniæ
populorum res pertinere videntur, quàm res priſcorum Abo-
riginum, Rutulorum, Latinorum aut ſimilium Italiæ gentium
ad explicandam Imperii Romani originem, quam relationem
Pomponius in *l. 2. ff. de orig. jur.* ipſo facto, quòd omi-
ſerit, in ejusdem Imperii origine tradendâ minimè neceſſa-
riam judicavit, planè ſcopo veræ hiſtoriæ Romano Germani-
cæ conferre pro diverſorum temporum ſtatu multum poſſunt,
Aventinus, Lehmannus, Metteranus, Lundorpius, aliique rerum
Germanicarum Scriptores celebres, ubi tamen de duobus ad-
monendi ſumus: 1. ut hiſtoriographis fidem habeamus circa
coætanea, non circa antiquiora, niſi quatenus hæc ex monu-
mentis fide dignis aſſeruntur. Sunt enim eatenus teſtes impro-
babiles tantum de auditu alieno, quibus non temerè aſſenti-
endum ſuæ aſſertionis non proferentibus idonea documenta
vel argumenta. 2. Ut in his etiam quæ ſynchrona referuntur, 34
credamus veroſimilia ſcribentibus, maximè his, qui ipſi rebus
geſtis interfuerunt & à ſequiore affectu alieni apparent; hæc
duo enim auctoritatem ſcribentium imminuunt, vel quòd
non veram facti notitiam acceperint, vel quòd ſtudio aut
odio partium à veritatis tramite in diverſum abripiantur. Ve-
rum hæc quoad politica & hiſtorica in præliminaribus tetigiſ-
ſe ſufficiat. Potior & præcipua ſollicitudo circa ipſas leges & 35
conſtitutiones eſſe debet, quibus jus publicum ſtatuitur. Harum
verò differentia eſt; nam quædam antiquæ ſunt concernentes
veterem Statum, aliæ recentiores, quæ præſentem reſpiciunt,

illas in jure civili habemus, & præcipuè libro primo ac tribus libris ultimis Codicis Justinianei ; nam & jura sacra sacerdotum ac magistratuum, quibus suprà retuli ex mente Ulpiani jus publicum consistere, hisce locis explicantur, sc. secundum
36 statum veterem ; has verò qui requirere vult leges, Codicem recessuum Imperii nostri adeat necesse est, & in eo præ cæteris Bullam Caroli quarti Imperatoris, pacis etiam quà religiosæ quà profanæ constitutiones, tabulas porro pacis Germanicæ recessui Imperii de anno 1654. verbotenus insertas, extraque corpus constitutionum publicarum Imperii Capitulationes Cæsareas, ex quibus genuinis fontibus limpidissima juris nostri publici aqua haurienda est, non ex opinionibus vel cerebro privatorum hominum. Et ut paucis complectar, quid de mediis notitiæ juris publici sentiam, politica & historica, tùm juris gentium, quatenus publica concernit, præcipuè vero ipsarum legum publicarum studia requiruntur, quibus diligenter incumbentes ad nobilissimam juris publici pe-
37 ritiam felices pervenient. Et ex his facilè colligitur resolutio quæstionis de legibus Justinianeis, an ad jus publicum adhuc hodie pertineant ; pertinere nimirum vel hinc asserimus, quòd uti Status antiquus non in totum abolitus, sed valdè mutatus fuit (quæ res ex sequentibus apparebit) ita idem sit judicium ferendum de prisci illius temporis legibus publicis ; planè in Codice Justinianeo primo sc. & tribus ultimis libris multa haberi ad statum præsentem benè & utiliter applicanda, multa etiam à tot seculis obliterata & antiquata inveniri, nemo inficias ibit, nisi qui vel veteres illas leges vel nostrum Statum publicum non satis intelligit, adeoque opinio, qua nonnulli nimis superstitiosè antiquis inhærent, quasi ab illis mensura tota Imperii moderni petenda sit, tantum à veritate abest, quantum priscus ille Status à Republicâ nostrâ modernâ. Rursus plurima jura ab origine repetenda esse, ex communi jure maximè regalia, salvis sc. Imperii recentioribus legibus vix

vix negari poterit & ex infra dicendis apparebit clarius. Quid 38
de jure Canonico ſentiendum? Hujus quoque notitiam ad ſo-
lidam juris publici prudentiam requiri arbitror; nam jura Ec-
cleſiaſtica partem facere juris publici palàm eſt; ea verò,
(quanquam nonnulla originis ratione ad jus civile referri poſ-
ſint) præcipuè ex jure Canonico deſumenda, ut jura electio-
num; poſtulationum, confirmationum; Epiſcopalia, patrona-
tus, &c. pariter clarum, nec certè, vel conſtitutionem pa-
cis Religioſæ vel tabulas Inſtrumenti Pacis, quibus locis de
ſacris & Eccleſiaſticis juribus vel bonis diſponunt, verè & ac-
curatè intelliget, niſi juris Canonici hac parte peritus. Minus 39
dubitandum cenſeo de jure feudali, illud videlicet etiam præ-
cognoſcendum, ſi quis ſolidam juris publici peritiam ſibi
comparare velit; etenim jura Imperatoris reſervata in feu-
dis Imperii, jura etiam Principum & Statuum noſtrorum rega-
lia circa Principatus ſuos & Comitatus, quos in feudum ab Im-
peratore & Imperio recognoſcunt, bona etiam ſubfeudalia
vel ſimilia ſine juris feudalis cognitione intelligi minimè po-
terunt. Et hæc ſunt, quibus breviter meam de juris publi-
ci præcognitis ſententiam exprimere volui. Progredior jam ad 40
methodum explicationi tam nobiliſſimi juris convenientem;
ea procul dubio eſt analytica, ut pote practicis ſtudiis aptior
& conformior; in his enim vulgò dicere ſolent à fine ad me-
dia procedi, ſed non eſt omittendum etiam in notitiâ finis ab-
ſolvi practicam doctrinam exemplo philoſophiæ moralis,
in quâ à fine, ſc. definitione ſummi boni præcipuum conſidera-
tionis fit initium, & in ſummo bono exquiſitiùs declarato ea-
dem philoſophandi ratio terminatur; ita enim magnus phi- 41
loſophus & methodi artifex Ariſtoteles Ethicam propoſuit
in decem ad Nicomachum libris, ut primo ſtatim ſum-
mum bonum definiret, per actionem ſecundum virtu-
tem optimam & perfectiſſimam in vitâ perfectâ, intermediis
verò libris virtutum diverſa & principia & ſpecies cum conco-

mitantibus explicaret, tandem libro decimo, quænam sit illa virtus optima ac perfectissima, ex quâ prodiens actio summum sit hominis in hâc vitâ bonum, sc. contemplatio maximè divinorum ex habitu veræ sapientiæ, quæ virtus dianoëtica est, proveniens, specialiter pervestigaret & declararet, proximumque gradum actionibus virtutum moralium assignaret, uti videre est *ex 1. ad Nicom. sive de moribus libro c. 5. & 6.* collato *libro* 10. *c.* 6. 7. *&* 8. Quo circa Franciscum Piccolomineum, qui plerumque ratione methodi philosophiæ practicæ improbatur, non ex hoc, quòd ultimo loco de summo bono egerit, redarguendum censeo, sed ex hoc, quod non inter initia suorum graduum philosophiæ moralis, summum bonum, saltem genera-
42 liter definiverit. Et ut paucis dicam, doctrina Ethica nihil aliud est, nisi resolutio definitionis summi boni in sua, virtutum sc. principia, species, partes & connexa. Idem de jurispruden-
43 tiâ publicâ, ut jam velut è diverticulo in viam redeamus, adstrui potest; nimirum juris publici doctrinam absolvi resolutione definitionis in originem Imperii, causas, partes, variasque imperandi & de Imperio participandi rationes, quæ certè methodus analytica est, secundum quam cum in definitione juris publici præmissâ, Imperium Romano-Germanicum,
44 principale objectum sit nostræ tractationis, origo, progressus, & status præsens ex formâ suâ considerari debent, id quod fiet tit. 2. hinc cum duplex consideratio sit Imperii, vel materialis, quatenus designat complexum terrarum, provinciarum vel partium; quæ Imperio subsunt, vel formalis, quatenus significat ipsos imperantes, Imperatorem nimirum & Status eorundemque jura, lex methodi ea est, ut priorem considerationem Imperii præmittamus, unde tit. 3. de Imperio
45 in partes & circulos diviso ejusque finibus disserendum, formalis verò Imperii explicatio subjicietur titulis sequentibus, ita ut quæ ad Imperatoris vel personam, electionem, administrandi rationem & coronationem, vel jura reservata, pertinent,

nent, præmittantur tit. 4. & pluribus seqq. postea quæ Principum vel Statuum Imperii personas, dignitates aut jura concernunt, explicari poterunt; ordine, demùm comitialia jura declarari & ad extremum his tractatus de Imperii Judiciis cum connexis subjungi, quibus certè punctis juris nostri publici 46
notitia maximè consistit, ac si, quod volupe fuit Bœclero, placeat, quæ sparsim dicta erunt ad pernoscendum Statum nostri Imperii, in fine recolligere id integrum erit; sed quia ex re est qualitatem Status ex origine cognoscere, ut aptiùs de cæteris disseramus ordine, jam *titulo sequ.* hac de re dicetur. Illud tamen ubique cavendum censeo, ne in aliena facilè excurramus, sed ea tantum, quæ verè juris publici sunt suis in locis, ex genuinis legum fontibus & ratione proponamus, quæ res, ne hac præliminari propositione prolixior esse videar, ad ipsam lectionem sequentium meritò remittitur.

TITULUS II.

DE IMPERII ROMANO-GERMANICI ORIGINE, PROGRESSU ET PRÆSENTI STATU.

SUMMARIA.

N. 1. & 2. Imperium Romano-Germanicum quid sit. 3. usque 8. Lex Regia principatus Romani fundamentum probatur & declaratur. 9. Imperii Romani veteris jus in Carolum Magnum translatum. 10. & 11. Imperii translatio an & quatenus tempore Hadriani primi vel Leonis Tertii Pontificis contigerit. 12. Azorii & aliorum traditio, Canones de electione Pontificis Imperatoriâ suppostitios redarguentium examinatur. 13. & 14. Carolus Magnus Imperator natione fuit Germanus. 15. usq; 18. Imperii translatio ad Carolum an de jure adscribi possit populo, Clero & Pontifici Romano. 19. Imperii trans-

translationis veriora fundamenta sunt jus victoriæ & publica pactio. 20. Grotii opinio de potestate populi & Pontificis Romani, Imperatoribus nostris & collegio Electorali periculosa. 21. & 22. Imperii Status Hungaris in Germaniam irrumpentibus mutatus. 23. & 24. Imperii Proceres deserti à Francis jure gentium potuerunt eligere regem. 25. Imperio Italia jure armorum adjecta. 26. & 27. Imperatorem Proceres Germanici, tempore Conradi Primi & Henrici Aucupis, rectiùs potuere creare, quàm populus Romanus Imperium à Græcis ad Francos transferre. 28. & 29. Imperatores Germanici possessionem supremi juris competentis in Italiâ & Germaniâ exercuerunt. 30. Imperium Romano-Germanicum non est feudum Pontificis. 31. Imperatores Romani Orientales ante avulsum Occidentem jure possunt dici antecessores Imperii quoad nostros Imperatores. 32. Secus post avulsum Occidentem. 33. Imperatores Turcici nullum jus habent in nostrum Imperium propter occupationem Imperii Constantinopolitani. 34. & 35. Imperii progressus ex quâ causâ Politicâ provenerit. 36. usque 49. Imperii inclinati & ad faciem præsentem mutati causæ referuntur. 50. & 51. Imperii moderni de formâ sententiæ. 52. Monarchia sensu Historico & Politico quid sit. 53. usque 59. Monarchiam Imperii nostri suadentia argumenta referuntur cum scriptoribus diversis. 60. & 61. Administratio Reip. an & quatenus à Statu differat. 62. usque 65. Imperii nostri Statum publicum mixtum esse probatur. 66. & 67. Imperii supremus character majestaticus soli Imperatori reservatus. 68. usque 70. Imperii Status quo sano sensu sit aristocraticus. 71. usque 75. Aristocratiæ & Statui mixto adversæ objectiones referuntur ac diluuntur. 76. Regnorum ex Aristotele quinque genera referuntur. 77. usque 80. Monarchiæ quod genus Imperio nostro quadret. 81. Mixtionis Reip. modi duo ex Arist. impossibiles. 82. usque 87. Mixtionis tertius & quartus modus declarantur, & ad Imperium modernum applicantur.

tur. 88. usque 93. Reip. Romanæ veteris Status mixtus deducitur. 94. usque 100. Imperii Romano-Germanici ex verâ monarchiâ & administrandi ratione aristocraticâ Status mixtus per leges Imperii probatur & declaratur.

EX his, quæ præcedenti titulo deducta sunt, dicendum nunc est de Imperio Romano-Germanico, cujus considerationis ex inscriptione tres fecimus partes, originem nimirum, progressum & statum præsentem, sed primò ipsum 1
Imperium Romano-Germanicum describendum est; significatur ergò hoc nomine Imperium Romanorum Occidentale in Germanos translatum vel Germaniæ Regno unitum; atque adeò non sola Germania est Imperium Romano-Germanicum, sed hac voce totus terrarum tractus, quem Romani quondam Principes diviso amplissimo Imperio in Orientale & Occidentale sub dominio habuerunt, eoque collimant, quæ celeberrimus Conringius *Tract. de fin. Imp.* circa varia regna & provincias, quatenus ad jus Imperii vel olim spectaverint, vel hodienum pertineant orbi publicè exposuit. Admirabile autem 2
est, quòd cum majores nostri, Germani veteres olim præcipui Romanorum hostes fuerint, testibus historiographis, & inprimis Cornelio Tacito, imò ipsis Legibus Justinianeis, in quibus κατ' ἐξοχὴν hostes dicuntur, ut *in l. hostes. 24. ff. de capt. & post.* in eos tamen sequenti ævo Romani Imperii nomen & jus devolutum sit; verùm hac in re & varietates temporum & fundamenta translationis genuina pernoscenda sunt; itaque dum ad primum hujus tituli membrum, originem sc. Imperii Romano-Germanici explicandam, accedimus, statim occurrit consideratio duplex, nempe potestatis veterum Romanorum Principum & factæ translationis in Germanos; Prior re- 3
spectus nititur fundamento ex usu temporum indubio, dum constat, Principes Romanos supremam per multa secula Reip.

potestatem exercuisse, sed illud ratione initii Legis videlicet Regiæ, quâ illa potestas à populo Romano in Principem translata dicitur à chronologis & criticis modernis in dubium vocatur, eâ maximè ratione, quòd de lege Regia non constet, quo tempore quave ratione populus eandem tulerit; quo-
4 niam tamen tot loca juris docent, legem regiam fuisse conditam, quâ populus Romanus jus suum & potestatem in principium transtulerit, *velut §. 6. Inst. de jur. nat. gent. & civ. l. necessarium. 2. §. 11. ff. de or. jur. l. 1. pr. ff. de const. pr. l. 1. §. 7. vers. cum enim. C. de Vet. jur. enucl. l. ex imperfecto.*
5 3. *C. de test.* nunquam putavi, hanc totam rem ex vano esse, vel nullam planè Legem Regiam contra tot publica juris testimonia fuisse; facile autem largior, legem regiam sub hoc nomine promulgatam non esse; nam cum principes ipsi inter initia principatus regio titulo abstinerent, civibus sc. exoso, contentique essent potestate publicâ exercendi regia jura, juxta *Tacit. 1. annal.* non est vero simile, legem regiam promulgatione publicâ sic vocatam, sed potius collatam Principi jure perpetuo dictaturam, quam cives pro regiâ potestate, cui non absimilis erat, interpretabantur, posteà id nomen accepisse, eoque censu accipiendum arbitror, quod *in d. vers. cum enim.* asseritur, legem regiam nuncupatam fuisse, sc. usu & nomine populari, cum res ipsa suprema nimirum potestas jure dictaturæ perpetuæ à populo in principem jam prius esset trans-
6 lata; hoc amplius nec universalem legem regiam constitutam fuisse censeo de jure omnium Principum Romanorum, quo subsecuturi uterentur, quæ ratio forsan est, quod in annalibus vel historiis sub nomine legis regiæ nulla extet mentio, sed personalem de Imperio Augusti latam puto; idque probat locus *Dionis Cassii lib. 53. histor.* Nec enim, quod inter fragmenta Liviana extat, hunc perpetuæ dictaturæ honorem Julio Cæsari jam attributum, ad legem regiam referendum est, dum à Senatu concessus legitur, cum Lex

Regia

Regia ex consensu populi processerit. *dd. ll.* Itaque & proba- 7
bile est fundamentum originis in principatu Romano, & obfirmatio ex usu seculorum certa, usque adeò, ut Antoninus Imperator se dixerit mundi, h. e. orbis Romani, dominum, *in l. ἀξίωσις 9. ff. ad l. Rhod. de jact.* Neque id admirandum est, quoniam enim Augustus, qui per annos 56. imperavit, Tiberius etiam successor in diuturno 37. annorum imperio, potestatem Principum satis obfirmaverunt, non erat ratio, quâ subsequentium Principum potestas, adversus consensum popularem expressum originis & sequentium temporum tacitum, in dubium vocaretur; his ergò initiis Romanorum 8
Principum consensu personali introducta, usque temporum in successoribus firmata stetit summa hæc potestas, & variis quidem vicibus, dum res Romana, quæ plerumque sub uno Principe administrabatur, interdum divisâ amplissimi Imperii per partes orientales & occidentales administratione, duobus aut diversis Principibus subfuit, ut in filiis Constantini Magni, & posteà Theodosii I. Imperatorum accidit, sed hæc administrationis divisio Imperii Romani statum publicum per se non mutavit, ut ostendi *in synops. jur gent. c. 16. n.* 30. usque dum occidens attritis per illas partes Romanorum rebus, ab orientali Imperio penitus esset avulsus.
Verum hac de re, quæ secunda pars est consideratæ originis 9
Imperii nostri Romano - Germanici, nunc dicendum, & in primis fundamenta vera translationis Imperii in Germanos pernoscenda sunt cum varietatibus temporum, ubi iterum occurrit consideratio duplex; Imperii nimirum hujus, ut se habuit sub regibus Francorum; & ut posteà seclusis Galliæ rebus; ex priore consideratione origo in personâ Caroli Magni constitutâ, qui primus refertur Imperator Occidentalis ex Germanis, quam rem Pontifici, clero & populo Romano adscribere solent, & vel Hadriano Primo, ut Gratianus voluit *in c. Hadrianus dist.* 63. quem sequitur Goldastus *tom.* 1.

 Const.

Const. Imp. p. m. 16. & 17. ubi anno Christi 774. refert Romæ tale SCtum factum, quo ad imitationem veteris populi Romani ab Hadriano Pontifice, clero & universo populo Romano supremum jus cum potestate creandi Pontificis in Carolum
10 translatum sit; vel attribuunt hanc originem Leoni Tertio Pontifici, ut *Aventinus lib.* 4. *Chron. p. m.* 329. Videtur tamen hæc temporum diversitas conciliari posse, ut Gratianus & Goldastus intelligi debeant de origine belli adversus Longobardos à Carolo Magno suscepti, cui in eventum victoriæ decus Imperii juxta consensum Pontificis Cleri & populi Romani, repro-
11 missum fuerit, Aventini verò locus referri debeat ad tempora victoriæ Caroli, quam rem confirmat ipse textus *d. can. Hadrianus*, ubi dicitur Carolus posteà, sc. post pactitiam illam Pontificis Cleri & populi Romani translationem Imperii, Papiam & regem Desiderium (qui Longobardorum erat) cepisse; quòd verò, quæ de Leone Tertio Pontifice dicta sunt, sequentia respiciant tempora, quibus Carolus victis hostibus Romæ quasi triumphans susceptis solenniter Imperii insulis inauguratus est, pluribus consignavit
12 ipse *Aventinus d. l.* Non ignoro esse, qui *d. can. Hadrianus* & similes alios ut suppositi tios redarguant, inter quos est *Azor. Instit. moral. p. 2. lib.* 4. *c.* 2. *quæst.* 3. aliique, quos congessit *Barbosa in dict. can. Hadrianus*; *ast hi* non negant rem ipsam, de quâ nobis sermo est, scil. translationem Imperii à Græcis Imperatoribus ad Germanos factam, sed tantum concessionem creandi Pontificis, quæ tamen per illa tempora, quibus Cardinales vel non fuerunt, vel certè jus tale ut posteriore ætate nondum habuerunt, solidâ ratione vix negari poterat; quicquid sit, ad nostrum scopum sufficit, translationem ipsam Imperii ad Germanos haud negari, nec fide historicâ obstante & ipsis rerum monumentis subsecutis negari posse;
13 quod si quis controversiam de persona Caroli M. facere velit, ut nonnulli sequiore affectu conantur, quòd scil. Gallus origine

gine

gine fuerit, non verò Germanus; quam ſententiam ex neotericis perſonatus Monzambano *in tract. de rat. ſtat.* defendendam cenſuit cum his, quando locus nativitatis Caroli Pagus Ingelheim Moguntinæ Diœceſeos, Germaniæ ſubjectus fuit armis Germanorum jam tunc ultra Rhenum promotis, contendere nolumus, præſertim quod ipſius Pontificis Innocentii Tertii teſtimonium accedat, qui *in c. venerabilem. 34. X. de elect.* claris verbis aſſerit, in perſona Magnifici Caroli (quo nomine ſine dubio Carolum M. intelligit) Imperium Romanum à Græcis Imperatoribus ad Germanos translatum fuiſſe, ergò idem pontifex probabili conſequentiâ Ca- 14
rolum Magnum poſt factam illam Imperii translationem & primum Imperatorem aſſerit & natione Germanum, quippe in cujus perſonâ hæc à Græcis ad Germanos translati Imperii mutatio primum contigerit. Atque hæc, quæ hactenus breviter retuli de origine Imperii Romano-Germanici, reſpectu Regni Francorum & primi ex eâ gente Imperatoris Caroli M., hiſtorica ſunt; an verò jure transferri Imperium 15
hoc modo potuerit à Græcis ad Germanos, quæſtio eſt majoris momenti, conſtat tantæ rei colorem fuiſſe quæſitum ab Imperio muliebri excludendo, quia tunc temporis Irene Imperio Romano orientali, Conſtantinopoli videlicet & per provincias Orientis Imperatrix præfuerat, adeoque exemplo veteris rei publicæ, quo olim populus Romanus omne jus ſuum & poteſtatem in Principem tranſtulit; ætate Caroli M. idem factum referunt. Verùm an populo Romano tempo- 16
re Caroli M. non amplius libero, ſed à tot ſeculis ſubjecto & ſervienti eadem fuerit transferendi Imperii poteſtas, quæ populo Romano libero tempore Auguſti Imperatoris, quæſtio eſt altioris indaginis, & meo judicio negativè reſolvenda, quia ſcil. populi Romani veteris translatio Imperii facta eſt privativè, adeoque nullum jus populo reliquum fuit, quo anteriorem poteſtatem poſtmodùm ut priùs liberè exer-

17 ceret, & licet inter initia forsan ex causis Politicis simulacra aliqua Reipublicæ prioris populique potestatis relicta sint, reverà tamen Imperatores ipsi privativè, quoties voluerunt, supremâ usi sunt in ipsos translatâ potestate, & maximè post tanta temporum intervalla, dubitatio omnis cessavit, neque id tantum in aliis, sed ipso electionis negotio, cum hæc ad exercitum & confirmationem Senatus, si legitima videri deberet, non verò ad populum contingente casu relata fuerit. Itaque miror, literatissimum virum Hugonem Grotium in celebratissimo opere de *jur. bell. & pac. lib. 2. c. 9. §. 11.* opinionis contrariæ patrocinium suscepisse, quasi scil. populo Romano regnante Carolo Magno potestas fuerit propter muliebre Orientis Imperium transferendi res Occidentis ad Francos eorundemque regem, eamque translationem ore Pontificis velut primarii civis pronunciandi; nam octingentis circiter annis, qui post principatus Romani originem ad ætatem usque Caroli effluxerunt, populus Romanus supremæ potestatis non habuit verum exercitium publicum, & omnium minime, ut jam dixi, in negotio
18 electionis Cæsareæ, cui rei magnum argumentum præbet, quòd omnia exempla apud Grotium *d. l.* adducta non de populi Romani electione, sed militum vel Senatus Romani loquantur, ergo cum & privativè facta sit à populo in Principem summæ potestatis translatio, quam Doctores plerique argumento *l. 1. ff. de constit. Prin.* hoc sensu agnoscunt, & tot seculorum usus contrariæ opinioni refragetur, non est, ut hanc translationis originem ad populi, Cleri & Pontificis Romani auctoritatem, quippe penes quos tempore Caroli M. hæc po-
19 testas non fuit, cum fundamento juris referamus; sed longè veriora mihi semper visa sunt principia à jure victoriæ, quia Carolus Francorum Rex potissimas Occidentis partes vel provincias subegerat, item à pactis cum Irene Constantinopolitana Imperatrice & Nicephoro conventis, quibus Imperium Occidentis fortiori jure firmaverat Carolus, petita ;

his

his enim fundamentis juris Gentium & quæri potuit Imperium, de quo loquimur, & posteà confirmari, reque ipsa quæsitum confirmatumque fuit; sanè ex deductis fundamentis, 20
Grotii relata opinio non tantum falsa est, sed & Imperatoribus nostris periculosa, quando mutata rerum vice facile contingere posset simili prætextu, quo olim Pontifex cum Clero usus est, habenas Imperii ad aliam gentem transferri iterum à Germanis, imò jus etiam Electorum hac suppositâ hypothesi fluctuaret, cum in gente novâ Aurea Bulla aliæque leges nostri Imperii deficerent. Ab hac verò Caroli Magni 21
origine per seculum circiter Cæsareus Regiusque status in eadem familia duravit, donec tempore Ludovici, qui filius Arnolfi fuit, irrumpentibus in Germaniam Hungaris, hominibus Barbaris & gentilibus, cunctaque ferro & igni pervastantibus, status publici mutatio subsecuta esset; ea verò post obi- 22
tum Ludovici contigit, cum desertâ à Carolinis Germaniâ Proceres Germanici Regem eligerent diversæ stirpis, nempe Conradum Francorum Ducem, qui tamen & ipsis Hungaris adhuc prævalentibus tributa dedisse legitur, post hujus mortem summa rerum ad Saxones est delata, & Henricum Primum cognomine Aucupem, quo regnante primùm in Germaniâ Hungari, post sub filio Ottone Primo Imperii successore ad internecionem deleti sunt, ita ut ipsi subjectâ Germanis Hungariâ tributarii facti essent; hæc verò ideò retuli, ut conjungerem occasionem & causam mutati in Germania Franco- 23
rum Imperii, quæ sanè jure Gentium est legitima, quod cum deserti à Francis vel Gallis Germani contra barbaram gentem variâ vice pugnassent suis viribus, tandemque benignitate divinâ superiores evasissent, Regem utique, qui vim injustam propulsaret, creare potuerint; neque enim tempore illo obstringebantur publicis pactis Germani, quo minus hoc fieret, sed jure armorum tenebantur, quo Carolus Magnus totam Germaniam (qui triumphus de nostra gente nunquam aliis,

aliis, ne priscis quidem Romanis obrigerat, sub obsequium
coëgit, sed nec dum obliterata erat Saxonicæ genti memoria
victi à Carolo Magno Witekindi, cujus posteris publicâ stir-
pis Carolinæ defensione destitutis tanquam conditione omni-
um Imperiorum resolutivâ jam liberis, nihil obstitisse videri
potest, quin Regem provincias & terminos Germaniæ defen-
24 surum sibi constituerent, & ad hæc initia jure gentium fun-
data liberi, quod ad Gallos attinet, Germanorum Regni su-
pervenit non tantum multorum seculorum possessio; (ut de
subsequente non improbabili expresso consensu Regum
Galliæ taceamus, ac stirpis Carolinæ in Galliis extinctio no-
væque familiæ Hugonis Capeti, unde modernis Galliæ Re-
gibus origo, surrogatio; quæ omnia argumenta pro jure Im-
perii nostri aliquando memini in Panegyri Academica, quâ
25 honores conferebam me proposuisse; hæc ergò fuerunt
avulsâ Galliâ Germanici Imperii justa fundamenta, quæ ta-
men, ut fateor, ad Italiam conjungendam minùs sufficere viden-
tur. Itaque quod jus Carolus Magnus, ut Italiam, ut Germa-
niam, & maximè Saxoniam, Imperio Francorum adjecerit,
allegare poterat, nempe jus armorum, hoc idem posteà Ot-
to Primus Imperator & Imperii successores allegare potue-
runt, & adhuc possunt; Germaniam enim Otto electione te-
nuit, Italiam, victo Berengario Duce Foroliviensi, qui re-
gium titulum usurpaverat, armis adjecit, nec minus Pontificis
& Cleri Romani in hac re momentum juris ponendum esset,
consensus secutus est, ut testantur canones decreti *in synodo c.
tibi domino d. dist.* 63. item constitutio apud Goldastum *tom.*
26 1. *const. imp. p. m.* 221. *&* 222. Quod si quis rationem diffe-
rentiæ petat, cur Proceribus Germaniæ subjectis Francorum im-
perio magis licuerit creare novum Regem vel Imperatorem,
quàm populo Romano tempore Caroli Magni, difficilis non
est responsio; populus enim Romanus publicâ lege regiâ sc.
transtulerat potestatem supremam in Principem, & per octin-
gentos

gentos annos à tempore legis Regiæ usque ad Carolum publica majestatis jura reverà non exercuerat, omniumque minimè in eligendo Principe; diversa conditio Procerum Ger- 27
maniæ fuit, qui non pari lege Francis, sed jure victoriæ suberant, à quibus cum posteà non defenderentur contra hostes, sed ipsimet hostium victores & suæ nationis defensores fuissent, jam tacitè resoluto imperio, injustum jure gentium videri non poterat, si postmodum Germaniæ rebus eligendo caput soli consuluissent, & per consequens electio Conradi, Henrici Aucupis, sequentiumque Imperatorum Romano-Germanicorum injusta non fuit, licèt tunc ex Caroli Magni progenie superessent posteri in Galliis. Nec dubium porrò 28
est, non tantum Germaniæ & Italiæ jus fuisse Germanicis Imperatoribus, sed & utriusque hujus regni possessionem competiisse, quod probant decreta Romæ promulgata, quæ referuntur in personâ Ottonis primi apud Goldastum *d. l. p. m.* 225. sed & textu *d. can. tibi domino*, mentio fit de committendâ administratione Italiæ, quam sanè nisi constitutus in possessione regni tribuere non posset. Quo & 29
referri debent historiæ regni Italiæ, quas exhibet Sigonius, & res Imperatorum nostrorum per plura secula in illis oris gestæ, ut sunt indicti Procerum conventus, imperata auxilia contra hostes, leges conditæ, Magistratus constituti. Justitia administrata & similia alia tum jus tum possessionem utriusque regni Germaniæ sc. & Italiæ sociati indigitantia; exempla harum rerum inter cætera habemus *in const. Frid. I.* Imperatoris, qui in Roncaliis convocatis Italiæ Ordinibus pro tribunali consedit justitiamque administravit, constitutionem etiam suam expressis verbis, ut & per Italiam & per Alemanniam valere debeat, promulgari jussit, ut patet ex textu 2. *F.* 55. *in pr.* Hæc de initiis Imperii Romano-Germa- 30
nici, ex quibus, priusquam deveniamus ad progressum vel incrementa, tria colligere licet notatu valdè digna: 1. Impe-

rium Romano-Germanicum non esse feudum Pontificis Romani, non enim ab eo translatum est, quamvis Carolus Magnus, Otto I. aliique multi Imperatores insulas Imperii acceperint peragente ritum coronationis Pontifice; ast coronatio & concessio feudi per investituram longè sunt distinctissima, neque Imperatores vel olim, vel hodiè jus imperii à Pontifice recognoverunt, vel recognoscunt per modum feudi, sed coronationis ejusmodi actus est mera solennitas, juxta *const. Lud.Bav. Imp. de quâ Did. Goldast. tom.* 3. *Const. Imp. pag.* 411. *Avent. lib.* 8. *Chron. p. m.* 397. *Vid. Apolepht.* in Histor. Erquickst. *p.* 450. Notandum 2. Imperii Romani veteris jura reverà à Graecis ad Francos, & posteà à Francis ad Saxones Germanos in occidente pervenisse; id enim jura armorum, pacta publica, populorum consensus & plurium seculorum usus secundùm deducta satis abundè testan-
31 tur, quâ ex re etiam non immeritò, qui Constantinopoli & per partes orientis Romanorum rebus, praefuerunt Imperatores ad usque tempora Caroli Magni antecessores Imperii Germanorum Imperatorum, uti ipsi Francici subsequentium dici possunt. Hinc Maximilianus Primus Imp. & Justinianum, & Carolum Magnum disertis verbis vocat Imperii antecessores, vid. const. von Gotteslästerern de anno 1495. in pr. & reform. der freyen Gerichte in Westphalen /
32 de eod. anno §. 1. Colligi & notari meretur, 3. quòd Imperatores Orientis Romani post avulsum tempore Caroli Magni Occidentem, minimè dici possint antecessores nostri Imperii; nam illud Orientale Imperium à nostro planè distinctum fuit, & ad nostram nationem nunquam transla-
33 tum, sed post multa secula tandem in servitutem Turcarum prolapsum, qui tamen per eandem rationem ex victoriâ Orientalis Imperii absurdè & contra jura gentium (licet Solymannum Turcicum Sultanum talia asseruisse referant) praetenderent jus in occidentale pactis publicis & usu seculo-

seculo-

ſeculorum planè diſtinctum Imperium Romano Germanicum. Verum hiſce miſſis ad ſecundam partem hujus tituli, videlicet Imperii Romano-Germanici progreſſum, jam accedendum 34
eſt; habent nimirum regna fatalem ordinem initiorum, incrementorum & decrementorum; ex illis igitur, quæ retuli initiis, poſtquam Imperium Romano-Germanicum ſubſiſtit, felicia arma in varias orbis plagas promovit; nam & Pannonia, quæ cum novâ tunc gente nomen mutavit in Hungariam, domita, & Bohemia, Boruſſia, Livonia, aliæque partes Imperio ſucceſſivè acceſſerunt, maximè verò Burgundionum regnum, quod Galliæ veteris inſignem partem complectebatur. Cum itaque Imperator Romano-Germanicus 35
Germaniæ & Italiæ aliiſque regnis & provinciis adjectis cum ſupremâ poteſtate præeſſet; Monarchæ & Cæſaris Romani titulum à Principibus Romano-Græcis ad Francos, & ab his ad Saxones Germanos devolutum facilè tuebatur, nec profectò nomen ſolum Monarchæ, ſed res ipſa aderat tantis viribus diverſorum regnorum & provinciarum uni Imperio ſubjectis, uſque adeò, ut non tantum in Europâ & Occidente, ſed & in Aſia & partibus Orientis Imperatoris Romano-Germanici nomen formidabile eſſet, quod in primis Friderici I. Imperatoris hiſtoria docet, atque ſic, ut rem paucis complectar, incrementorum Imperii cauſæ fuerunt felicia Germanorum arma uni capiti ſubjecta, hæc res tamen 36
pro diverſâ temporum conditione diverſa fuit; nam priuſquam feuda Imperii eam qualitatem accepiſſent, ut jure receptitio clientelari in ſucceſſores ſanguinis tranſirent, ſine dubio Imperator per partes & provincias Imperii ſummam poteſtatem abſolutè exercuit, ejusque vigore tempore belli nervum rerum in manu habuit, ut omnibus Imperii viribus ſubnixus pugnaret cum hoſte, ſequenti ævo, quo jam feuda hereditaria facta ſunt, periculoſior quidem Imperii facies apparuit, ſed ſtare tamen poterat, ſtetitque firmatum con-

sensu obsequii publici propter juratam fidem in feudorum,
ut vocant, investituris, exemplo insigni Henrici Leonis Du-
cis tantæ potentiæ, ut ex Principibus Imperii modernis vix
sit, qui ei comparari possit; cum enim totam Saxoniam,
Palatinatum & Bavariam jurisdictioni suæ subjecta referen-
tibus historicis tenuisset, omnibus tamen proviuciis suis ex
causâ non præstiti Imperatori auxilii contra hostes decreto
Herbipolensium comitiorum exutus fuit, quæ quidem stri-
37 ctior fidei feudalis observantia Imperio salutaris extitit, quod
communi Principum Procerumque consensu non tantum
nefas haberetur, si quisquam Imperatori pro viribus non
tulisset auxilium contra hostes, sed etiam hæc causa priva-
tionis feudi, suffragante usu & consuetudine ipsoque, quod
hinc descendit, jure feudali 2. *F.* 5. *&* 2. *F.* 24. justa reputare-
tur, planè, quamdiu hæc rei militaris forma stetit, quâ vires
Imperii ad publicam defensionem unitæ erant, salus quo-
38 que reipublicæ sarta tecta fuit; ut verò dissoluta pedeten-
tim unio est, Imperii etiam res in peius & decrementum
inclinate cœperunt, præcipuè accedentibus & aliis causis Po-
liticis convertendi status publici, de his dixi *in Tract. de
rat. stat. Imp. Romano-Germanici c.* 2. ubi summatim tres
causas complexus sum, sc. 1. Conversionem feudorum Imperii
in successoriam qualitatem. 2. Translationem potestatis con-
ferendorum Episcopatuum ad clerum & Pontificem. 3. Pro-
39 fusam alienationem partium juriumque Imperii. Has ve-
ras fuisse causas mutationis status publici, difficile non est
paulò clarius demonstrare; nam cum feuda facta essent suc-
cessoria, vasalli majores peculiarem statum rerum suarum vi-
ribus propriis subnixum struebant; non igitur resp. in plu-
res status divisa, firmo ut prius publicarum virium vinculo
nitebatur, quia penes Principes ac Proceres Imperii in suis
provinciis jus simile regio erat, unde auxilia publica pede-
40 tentim languescebant, melius tamen inter successionis re-
gali-

galium feudorum principia cum republica agi consueverat, quàm posteriori ævo, propter strictiorem, quam retuli, juris observantiam communi consensu & auctoritate sub lege privationis stabilitam, ex quo verò impunitate & conniventiâ rigor feudalis obligationis deminutus est, novum vulnus nostra resp. accepit, dum auxilia contra hostes Imperii prius publicis necessitatibus æstimata, præstantium propè relinquerentur arbitrio, unde sæpè & nimis lenta fuerunt, & minus sufficientia, neque huic malo, quæ ex matriculâ Imperii proximis seculis introducta est publica provisio, adæquatum remedium dare potuit, uti dudum *in d. tract. de rat. stat.* probavi, & hoc ipso titulo pluribus repererem, nisi ho- 41
dierna experientia satis id ipsum testaretur. Deveniendum verò est ad secundam mutati in Imperio publici status causam, quam posui in translatione potestatis conferendorum Episcopatuum Germaniæ ad Clerum & Pontificem Romanum, quæ res superstitioso temporum errato adscribenda est, dum Principes Imperii cœco impetu contra Henr. IV. & posteà contra filium ejus Henr. V, Imperatores partes pontificias sequerentur, donec ab Imperatore tantum jus cum detrimento Imperii, Pontifici & Clero (id quod sub Henr. V. accidit) esset concessum. Hanc verò rem publico statui Rei Roma- 42
no-Germanicæ insigne damnum dedisse inficias ire nemo potest, nisi evidentibus rerum argumentis velit obloqui; nam ab eo tempore & ex hac causâ contigit, ut Archiepiscopi, Episcopi cæterique Prælati Ecclesiastici, jam minùs ab Imperatore dependerent, videlicet novo tunc exemplo, electione tantarum potestatum Ecclesiasticarum ad clerum & canonicos cathedralium Ecclesiarum, confirmatione verò ad Pontificem delatâ, cum quidem antea, vel hæc res tota, vel si non electio, saltem confirmatio Imperatorii juris 43
fuerit; in quo equidem articulo duo videntur accuratè consideranda: 1. Veritas rei. 2. Necessitas consequentiæ; veritatem

ritatem rei intelligo, quod Imperatores Romano-Germanici, ante Henricum Quartum Imperatorem indubiè constituerint Germaniæ & Imperii Episcopos ac religionis antistites, aut denominatos à populo & clero, Imperatoriâ auctoritate, aut mero jure Principis, quæ res præterquam quòd legibus Justinianeis conformis sit, *Nov. 123. per tot. & Nov. 137. junct. l. decere. 3. §. pen. C. de summ. trin. & fid. cathol.* totâ serie refertur *post Abb. Ursp. & Bar. à Lehm. Chron. Spir. lib. 5. c. 67. vers.* aber Pabst *Gregorii* Nachkommen. *Aventino libr. 5. Chron. p. m. 419. rubr.* was der Brauch vor Zeiten gewesen ist Pabst und Bischoff zu erwählen / *Gold. tom. 1. Const. Imp. p. m. 258. Dreff. Millen. 6. p. 2. p. m. 185.* Necessita-
44 tem verò consequentiæ, quòd nempe ex tali mutatione electionis Episcoporum, status Imperii publicus magnam acceperit mutationem, satis perspicere licet Politicis rationibus; nam quia ipsi Episcopi cæterique religionis antistites dependebant à Pontifice Romano, magis quàm ab Imperatore, necessariò hac parte potentiæ publicæ Imperium fuit deminutum, dum proceres Ecclesiastici ratione status sui vel confirmandi vel conservandi Pontificem magis quàm Imperium respicere debuerunt, præcipuè conjunctâ Ecclesiasticis dignitatibus jam inde ab Ottonis Primi temporibus seculari potesta-
45 te; ex hac igitur re quicquid terrarum Imperii ad Episcopos vel cæteros religionis proceres pertinebat, erga Imperatorem & Imperium fide dubiâ ac lubricâ fuit, prout nimirum
46 Pontifex Romanus de quaque re sentiret; scio, & manifestum equidem est feudorum Imperii fuisse & ad nostra tempora mansisse diversam conditionem, dum Ecclesiastici Principes & Proceres talia feuda non minùs, quàm seculares
47 Principes ab Imperatore recognoscere & de illis investiri debent, atque si contra Imperatorem vel Imperium feloniam commisissent, his feudis privari possunt, sed nihilominus non parva difficultas est & fuit, maximè ante reformatam religionem,

gionem, ex causis etiam justis Episcopo vel cuicunque antistiti religionis feuda Imperii auferre propter metum excommunicationis Pontificiæ, imò, etiam nostrâ ætate, licet non metus superesse videatur, ut olim, nec tam frequentes excommunicationes, tamen sine speciali difficultate Ecclesiasticis Principibus ac Proceribus nec hodiè adimuntur feuda Imperii, dum Princeps idem dignitatem Ecclesiasticam tali casu retinet, & in statu suo pro re natâ varias turbas dare potest, quâ in re celebre exemplum est superioris seculi, in Hildesiensi Episcopo feudis Imperii privato; notæ etiam sunt hâc nostrâ ætate ad omnem posteritatis memoriam Cardinalis Fürstenbergii actiones, quanquam hic magis non sit ad Electoratum Coloniensem admissus, quàm eo privatus, quæ contingentia mala certè nec olim momentum habuissent, nec moderno tempore habere possent, nisi ab illâ radice malâ concessi clero & canonicis juris eligendi, Pontifici verò juris confirmandi Episcopos & antistites religionis, provenissent.

Tertia mutati veteris Imperii Romano-Germanici causa fuit alienatio profusa partium Imperii; nam ut exempla variarum Italiæ civitatum, quibus autonomia a concessa est, quæque posteà in principatus conversæ aut aliis subjectæ fuerunt, omittamus, utique Delphinatus Galliæ, vectigalia ad Rhenum totque aliæ partes, membra vel jura Imperii aut consensu expresso in alios translata, aut tacito etiam per conniventiam diuturnam temporum neglecta, tertiam istam publicæ mutationis causam satis demonstrant. Imperii igitur supremo jure per feudorum majorum successiones, Ecclesiasticarum potestatum decessiones, partiumque insignium alienationes ac translationes valdè deminuto, non potuit non Respublica ex diversis causis ad eum statum deduci, ut necessarium esset publicis non sufficientibus privatas opes respicere, quæ res sanè in electione Cæsarea collectis Imperialibus jure armorum & Imperii defensione contra hostes aliisque negotiis magni momenti 48 49

menti

50 menti noxios attulit effectus. Et de hoc jam Imperio, quod ab
origine relatâ per varias vices in hanc faciem devenit, quæ-
stio est, quam formam habeat politicam? Quâ in re, quæ
tertium hujus tituli membrum complectitur, triplex antehac
sententia fuit eorum, qui Imperio formam aliquam Politici
regiminis adscribere dignati sunt; nam vel monarchiam, vel
aristocratiam, vel statum mixtum attribuerunt, his recen-
tior quarta opinio supervenit personati, quem prius retuli,
Monzambani *in lib. de rat. stat. Germ.* id totum agentis,
ut demonstret, heteroclitum corpus esse Imperium nostrum
modernum, Cæsare ab unâ parte monarchiam reducere, ab
alterâ statibus pleniorem libertatem stabilire annitentibus,
quæ sententia, si ad ea, quæ juris sunt, referatur, anarchiam
inducere videtur, quòd jura publica Cæsaris & Ordinum hac
ratione prorsus dubia ac fluctuantia ponerentur, ex con-
sequenti status Reip. in se planè incertus ac dubius relinque-
retur; sin verò ad studia partium, & ea quæ sunt facti conside-
retur, ad aliquam ex modò relatis sententiis de publico statu
reducenda erit, ut specialiorem considerationem non merea-
tur, cum quatenus jus publicum Imperatoris Statuumque
infringere videatur, jam suprà breviter sit confutata, quatenus
v. factum respicere velit, ad cæteras opiniones reducenda
51 veniat. Missâ igitur anarchiæ vel status Reip. incerti & flu-
ctuantis opinione, sub examen vocandæ sunt, quas retuli sen-
tentiæ reliquæ, ex quibus prima, quæ monarchiæ favet, Cæsa-
ris jura inter initia nostri Imperii, quæ aristocratiam tuetur,
sola crescentis Ordinum auctoritatis tempora ipsaque incre-
menta, quæ mixtum statum adstruit, utraque respexisse vide-
tur; priusquam verò fundamenta, quibus hæ opiniones ni-
tuntur, explicemus, præmittenda est ipsius vocabuli declara-
tio, quid nimirum per monarchiam hoc loco intelligamus;
dupliciter enim istam vocem accipi constat, Historicè & Poli-
52 ticè, priori consideratione, monarchia est eminentior regia
potestas,

potestas, quæ amplissimas orbis terrarum partes sub se conti-
net, & comparatione aliorum Imperiorum auctoritate, viri-
bus opibusque maximè eminet, quo intuitu Babylonica mo-
narchia in personâ regis Nabuchodonosoris *apud Danielem*
cap. 2. describitur, & vulgò quæstio moveri solet de sensu, *l.*
ἀξίωσις 9. ff. ad l. Rhod. de jact. utrum nempe universale mun-
di dominium Imperatori Romano competat, quod accuratio-
res Scriptores nostræ ætatis rectè negant vocabulum mundi *in*
d. l. 9. positum non de toto terrarum, sed Romano orbe, cui
cultiores utique gentes subjectæ fuerant intelligentes. Poste- 53
riore vel Politicâ significatione monarchia est suprema Imperii
vel Reip. potestas penes unum consistens, quæ si justa sit regia,
sin injusta, tyrannis plerumque appellari consuevit, & hoc
sensu Politico de statu Imperii moderno est quæstio, sit ne mo-
narchicus nec ne? pro affirmativâ faciunt sequentia argumen-
ta: 1. Quòd à Græcis ad Francos, & ab his ad Saxones cæteros- 54
que Imperii moderni successores potestas Cæsarea suprema
per occidentem translata fuerit, nec per leges vel constitu-
tiones legatur adempta. 2. Quòd Imperator adhuc hodie
gaudeat & utatur majestatis titulo, ac plenitudine potestatis.
3. Quòd ei competant adhuc hodiè jura reservata supremam
potestatem indicantia. 4. Quòd status eidem devinciantur
juramento, ipsumque recognoscant superiorem. 5. Quòd
gentium variarum & potestatum exterarum usus, Imperatorem
præ cæteris pro Monarchâ venerantium hoc idem probet ad
nostram usque ætatem, ut adeò ex his omnibus concluden-
dum videatur, supremam potestatem in Imperio adhuc ho-
diè penes unum ac consequenter statum Reip. Romano-Ger-
manicæ modernum esse tantùm Monarchicum; & huic opi- 55
nioni subscribunt. *Arum. tom. 1. jur. publ. disc. 7. Heig. lib. 1.*
qu. 2. num. 21. cum sequ. Reink. de reg. Sec. & Eccles. lib. 1.
cl. 2. c. 2. per tot. Hermes. in fasc. jur. publ. c. 3. quæst. 4.
& not. Dn. Rhet. lib. 1. Inst. jur. publ. tit. 2. §. 146. circa
fin. aliique plures, relati ab *Arnis. de rep. cap. 6. sect. 5.*

56 *n.* 2. *& Carpz. de Leg. Reg. Germ. sect.* 8. *n.* 2 Sed ex adverso allegantur rationes non parvi momenti pro negativâ. (1) Quòd jura majestatis potiora, velut legum ferendarum, belli, pacis, fœderum &c. communi Imperatoris & Ordinum consensu exerceantur argumento indubio, majestatem sensu Politico sumptam, pro supremâ sc. Reipublicæ potestate, etiam ad Ordines Imperii referri, hisque suo modo communicatam videri. (2) Huc quoque pertinere leges Capitulationum, quibus Imperatoria potestas jam inde à Caroli V. tempore in multis capitibus juris publici valdè sit restricta, quæ cum valeant in vim legis fundamentalis, hinc coargui in Imperatore summæ potestatis exercitium nec liberum nec soli-
57 tarium. (3) Constare satis, jura territorialia in Principes & Ordines translata, quoad provincias, ditiones & urbes iisdem subjectas. Accedere (4) testimonium Alberti quondam Electoris Moguntini in electione Caroli V. Imperatoris erpressè asserentis: Electoribus aristocratiam retinendam, ceu refert Sleidanus, exhibens hac de re Moguntini votum *lib.* 1. *de stat. relig. p. m.* 20. addunt alii & *Carpzov. l. c.* Mau-
58 ritii Electoris & Henr. Galliarum regis sententias similes, ex quibus contra monarchiam puram Imperii nostri concludunt, & sic aristocratiam aut puram aut aliqualem defendunt; puram Bodinus *de Republ. lib.* 2. *c.* 1. *&* 6. *Hippolith. à Lap. de rat. stat. libr.* 2. *ferè per tot.* & in effectu aliqualem saltem administrationis ratione, *Paurmeister. de jurisd. Imp. Rom. Germ. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 54. *& seq. & c.* 4. *n.* 19. *Arnis. d. sect.* 5. *n.* 79. *& sequ.* qui tamen Paurmeisterum male pro Bodino allegat, cum ipsum potius refutet, *d. c.* 2. *n.* 58. *Hottomann. in Franco Gall. c.* 12. *Besold. de stat. Reip. mixt. cap.* 2. *Limn. tom.* 1. *jur. publ. c.* 10. *n.* 38. *& seq. Carpz. d. sect.* 8. studio non repetii argumenta Bodini pro purâ aristocratiâ nostri
59 Imperii adducta, quia ab *Arnis. & Reink l. c.* dudum sunt confutata, & præmissis quoque supra scriptis pro monarchiâ rationibus

tionibus manifestè refelluntur, nec meliora habent Hippol. à Lap. vel alii similiter sentientes; Sed quæ ab *Arnis. Paurm. Limn. & Carpzov.* relata sunt, majus equidem momentum habent, non verò tantum, ut monarchiam penitus excludant, sicut nec rationes pro monarchiâ adductæ aristocratiam omni ex parte removent, & idcirco scriptorum pro monarchiâ & aristocratiâ non purâ pugnantium sententiæ facilius ad concordiam revocari possunt. Duo tamen in hoc articulo pleniùs sunt declaranda: 1 Distinctio administrationis Imperii à statu ipso per se considerato. 2 Mixtio status publici an detur, & quidem ex ratione administrationis petita. Utraque 60
quæstio nata est occasione eorum, quæ doctores pro monarchiâ Imperii nostri certantes proposuerunt, nimirum quòd etsi per leges Imperii aut aliunde probetur, administrationem publicam quodammodo aristocraticam vel polyarchicam esse, nihilominus status Reip. per se sit & maneat monarchicus, ac unius Imperatoris supremæ potestati subjectus; item quòd mixtio monarchiæ & aristocratiæ non detur tanquam formarum imperandi contrariarum, nec statui per se monarchico administrandi ratio aristocratica mixturam afferre possit. Quod igitur prius attinet, etsi non inficias eam, ad- 61
ministrationem Reip. à statu ipso distingui, tamen si per leges publicas, ut in Imperio nostro, administrandi ratio præcisæ necessitatis est, non video, quomodo à statu per se separari possit; quid enim est status Reip. nisi illa conditio, quâ summa potestas consistit in publicis juribus eorundemue legitimo exercitio; tolle in perpetuum justam exercendi facultatem, quid erunt publica jura nisi inane nomen? arqui non 62
tantùm per argumenta Arnisei & Limnei l. c. pervincitur, sed etiam per ipsas tabulas pacis Germanicæ *art.* 8. §. *gaudeant*, disertè cautum est, jura legum ferendarum, belli, pacis, fœderum, contributionum, hospitationum militarium & similia sine universorum Imperii Statuum libero & comitiali

consensu exerceri non posse. Vereor igitur, ut hodiè salvâ dispositione Instr. Pac. in *d. §. gaudeant*, satis accuratè pura monarchia asseratur per distinctionem rationis administrandi à statu Reip, & proptereà si tali modo, ratio administrandi aristocratica est, aut monarchiam tolli, aut mixturam status ex necessariâ & ad unguem per leges requisitâ administrationis formâ admitti necessum erit. Ast verò mo-
63 narchiam excludi, argumenta prohibent pro eâ suprà adducta. Quid ergò? Argumenta utriusque partis præmissa, ut priùs dixi, probant Imperii nostri formam nec purè monarchicam esse, nec purè aristocraticam, itaque quoad posterius
64 suprà quæsitum huc deveniendum, ut sit Imperii status mixtus, quem cur vel Politicis rationibus, cum utique diversâ conditione penes unum & plures summa rerum stare possit, alii oppugnent, vel Dn. Rhetius *l. c.* legibus Imperii adversum putet, solidi, quod ad assentiendum movere queat, vel ex Politica ratione vel legibus Imperii nihil deprehendo.
65 Concludamus igitur ex deductis pro certo, statum Imperii nostri ad huc hodiè verè esse monarchicum, quo & Boeclerus inclinat *in not. Imp. lib. 22. c. 3. vers. non sunt igitur tantoperè, & sequ.* sed non esse purè monarchicum, quod diversi Scriptores *in loc. præcit.* demonstratum dederunt, adeoque cautius est, de statu publico moderno, sitne verè monarchicus, an purè monarchicus, distinctè quærere, quia altera quæstio affirmanda, altera neganda venit ex præmissis, satius, inquam, & cautius est, sic distinctè quærere, quàm utramque phrasin status verè monarchici & purè monarchici, cum *Carpzov. in d. sect.* 8. sub unâ disquisitione & assertio-
66 ne complecti, Colligamus ulterius majestatis characterem supremum in Imperio non esse communicatum Ordinibus, sed præcipuum relictum soli Imperatori, atque in hoc consistit monarchiæ veritas, quæ res non tantum ex juribus Cæsareæ majestati reservatis, sed suo modo etiam ex Comitialibus eluce-

elucescit; nam licet hæc jura de necessitate requirant Ordinum Imperii consensum ex *d. §. gaudeant*, tamen genus hoc con- 67
sensus diversum planè est à supremo jure Imperatoris in Comitiis, id quod & in præliminaribus cernitur, velut indictione comitiorum, deliberandorum propositione &c. & vel maximè in conclusorum comitialium ratificatione, quâ publicis negotiis, putà legum, fœderum, pacis &c. ultimum complementum & perfectum esse attribuitur, quæ ipsa jura soli Imperatori (quamvis comitiorum indictio ex consensu Electorum fiat) competere & Recessus Imperii & comitiales usus abundè docent; Inferamus adhuc ulterius, Imperii nostri statum sano sensu reverà etiam esse aristocraticum, sed non 68
purè talem, idque probant argumenta præmissa, quæque ab Arnisæo, Limneo, Carpzovio & aliis *loc. cit.* afferuntur; neque aliud existimâsse videri potest Moguntinus Elector apud Sleidanum *d. l.* quia satis habuit commemorâsse aristocratiam 69
aliquam in Germaniâ obtinere, ut excluderet Galli electionem, quam voto suo penitus dissuadebat, argumentum sc. probabile erat, quòd Galliæ rex Franciscus assuevisset mero arbitrio regnare in Galliis, pari Imperio, si eligeretur Imperator, Remp. Romano-Germanicam moderaturum esse, cui aristocratica statui nostro publico innexa imperandi ratio reclamaret; ergò non hoc dicit Moguntinus Elector: Rem- 70
publicam Imperii esse hodiè aristocratiam puram, sed aristocratiam retinendam, eam nempe formam regiminis, quâ Imperator non absoluto jussu, sed præviâ Statuum deliberatione ac consensu publica negotia perageret. Opponi verò aristocratiæ & statui mixto nostri Imperii posse videntur se- 71
quentia. 1. Textus *l. humanum* 8. *C. de Ll.* cujus vigori etiam in principatu Romano veteri ea legum ferendarum ratio introducta est, ut non valerent, nisi in eas ex deliberatione consensissent Cæsarei palatii Proceres & Senatores urbis, sed nihilominus status monarchiæ hinc mutatus non est; ac per-

mansit in priori schemate, 2. assertum *Hugonis Grotii* in hoc argumento scitè scribentis: *multum falli, qui existimant, cum reges acta quaedam sua nolunt rata esse, nisi à senatu aut alio cœtu aliquo probentur, partitionem fieri potestatis; nam quæ acta eum in modum rescindantur, intelligi debere rescindi regis ipsius imperio, qui eo modo sibi cavere voluerit, ne quid fallaciter impetratum pro verâ ipsius voluntate haberetur, lib.* 1. *de jur. bell. & pac. cap.* 3. §. 18. Quibus accedunt 3. quæ habet *Bæclerus in d. c.* 3. §. *de cætero*, maxime circa finem, ubi refert Imperatores aliquos (puta Romanos) nil nisi Senatu auctore se facturos etiam juràsse, nec tamen statum Reip. mutâsse nomen, aut dictum pro monarchiâ aristocratiam.

72 Etenim respondetur ad 1. formam legis ferendæ *in d. l. humanum.* præscriptam non fuisse Imperio veteri fundamentalem, sed Principibus arbitrariam, qui propterea leges alia ratione & condere & interpretari poterant, ac soli quidem, *l.* 1. §. 1. *ff. de const. princ. l. fin. pr. & §.* 1. *C. de ll. nov.* 143. *in præf.* pro lubitu etiam aliam ac novam legislationis formam introducere; ast in Imperio moderno aliter se rem habere & rationem ferendæ vel interpretandæ legis, uti & aliorum negotiorum comitialium, immutabiliter Ordinum consensui alligatam, probant verba *Instr. Pac. in d. § gaudeant. ibi: nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de comitiali liberoque omnium Statuum Imperii suffragio & consensu;*

73 quæ sanè perspicua est formæ legislatoriæ veteris ex *d. l. humanum*, & modernæ, ex *d. § gaudeant.* differentia, tantò certiori fundamento subnixa, quòd dispositio Instr. Pacis Germ. in omnibus suis capitulis in perpetuum observanda sit pro normâ & lege fundamentali. *Text. Instr. Pac. Cæs. Suec. art.* 17. §. *pro majori & Cæs. Gall.* §. 112. *Rec. Imp. de anno* 1654. §. Setzen dem-nach. 6. *Cap. Leop. art.* 2. Quoad 2. Grotio facilè assentior ex tali ordinatione regis haud fieri supremæ potestatis divisionem,

74 nec eam communicari, imo asserti hujus veritas pro declarando

jure

jure Comitiali Imperatoris ſuo loco eſt ſupponenda, ſed nego conſequentiam, ſi quis hoc ipſum ad pragmaticam legem & fundamentalem regni, tanquam hæc nihil mutationis vel mixturæ monarchico ſtatui afferre poſſit, extendere velit, cum hujusmodi legis conditio peculiaris ac diverſa ſit, ut deduxi *in ſynopſ. jur. Gent. c.* 11. *n.* 1. *& ſequ.* Nec abſimilis re- 75
ſponſio & ad 3. reddi poteſt; concedimus enim, quod Bœclerus habet, ex jure jurando Regis Ordinibus præſtito non rectè inferri vel mutationem nominis monarchici ſtatus, vel ariſtocratiæ prævalentiam; ſed negari tamen nequit, juramento hujusmodi, quatenus adminiſtrationem regni ac jurium majeſtatis exercitium reſtringit, monarchiæ de regimine ariſtocratico admixtum aliquid cenſeri. *arg. c. intellecto.* 33. *X. de jurej. add. Grot. d. c.* §. 16. Itaque ea conſideratio ſupereſt, ut qualitatem monarchiæ, & mixtionis cum ariſtocratiâ cura- 76
tiùs perpendamus. Quatuor verò recenſet Ariſtoteles *in* 3. *de Rep. c.* 14. regni vel monarchiæ genera, regnum ſc. legitimum, deſpoticum Æſymneum & heroicum, quibus in fine capitis quintum adjicit, cùm uni omnium rerum poteſtas delata eo fine eſt, ut gentis unius vel gentium plurium bona adminiſtrentur, quod univerſale forſan non inconcinnè appellaverimus, quòd ſi quis jam quærat, ad quod genus ex Ariſtotele relato- 77
rum monarchiam noſtri Imperii referamus, non tam prompta eſt, ut primâ ſpecie videtur, reſponſio; fortè enim dixeris, ad legitimum regnum referri, quod Imperator Romano-Germanicus & eligatur certis legibus, videlicet *Aur. Bullæ*, & adminiſtret etiam delatum imperium certis legibus, ſc. *Capitulationum*; verùm ut hæc, ſi abſolutè dicantur, cur impugnem, non invenio, ſic ſenſui Ariſtotelico minùs convenire certum eſt; Ariſtoteles enim legitimum regnum *d. l.* deſcribit per ſummum imperium militare extra fines Reip. quam rem mi- 78
nus convenire Imperatori noſtro, quis tam cœcus eſt & rerum Germaniæ imperitus, ut non perſpiciat? ſiquidem eidem

etiam

etiam in togatis negotiis legum fœderum collectarum &c. maximè intra Imperii fines summa potestas competit, licèt exercenda juxta leges, plane Laconicum regnum, quod in eo genere pro exemplo ponit philosophus ad Imperio Romano-Germanico, illiusque reges ab Imperatoribus nostris plurimum differre, ac potestate multis modis inferiores esse ex collatis nostris legibus publicis ac juribus Cæsaris reservatis, ad militarem curam veterum Spartæ regum Agidis Leonidæ, Archidami, Agesilai &c. quibus suprema Reip. potestas præcipue in togatis negotiis non fuit, satis superque elucescit;
79 indubium quoque despoticum sive barbaricum & æsymnetum regnandi genus huc non quadrare, quoniam utrumque liberæ est dominationis, illud quidem jure successionis, hoc electionis, priscis quibusdam Græciæ civitatibus usitatum, ut nostri Imperatores electi secundum leges regnant; heroicum insuper à temporibus nostris alienum, minus huc referri poterit, ut supersit solum genus quintum, quod universale diximus, idque applicari ad nostrum Imperium non adeò inconveniens videri debet; incumbit enim generalis cura Imperatori nostro, ut imperio & subjectis provinciis bene sit, quamvis curam istam universalis administrationis secundum le-
80 ges, non ex mero arbitrio in plerisque suscipiat. Itaque ut rem paucis complectar, nostri Imperii monarchia legitima est per se, sed non in sensu Aristotelis, utpote ad summum militiæ jus haud restricta, est etiam universalis, non quoad particularem provinciarum administrationem, quæ ad Principes & Ordines Imperii pertinet, sed quoad supremam potestatem, & eam universalem, quæ in neglectis Procerum Ordinumque provisionibus, velut justitiæ, rei monetariæ & similium juxta
81 leges Imperii exercenda est: Status igitur Reip. Romano-Germanicæ monarchicus est sensu declarato, sed quia ex prædeductis mixturam habet aristocraticæ administrationis, videamus, quomodo declaranda sit mixtio hæc politica? *Arnisæus* de

de Rep. c. 6.*sect.* 1.*n.* 20.*& sequ.* plures refert mixtionis Reip. modos, quorum duos priores, nempe in Imperio alterno, & plurium rerum publ. ipse *d.sect.* 1.*n.*21,22.*item n.* 25. rejicit tanquam impossibiles, miror v. adduxisse, quia in Politicis non entia rationis vel figuras chimæricas fingere convenit, sed ea referre, quæ in ipsis rerum argumentis obtinent, vel certè, quæ obtinere possunt. Succedit ergò tertius modus mixtionis, quando nimirum eadem majestatis jura diverso modo tri- 82
buuntur partibus civitatis diversis, v. g. ut summa potestas penes populum sit, auctoritas penes Senatum, *Cicero l.* 3. *de ll.* eaque forma Reip. veteris fuit apud Romanos, ut publica negotia legum ferendarum, pacis, fœderum, non nisi auctore Senatu, vel saltem Senatorio Magistratu, puta Consule, populique voluntate & jussu peragerentur; Verum hunc quo- 83
que mixtionis modum à se ipso *d.l.n.* 32. adductum rejicit *ibid. Arnis. n.* 34. putatque hanc speciem esse Reip. in quam patritii plebejique æquo jure, tali statu conspirent: Addit igitur modum quartum idem author *d.l.n.* 38. ubi diversa jura publica sunt penes, Regem, Senatum & populum, quo casu dum singuli de gradu perfectæ majestatis quicquam remittunt, ait eos ad temperatam mediocritatem amicè conspirare, & sic hanc solam agnoscit mixtionem Reip. veram. Sed 84
esse arbitror, quæ in Arnisæo varia desideres; nam 1. errare videtur, dum tertium modum mixtionis rejicit, quia quando eadem etiam majestatis supremæ capita alio & alio jure vel modo sunt penes diversos in Rep. gradum dominationis hi ipsi inæqualiter participant, adeoque status erit mixtus, cùm in republica simplici, votum unius Senatoris, si ea aristocratica sit, voto cujuslibet Senatoris, aut votum civis voto cujusvis concivis, si status popularis sit, per se & de jure æquipolleat, uti quidem in effectu argumentatur ipse *Arnis. d.l.n.* 35. non itaque tali casu conspirant participantes in Remp. ut in simplicem vel aristocratiam vel democratiam,

ſed ut in ſtatum ſingulorum juribus publicis convenientem &
85 conſequenter participatione exiſtente inæquali, mixtum. Deinde hic mixtæ Reip. modus non ſolo ſtatu Patritiorum & plebeiorum percenſendus eſt, ut Arniſæus *d. l.* declaravit, ſed maximè etiam in monarchiâ & ariſtocratiâ, ſi eadem majeſtatis jura alio & alio ſenſu ad Regem & ad Proceres vel Senatum referantur, idque nominatim in Imperio noſtro ſic ſe habere, non eſt, cur negemus, & mox dicam explicatius.
86 Eſt etiam, quod in quarto mixtionis modo notemus, videlicet ad ſtatum mixtum non requiri alia jura publica penes Regem eſſe, alia penes Optimates vel Senatum, alia penes populum, ſed ſufficere penes regem vel ſenatum diverſa eſſe,
87 ſive etiam penes Senatum & populum. Hæc ſi nunc applicemus ad noſtrum Imperium, utraque mixtio occurrit; nam jura reſervata ſolius ſunt Imperatoris, territorialia Statuum, quæ res reſpondet quarto mixtionis modo; aſt jura comitialia, velut legum ferendarum, belli, pacis, fœderum, collectarum &c. & ad Imperatorem pertinent & ad Ordines, juxta *d.* §. *gaudeant*, ſed certè alio atque alio ſenſu & modo; Imperatori etenim competunt, quatenus conſenſu poteſtatis obfirmantur, Ordinibus verò quoad auctoritatem deliberationis & conſenſum voti, quæ certè ſpecies conſenſus diverſæ ſunt, uti vel ex Rep. Romanâ veteri conſtat; nam ad Se-
88 natorium Magiſtratum, conſulem vel alium rogatio legis ſive auctoritas ſuadendi pertinebat, ad populum verò, & ſic ad multitudinem, poteſtas conſtituendi; uterque hic conſenſus neceſſarius fuit ad νομοθεσίαν & alia publica negotia; itaque nec
89 lex fuiſſet à ſolo conſule rogata ſine voluntate & juſſu populi, nec vicisſim hic juſſus absque auctoritate præviâ rogationis,
90 vim legis obtinuiſſet, idemque in cæteris; hinc veteres rogationum formulæ: Vultis, jubetis Quirites, hoc vel illud fieri? cujus rei exemplum Gellius exhibet in arrogatione *Noct. Att. lib. 5. c. 19.* & Livius aliud refert celebre in promulgatione

legum

gum decem tabularum, quibus posteà duæ tabulæ adje-
æ, & rogatio auctore Appio Claudio decemviro facta fuit;
r 3. histor. ut planè verissimum sit, in civitate Romana ve-
ri, & auctoritatem rogationemque Senatoriam, & populi
nsentientis jussum ad legislationem aliaque publica nego-
ex necessitate debuisse intervenire, idque etiam legis stri-
è acceptæ definitio probat, *ex* §. 4. *Inst. de jur. nat. gent. &*
v. Quæ cum ita se habeant, & prætereà Sacrorum jura ad Se- 91
tum vel certè ad pontifices de ordine Senatorio eligendos
lata sint, non hinc erroris coarguendus videtur Polybius,
m *lib.* 6. *hist. p. m.* 463. priscam Remp. Romanam asse-
it mixtam, sed quòd ex tribus imperandi formis, monar-
iâ videlicet, aristocratiâ & democratiâ, compositam tra-
lerit; neque enim consularis potestas in Republ. Rom. ad
gium culmen referenda est, quòd nec perpetua fuerit nec
prema; & quæ Grotius *d. c.* 3. §. 19. aristocratiæ objicit, exactè 92
n videntur probare Romæ veteris statum popularem sim-
cem, quia ratio illa administrationis publicæ, quâ leges ce-
aque hujusmodi negotia consensu auctoritatis Senatoriæ &
testatis popularis condebantur ac peragebantur, neces-
ia fuit, & more majorum pro fundamento status observan-
, adeoque licet penes populum suprema fuerit potestas, 93
nen Senatoria, ut sic loquar, auctorizatio ex causâ dictâ mix-
am qualitatis aristocraticæ invexit statui, quod in omni-
 ita obtinet, ubicunque administratio ipsa diversa, à su-
mæ potestatis jure quoad speciem, per leges vel consue-
ines Reip. est absolutè necessaria, quamvis aliàs ultrò con-
lam ex formâ administrationis, si ea à summæ potestatis
ideat mero arbitrio, jus publici status præcisè metiendum
a esse. Quicquid etiam tandem sit de Rep. Romanâ vete- 94
 certè Imperii moderni eam hodiè conditionem esse, ut
ministratio aristocratica sit de fundamento status publici,
d. §. *gaudeant*, & suprà deductis satis luculenter apparet,
ptereaque & tertius mixtionis modus ex Arnisæo suprà 95

 rela-

relatus respectu jurium comitialium nostro quadrat Imperio; eadem enim illa Majestatis capita legum, belli, pacis, fœderum, collectarum &c. Imperatori atque Ordinibus tribuuntur, sed diversimodè, & alio atque alio jure; quam rem cum deducere liceret ab origine Principatus Romani factisque Imperii translationibus in Francos & Saxones, ex ipso Recessuum Im-
96 perii Codice hodierno deducam, quorum formam si penitius inspiciamus, apparebit Imperatorem solum adhuc hodiè placita comitialia veluti legum potestate obfirmare, & ut paucis dicam, constituere leges; ea enim forma est Imperii Recessuum, ut Imperatoris solius nomen præmittatur: Wir Friederich / Wir Maximilian / Wir Carl der Fünffte / Wir Ferdinand / &c. & deinde quæ pro lege placuerunt con-
97 clusaque sunt in Comitiis, ejusdem Imperatoris, cujus nomen præpositum est, supremâ potestate, consuetis plerumque verbis: setzen / ordnen und wollen / sanciantur, Principum & Ordinum Imperii consensu, ut sic loquar, auctoritativo, per testimonia publicarum subscriptionum in fine cujusque reces-
98 sus subsequente. Quis igitur in tam claris publicorum negotiorum monumentis non videt Imperatori Sacratissimo supremam Reipubl. Romano-Germanicæ potestatem non tantùm verè, sed & soli competere, quamvis non arbitrio mero sive despotico. Ab unâ igitur parte culmine Politico
99 supremo salva perstat Majestas Cæsarea, ab alterâ Principum Statuumque Imperii præcelsa dignitas & libertas, subnixa legibus fundamentalibus Instr. Pac. & capitulationum, quæ mixtura aristocraticæ administrationis cum verâ monarchiâ ex deductis solido legum fulcro superstructa, pulchram harmoniam politicam, capitis majestate dignam, membro-
100 rumque fastigio & libertati convenientem inducit. Atque ex his patet, statum publicum Imperii nostri moderni & reverà monarchicum & mixtum esse, quoque sensu utraque hæc forma eidem tribui debeat, quæ omnia ex infrà dicendis, si cum his conferantur, tantò clarius elucescent.

TITU-

TITULUS III.

DE IMPERII ROMANO-GERMANICI PARTIBUS, FINIBUS ET CIRCULIS.

SUMMARIA.

N. 1. Imperii Romano-Germanici partes pro ratione temporum diversæ. 2. Francici Imperii divisio inter filios Carolinæ stirpis non induxit totalem separationem regnorum assignatorum, secus 3. Ibid. mutatio, quæ post Carolinos ætate Conradi I. Imper. contigit. 4. usque 10. inclus. Imperio hodiè non subjiciuntur Reges Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hungariæ, Succiæ, Daniæ, Poloniæ aliique plures. 11. usque 14. inclus. Conringianæ sententiæ circa fines Imperii summa quæ sit? 15. & 16. Imperii Francici veteris divisio nequit esse fundamentum finium Imperii Romano-Germanici moderni. 17. & 18. Germaniæ veteris fines non confundendi cum modernis finibus Imperii. 19. Sigonii locus de fine regni Italici & libertate Italis concessâ tempore Rudolphi I. Imp. adducitur. 20. usque 57. Sigonii sententia hæc examinatur ac refellitur, simulque ostenditur jus Imperii supremum ab ætate Rudolphi I. ad nostra usque tempora in Italiâ reliquum. 58. usque 66. Regni Neapolitani & Pontificiæ ditionis jus supremum usu & exercitio hodiè non penes Imperium esse, nec tamen Imperio penitus extinctum videri. 67. & 68. Hungariæ, Poloniæ, Succiæ, Daniæ Regna hodiè libera esse, nec Imperio subjecta. 69. Rhenus priscis Germanis terminus fuit, sed post mutatus, & quid hodiè in tractu ejus superiori obtineat. 70. Rheni tractu inferiore fines Imperii accessione Burgundicarum terrarum ad Mosam promoti. 71. usque 74. Hispano-Belgicæ Provinciæ ad Im-

Imperium pertinent. 75. *usque* 84. *Burgundica transactio supremum Imperii jus non sustulit in Belgio Hispanico.* 85. *&* 86. *Circulus Burgundicus hodiè est membrum Imperii, nec indiget ulteriori incorporatione.* 87. *usque* 97. *Belgii confœderati libertatis possessio vel quasi asseritur.* 98. *usque* 102. *Helvetiorum & fœderati Belgii Ordinum libertas actualis deducitur.* 103. *usque* 110. *Bohemiæ regnum, cum partibus adjectis Imperio adhuc subesse probatur.* 111. *Polonia, Massovia, Prussia & Livonia eximuntur ab Imperio.* 112. *exemptionis in materiâ consilium.* 113. *usque* 116. *Fines Imperii Romano-Germanici ac Germaniæ distinguuntur, & quinam sint?* 117. *&* 121. *Bohemiæ regnum pars est Imperii non propriè Germaniæ.* 118. *Fines Imperii & Germaniæ quatenus conveniant.* 119. *&* 120. *Fines æstimandi ex præsenti statu & quatenus.* 122. *&* 123. *Fines ab uno loco mutati non inducunt mutationem totius plagæ.* 124. *Circuli vox variè accipitur.* 125. *Circuli definitio, decem Imperii circulis communis, ejusque declaratio.* 126. *Circularis unio & pactitia differunt.* 127. *&* 128. *Circulorum origo & primævus numerus senarius.* 129. *Circulorum numerus auctus, ac decem constituti.* 130. *usque* 134. *Circulorum præfecti & adjuncti quinam sint.* 135. *Circulorum principes directores qui?* 136. *&* 137. *Arumæi sententia circulorum directores & præfectos confundentis refertur.* 138. *usque* 142. *Arumæi hæc sententia refellitur.* 143. *usque* 151. *Officii circularis directorii ac præfectorii differentiæ declarantur.* 152. *Directoribus & præfectis circuli negotia quædam communia.* 153. 154. *&* 155. *Text. Ord. Cam. p. 3. t. 48. & t. 49. nec non Rec. Imp. de Anno* 1654. §. wegen des *modi exequendi. &* § in welchem *termin, conferuntur.* 156. *Executionis actus non ad circulorum conventus, sed directoria pertinet.* 157. *&* 158. *Circularis officii directorii & præfectorii functio, quæ & circa quæ objecta versetur?* 159. *Circularis dispositio non tollit statuum immedietatem.* 160. *&* 161. *Circuli*

culi directoribus & præfectis regulariter non competit jurisdictio in status. 162. Circulares præfecti quo casu specialijurisdictionem habeant? 163. Legis executoriæ circularis scopus. 164. Ord. Cam. p. 3. tit. 49. §. 1. perpenditur. 165. & 166. Legis executoriæ auctor quis? 167. usque 170. Legis executoriæ summarius tenor refertur. 171. Circuli præfectus potest eligi extraneus. 172 usque 180. Circulares adjuncti num possint esse extranei: 181. usque 184. Circulorum adjuncti quotnam esse debeant? 185. Circularium præfectorum & adjunctorum juramentum. 186. Principes à juramento præfecti vel adjuncti eximuntur. 187. Præfecti militiæ officium in circulis est temporale. 188. Præfecto militiæ competit jus pacificationis circularis. 189 & 190. Præfecto militari ad defensionem circuli competit facultas collectæ circularis, sed non ultra triplum Matriculæ. 191. Circuli status requirente præfecto mittere debent copias ad defensionem publicam. 192. usque 195. Circularis defensionis nervi deducuntur. 196. usque 201. Circularis defensio quibus deficiat, quibusve mediis adjuvari queat? 202. Circularibus contributionibus nobiles aliique exempti sunt obnoxii. 203. & 204 Austriaci circuli partes quæ? 205. usque 208. Bohemia sub circulo Austriaco non comprehenditur. 209. Hungaria licèt hodiè successorio jure firmata, non est sub circulo Austriaco. 210. usque 215. Austriacus circulus uni domino subest. 216. Austriaci circuli directorium ad Archiducem Austriæ quà talem pertinet. 217. usque 221. Burgundicus circulus territoriis plerisque & jure directionis ad Hispaniæ regem spectat. 222. & 223. Lotharingiæ Ducatus quo sensu ad Burgundiam referatur in conventione Burgundica? 224. & 225. Geldriæ Ducatus sub distinctis circulis diverso tempore constitutus hodiè à fœderato Belgio eximitur. 226. Statibus Imperii non est arbitrarium, sub quô velint esse circulo. 227. 228. & 229. Circulus Rhenanus Electoralis quatuor continet Electores ad Rhenum & quos præ-

præterea status. 230 231. & 232. *Circulus Electoralis non continet alios Principes Palatinos præter Electorem hujus familiæ.* 233. 234. & 235. *Electorali circulo nullæ insunt urbes Imperiales.* 236. & 237. *Electoralis circuli directorium cui competat?* 238. *usque* 242. *Circulus Saxonicus superior quibus constet membris?* 243. 244. & 245. *Circuli Saxonici superioris directorium uni Electori Saxoniæ competit, & quâ verosimili ratione.* 246. & 247. *item* 251. & 252. *Circulus Franconicus quos Principes & Status complectatur.* 248. & 249. *Marchiones Brandenburgici non quà tales, sed quà Burggravii Norici sunt in circulo Franconico.* 250. *Hennebergici Comites, quorum extinctæ familiæ successerunt Principes Saxoniæ, habentur Principibus pares in circulo Franconico.* 253. *Circuli Franconici directorium officium penes quos sit.* 254. & 258. *Circuli Bavarici Status referuntur.* 255. 256. & 257. *Palatinatus superior cum vicinis Palatinorum Principatibus circuli est Bavarici* 259. *Circulo Bavarico ex Imperialibus civitatibus sola Ratispona inest.* 260. *Circuli Bavarici directoria functio quibus competat?* 261. *item* 269. 270. 271. *Circuli Suevici membra recensentur.* 262. *usque* 267. *Sodalitium de scuto vel clypeo S. Georgii declaratur & distinguitur ab Ordine equestri periscelidis.* 268. *Nobilitas ad tractum Hegau relata fuit inter membra circuli Suevici.* 271. *Circuli Suevici directores qui sint?* 272. *Circuli Rhenani superioris Status referuntur.* 273. *usque* 276. *Circuli Rhenani superioris variæ partes avulsæ enumerantur.* 277. *Circuli Rhenani superioris directorium quibus conveniat?* 278. *Principatus Simmerensis ac Bipontinus sunt ab origine Comitatus Sponhemii & Veldentiæ Principatibus æquiparati.* 279. *usque* 282. *Circuli VVestphalici membra recensentur. item* 283. & 284. *Circuli eiusdem directoria.* 285. *usque* 290. *item* 301. & 302. *Circuli Saxonici inferioris status referuntur.* 291. *usque* 300. *Slesvicensis Ducatus sub circulo Saxonico inferiori in*

con-

constitutione Carolina comprehensus, hodiè ipso usu exemptus videtur. 303. & 304. *Circulus Saxonicus inferior mari dicitur terminatus.* 305. & 306. *Circuli Saxonici inferioris qui directores?* 307. *Præfectorum circuli cur specialis enumeratio inconstans ac difficilis.* 308. *usque* 334. *Circulorum redintegratio hoc statu Reip. necessaria, & quæ ad eam requirantur?*

IT superiori capite originem Imperii variam pro ratione temporum ostendi, sic diversæ etiam respectu temporum l olim fuerunt, vel hodienum sunt partes ejusdem & fines; ım quod attinet partes, sub regno Francorum tres præcipuæ 1
:runt: Gallia, universa Italia & Germania: subsequentis ævi ıperatoribus post Carolinos ab initio Germania fuit, sed paupost Italia accessit, & sic duæ partes, Germania & Italia, prin- ıales nimirum extiterunt, non quòd Gallia tota Germanorum ıperio exempta esset, quia, ut Galliam Cisalpinam priscis ita ˈtam, quæ inprimis Lombardiam hodiè complectitur, taceaıs, pars insignis ex Galliâ Narbonensi & Celticâ Germanon Imperio accessit, sed quòd universa non fuerit subjecta vel ta, ut tempore Caroli magni & Ludovici Pii Imperatorum;
nè quamvis regna Carolinæ stirpis inter filios non uno exem- 2
divisa sint, aliique domino Germania, alii Gallia vel Italia gnata, tamen hæc non fuit totalis separatio tantorum regnoı, quæ emergentibus casibus denuò coalescere & successıe vel aliter reduniri facilè poterant; at postquam ætate 3
nradi I. Imperatoris Germania à Galliâ penitus fuit avulsa, ‹imè ubi accessione Italiæ & aliarum partium Occidentis nani subinde prævalentibus armis adaucta, Galliæ certe ıum ab Imperio Romano Occidentali prorsus distinctum
:it; & de hoc statu regni Galliæ vel Franciæ ejusque regi- 4
quæstio olim mota est, an subessent Imperatori & Imperio ro, quam equidem multi affirmandam censuerunt, moti

 præ-

præsertim argumento ex *l. ἀξίωσις 9. ff. ad l. Rhod. de jact.* ubi Imperator se dicit mundi dominum, atque sic glossa & qui eam sequuntur *in c. per venerabilem X. qui fil. sint leg.* Regem Franciæ de facto non recognoscere Imperatorem, asserunt *arg. not. in can. Hadrianus dist. 63. & can. in apibus. caus. 7. q. 1.* usque adeò, ut nonnulli tradiderint, Reges Franciæ, Hispaniæ & Angliæ mortaliter peccare, quòd non pareant Imperatori, prout ex *Host. in d. c. per venerabilem.* retulit *Felin. in c.*
5 *cum non liceat. n. 12. X. de præscr.* Sed certè argumenta talia minùs, stringere ex his facile intelligi potest, quæ *tit. prox.* dixi, nimirum non de orbe terrarum, sed orbe Romano, intelligendam *d. l. ἀξίωσις*; quòd si etiam aliter acciperetur, vel ab ipsomet Antonio Imperatore intellecta fuisset, non tamen Lex hæc Romana regibus & gentibus Imperio Romanorum non subjectis præjudicare potuisset, cum hoc ipsum & juri gentium adversetur, ut sc. exteri non subjecti alieni Imperii legibus obligentur, & ipsi juri Romano, quo v. g. Persarum Regi sua & regni asseritur libertas, *per l. mercatores 4. C. de commerc.* idemque confirmat ex novissimis legibus *Recessus Im-*
6 *perii de anno* 1654. §. anreichend 174. *ibi*; ausserhalb des Reichs / wo diese Constitution nicht bindig. Itaque contraria sententia, quæ his & aliis pluribus Europæ aliarumque partium mundi regibus in regnis suis supremum jus adstruit, receptiore doctorum virorum calculo recepta est, ita nempe pro Rege Franciæ Igneus *in pecul. Tract. Oldrad. conf. 69. per tot. Bertrand. vol. 3. part. post. conf. 157. n. 3. & 4. per text. d. c. per venerab.* pro Rege Hispaniæ idem *Oldrad. d. conf. Castald. Tr. de Imp. qu. 53.* quos aliosque plures refert & sequitur *Covarruv. in rel. c. peccatum. p. 2. §. 9. n. 9.* pro iisdem ac Regibus Neapolis, Angliæ, Portugalliæ, Hungariæ, Poloniæ, Sardiniæ, Siciliæ &c. post varios alleg. idem censuerunt *Azor. Inst. Moral. p. 2. lib. 11. c. 5. vers. Regem 4. Barbosa in d. c. per ve-*
7 *nerabilem. à n. 23. usque 29.* plane hanc assertionem actorum publi-

publicorum monumenta à multis seculis confirmant, quibus Imperatores nostri cum regibus exteris (de rebuspublicis superiorem non recognoscentibus idem judicium) per varias occasiones bella gesserunt, inducias vel pacem fecerunt, fœdera pepigerunt, & quæ similia sunt publica negotia tanquam cum gentium ipsis non subjectarum capitibus transegerunt, ceu docent exempla vetera Tullensium, Cameracensium &c. fœderum, recentiora etiam pacis Osnabrugensis ac Monasteriensis documenta, & adhuc recentiores Tractatuum Noviomagensium tabulæ, ut vel ab initio aliud vel saltem præscriptionis jus justo titulo magnorumque temporum intervallis 8
subnixum exteri reges pro libertate sua allegare possent, imò pro regibus exteris, (außländische Könige/ qui consequenter Imperio subjecti esse non possunt) referuntur nominatim Hispaniæ, Franciæ, Daniæ, Poloniæ & Sueciæ Reges *in rec. Imp. de anno* 1566. §. und da einiger Stand. 12. quæ sanè publica rerum testimonia longè firmiora arbitror privatis quorundam ratiunculis; quas libertati regnorum, ejusque præscriptioni solent obiicere, inter quos est ex Neotericis Marta *de jurisd. p.* 1. *c.* 20. *n.* 20. *cum seq. & c.* 21. *num.* 15. *& sequ.* qui dum post Innocentium, Abbatem & Imolensem ex hoc ipso, ne quis sit acephalus, concludere vult, reges subjectos esse, manifestam cum authoribus allegatis committit petitionem Principii; neque enim si quæstio est, an reges habeant temporale caput supra se, fundamenti loco illud, quòd acephali sint, h. e. sine capite humano superiori, pro certo & per argu- 9
mentum ab absurdo negandum est; sic etenim implicitè præsupponitur, Reges supra se humanum caput habere debere, de quo tamen quæritur, cætera etiam, quæ *d. l.* in argumentum affert Marta, levi viâ rejici possunt, nec subjectionem omnium regnorum vel reliquarum orbis partium, quam ipse intendit, solidè probant, licet nullus negem, par esse, ut ceteri Reges venerati- 10
one antiquæ majestatis comiter observent Imperatorem, verùm

hæc res non infert regibus subjectionem, nisi aliud forsan ex
legibus regni constet; & cur miremur, cum Resp. Romana
vetus non ab origine sua varia regna & diversarum gentium
Imperia tenuerit, sed successu temporum, & quidem jure vi-
ctoriæ pleraque acquisiverit, inque formas Provinciarum re-
degerit, collapsis rebus Romanis, potuisse occupatas à diver-
sis gentibus provincias versâ vice in formam regnorum redigi,
uti quidem præ cæteris in Hispaniâ, Galliâ, Britanniâ, imò
11 ipsâ Italiâ contigisse noscitur. Propius ad institutum hujus titu-
li pertinent, quæ Conring. habet *in erudito de fin. Imp. ope-
re.* Is *c.* 3. Principium Germanici Imperii finium deducit à so-
lenni & in historiis nominatissimâ divisione veteris regni Fran-
cici, quæ inter filios Lud. pii Imperatoris, Lotharium, Carolum
& Ludovicum suscepta & peracta est ita, ut Lothario Italia
cum Galliâ Narbonensi, (quæ pòst mutato nomine Lotha-
ringia dicta) Carolo Francia Occidentalis à Britannico ma-
ri ad Mosam usque, Ludovico Orientalis Francia vel Germa-
12 nia cum Pannoniis assignata fuerit; in cap. 4. primos regni il-
lius Germanici fines ex Witekindo Corbeiensi; addit, fuisse
Rhenum Illyrici & Pannoniæ fines, Eidoram item fluvium
versus Danos, & in fine capitis citati ait: Meritò dixeris, iis-
dem, quibus hodiè regnum Germanicum continetur fini-
bus, per illam solennem divisionem Francici Imperii ab Italia
illud fuisse divisum. Pòst cap. 8. Franciam quoque Occiden-
talem Germaniæ regibus subfuisse tradit, sed non nisi brevi
momento ac leviter, ita ut nihil solidi juris Imperio in eam
13 sit acquisitum. Cap. verò 9. 10. & 11. Cæsarei tituli & Italici Re-
gni accessionem ad Germanicum Imperium ex historicis mo-
numentis docet, tum cap. 12. ac 13. accessionem Burgun-
diæ & regni Arelatensis; à cap. 14. usque ad 19. Daniæ, Polo-
niæ & Hungariæ Regnorum fata præcipuè exponit idem au-
thor, qua ratione nimirum Imperio Germanico subjecta fue-
rint, & temporum successu iterum in libertatem asserta. Epi-
crisin

crisin per sequentia addit; in eâ conditione esse, quæ pontificiæ sedi ab Imperatoribus donata sint, quæque à Galliæ regibus in Burgundiâ, vel regno Arelatensi teneantur, ut repeti ab Imperio nostro possint, cùm sc. hodienum asserantur esse juris Imperii, quæ res fundamentum præbet repetitioni; cætera utcunque Imperio olim subjecta, quod mutatâ rerum facie iterum exempta sint, jam amplius restituenda non esse, nec jure repeti, in quibus Daniam cum Slesvicensi Ducatu, Hungariam, Poloniam, Borussiam, Massoviam ac Livoniam Scriptor idem censet. Atquæ hæc summam exhibent Conringianæ sententiæ per plura capita *Tract. de fin. Imp.* propositæ, in quibus etsi multa appareant satis accuratè deducta, aliqua tamen reperiuntur, quæ non æquè pronum inveniunt assensum; Primò etenim, cur Imperii nostri partes vel fines 15
traditutis initium aut fundamentum petendum sit à divisione regni Francici inter filios Ludov. pii. Imperatoris, nihil solidæ rationis perspicere licet, imò potiùs ratio in contrarium facit, quòd nimirum origo Imperii nostri, quâ ex suprà deductis regnum Germaniæ à Francis Occidentalibus, ad Orientales & mox ad Saxones planè separatum pervenit, recentior
sit divisione illâ Francici regni; deinde, quòd hæc facta sit 16
jure sanguinis in stirpe Caroli Magni, quæ ratio cessat in Regibus & Imperatoribus Germanicis diversæ stirpis, & idcircò Conradus Primus, Henricus Auceps, eorumque in Imperio Germaniæ successores, neque ad fundandam regni originem, nec ad constituendos fines jus quæsitum ex istâ divisione pro se allegare potuerunt, sed potius ex consensu Procerum & solitariâ defensione Germaniæ hostiumque Hungarorum expulsione, ut suprà deduximus pari argumento, quo propter Mauros propriis Hispaniæ Regum viribus depulsos pro libertate Hispanici regni utitur *Covarruv. loc. præcit.* Secundò 17
quâ ratione fines Germanici regni hodienum iidem sint cum veteri, quod in solenni divisione stirpis Carolinæ cessit Ludo-

vico Germaniæ Regi, non animadverto; nam non tantum ipse Conringius, quod & verum est, ex historiarum monumentis asserit, Italiam, quæ in suprà dictâ divisione Lothario obvenerat, subinde accessionem factam Germanici regni à Galliâ separati, sed etiam hodiè plerosque Italiæ Principatus atque urbes, imò ipsam urbem Romam ac Pontificiam ditionem, quæ vulgò venit nomine patrimonii divi Petri, ad jus Imperii pertinere, pluribus defendit, & per consequens necessariò dicendum est, fines Imperii Germanici, sive Romano Germanici moderni, non eosdem esse cum his, qui olim fuerunt regno Germaniæ tempore stirpis Carolinæ trimembri divisione, & à Galliâ & ab Italiâ se-
18 parato. Est autem hæc res accuratiore indagine utique digna & præsentis argumenti, quo in partes ac fines Imperii Romano-Germanici inquirimus; nam si ejus fines circumscribuntur limitibus solius Germaniæ, concesserim facilè, quod ad Italiam attinet, Alpes posse dici fines adeoque extrema loca Alpibus à nostrâ parte proxima terminos statui Imperii Germanorum moderni; quod si verò Italia ipsa, etsi non tota multis tamen partibus ad jus Imperii spectat, Alpes hisque finitima loca dirimunt quidem Italiam à Germaniâ, non verò ab Imperio Romano-
19 Germanico. Hisce in rebus inquirendæ veritatis materiam præbet Carolus Sigonius, qui *lib.* 20. *de regn. Ital.* finem regni sive supremi juris, quod Imperatores Romano-Germanici habuerunt in Italiam, adscribit temporibus Rudolphi I. Imperatoris. Verba Sigonii hanc rem concernentia *d. libr.* 20. ita habent: ***Hujus autem regni (Italiæ sc.) jura superioribus temporibus constanti populorum contumacia imminuta, ut primus ultrò alienâsse Rudolphus Cæsar dicitur, sic primus etiam viam aperuisse ipsius regni excidio existimatur; etenim Guelfas civitates ad obsequium redigere pristinum cupiens, ut in Italiam ad coronam Imperii accipiendam non venire, opportunis viribus destitutus decrevit, quòd diceret, se ineuntium Italiam vestigia cernere, exeuntium non videre, sequenti anno Princivallem Fliscum Genuensem Vicarium***

carium Imperii Generalem à ſe conſtitutum hujus officii gratiâ deſtinavit, cùm eius adventus omnium in ſe animos convertiſſet, ipſe in Etruriam progreſſus Florentiæ trans Arnum ad S. Gregorii ædem conſedit, ac Magiſtratus ad ſe Civitatum, NB. publico Edicto vocavit, qui NB. ubi venerunt, Rudolphi nomine antiquum, ac regibus NB. præberi ſolitum fidelitatis ab eis Sacramentum popoſcit, quod illæ vetere jam pridem uſurpata libertate prælatâ, diſertiſſimè præſtituras eſſe negârunt; Quâre auditâ irâ incenſus (Vicarius Cæſaris Princivallis) *extemplò Florentiâ ſe proripuit, atque Arretium profectus, Florentinos, Senenſes, Lucenſes, Piſtorienſes cæterosque populos contumaces pronunciavit, ac NB. ſolenni Edicto proſcripſit; inde cum ſe a Guelfis deſertum, Gibellinis v. ſuſpectum, quia cum Guelfis aliquando ſenſerat, ac propterea parum rei ulli adminiſtrandæ idoneum eſſe videret, protinus ad Rudolphum in Germaniam ſe recepit, ac difficultates oblatas revocandæ ad regiam auctoritatem Etruriæ retulit; quibus Rudolphus permotus, atque opibus ſuis, ſi arma vellet adhibere, diffiſus, vetus Ei obſequium remittere, atque NB. integram Italiæ libertatem concedere ſtatuit, ſi certam, quâ maximè indigebat, pecuniam pependiſſent, atque eundem cum his mandatis in Italiam ſe referre præcepit; is profectus populos regiæ voluntatis NB. ac gratiæ ſtatim admonuit, quaque ipſe poteſtate inſtructus rediiſſet, edocuit; quod ubi illi cognoverunt, confeſtim ſinguli, qui luce libertatis aliqua fruebantur, indictam pecuniæ ſummam ſolverunt, ac libertate redempta, præcipua ad eam rem privilegia elicuerunt.* Hæc l.c. Sigonius 20

Verum narrationem iſtam de excidio regni & libertate Italiæ pretio redemptâ ſuſceptiſque hoc intuitu pro Cæſare Rudolpho pecuniis, ſubleſtæ fidei eſſe, *Conring. d. tract. de fin. c.* 23. rectè probat, & ex circumſtantiis haud difficulter perſpicere licèt; primò enim eandem coarguit defectus tabularum, cùm veroſimile minime ſit, Italos tantam rem adeò negligenter habituros fuiſſe, ut obtentam pretio libertatem non curave-

raverint Cæſareis tabulis firmari, id quod tamen probabili-
ter contrà accidit, cum ex tabulis fide dignis hanc rem li-
teris non conſignaverint ſcriptores, ſed traditione, ut vide-
21 tur, populari. Ipſe Sigonius *l. c.* idem haud obſcure fatetur,
dum, *hoc verò*, inquit, *non ſolùm Italici, ſed etiam Germa-
nici Scriptores memoriæ commendârunt, quorum verba
NB. pro tabulis, quas nanciſci nequivimus afferemus*; at-
que ita recitat & in teſtimonium adducit relationis præmiſſæ
Scripta Blondi, Platinæ, Trithemii, Cuſpiniani, Cranzii & Nau-
cleri, qui tamen non ſimiliter rem geſtam tradiderunt; nam
Blondus, Cuſpinianus & Cranzius, ita referunt, quaſi Princival-
lis in Italiam cum novis mandatis remiſſus, omnes qui pecuniam
dediſſent, libertate conceſſâ dimiſerit, & NB. Imperii fideles
pronunciaverit, quam fidelitatis pronunciationem Platina,
Trithemius & Nauclerus prorſus omiſerunt; planè Cuſpi-
nianus ſignanter ait: Id profectò NB. omnes atteſtari, quòd
ab omnibus pecuniam acceperit libertate conceſſâ, & Imperii
22 fideles pronunciaverit; neque verò parum refert, adjecta ſit
illa clauſula fidelitatis Imperii, an omiſſa in actu conceſſæ li-
bertatis, quia ſi adjectam ponimus, magnum argumentum
hinc eſt, conceſſionem libertatis non fuiſſe plenam & omni-
modam; quorſum enim dimiſſi in libertatem, Imperii fideles
pronunciati eſſent, niſi Imperio manſiſſent ſubjecti, ut vel
ſola hæc fidelium nomenclatio ſcopum & intentionem totius
negotii nobis aperiat, videlicet populis Italiæ non liberta-
tem attributam, ſed probabiliter veniam edicti proſcriptio-
nis, quo eos juxta Sigonium Princivallis ante conſtrinxerat,
datam, dum Imperii fideles iterum nominarentur, & forſan
23 etiam juramenti præſtationem, cujus denegatio cauſa pro-
ſcriptionis fuerat, pecuniâ remiſſam, quæ res falſâ credulita-
te & malâ conſequentiâ ad omnimodam exemptio-
nem jurisdictionis Imperii extenſa eſt; nec enim utique ſe-
quitur: hæc vel illa civitas Imperatori non præſtat juramen-
tum, ergo Imperatori vel Imperio non eſt ſubjecta, contra-
rium

rium vel Argentoratensis civitatis exemplum antehac docuit, quæ contra regulam civitatum Imperii homagium Cæsareæ Majestati ex veteri allegatâ consuetudine non præstitit, & tamen Imperatoris superiorem jurisdictionem recognovit atque in fide ejus & Imperii fuit, pari ratione, ut & feudalis ju- 24
ris interpretes ad substantiam feudi, non necessariò vasalli juramentum, sed obligationem fidei requirere solent. Quicquid sit, illud plane certum est, non ad universam Italiam, sed ad certas civitates, maximè Tuscas, eam libertatis vel plenæ vel aliqualis redemptionem pertinuisse; nam & suprà nominati scriptores, certorum tantùm populorum, præsertim Etruriæ, meminerunt, qui libertatem adepti sint, & ipse Sigonius mox subjicit: Ab Adolpho Cæsare, Rudolphi successo- 25
re, Matthæum Vice Comitem Vicarium Imperii perpetuum in totâ ditione Mediolanensi constitutum fuisse, quod certè fieri nec potuisset nec debuisset, si jus omne Imperii Germanici in Italiam, etsi huc collimare videantur verba suprà ex Sigonio relata, imperante Rudolpho Primo jam fuisset extinctum. Eaque maximè confirmant sequentium tempo- 26
rum gesta, inprimis Henrici septimi Imperatoris expeditio Romana, quam præ ceteris pulchrè descripsit *Lehmann. lib. 7. Chron. Spir. C. XI. p. m.* 737. ubi ita inquit: Die Stadt Meyland und andere in der Lombardey haben den Kayser (Henr. Sept.) gutwillig angenommen/ und eine stattliche Summa Gelds NB. von den hinterstelligen unbezahlten Reichs-Hülffen/ welche die Kayser NB. jährlich von ihnen empfangen sollen/ bezahlt und gelieffert; & paulò pòst: Der Kayser hat zu Meyland Veron, Parma und Mantua NB. seine Obristen und Regenten eingesetzt; Auß der Lombardey hat sich der Kayser nach Genua begeben/ ist NB. von der Stadt stattlich empfangen und angenommen worden/ von dannen gen Pisas verruckt/ darinn die Burgerschafft mit grossem Pracht den Kayser auffgenommen;

nommen; Indem er sich in der Stadt Pisa auffgehalten/ wird er durch der Columneser Bottschafft gen Rom seine Reiß zu befördern erinnert/ darumb er fortgefahren/ die Stadt Viterbium unterwegs eingenommen und besetzt; Pabst Clementis Obrister samt den Welffen haben dem Kayser den Paß zu der Stadt Rom zu versperren unterstanden/ aber das Kayserl. Kriegs-Volck ist den Feinden obgelegen/ durch allen Gewalt in die Stadt Rom kommen; Demnach dem Kayser durch GOttes Hülff sein Vorhaben mit gutem Glück von statten gangen/ hat der Pabst denen Cardinälen die Crönung deß Kaysers verbotten/ die Brieff sind uffgefangen und dem Kayser gelieffert worden/ darauß er des Pabsts Betrug öffentlich befunden; aber durch Anstifftung der Columneser ist die Burgerschafft zu Rom/ so dem Kayser NB. sich gutwillig untergeben/ in Rath der Cardinälen eingefallen/ und sie mit Betrohung dahin bracht/ daß sie die Kayserl. Crönung befördert/und auff den 1. Aug. 1312. fürgenommen und verrichtet; & inferiùs de discessu Cæsaris ex urbe Româ, sequentia annotavit Lehmann. Nach seinem Abzug auß der Stadt/ hat er Graf Hugonem von Bucheck und Stephanum Columnam zu Obristen NB. zu Rom gesetzet/ welche hernach denen Gwelffischen obgesieget/ und die Stadt NB. gantz ins Kaysers Gewalt bekommen. Der Kayser ist wider in die Stadt Pisa verreißt/ hat NB. alle Fürsten in Italiâ dahin beruffen/ und sie vermahnt/ daß sie NB. die schuldige Tribut hinfürter dem Reich solten leisten/ er wär nicht gemeint inskünfftig daran einigen Nachlaß zu verstatten. Hernach in gemeiner Versammlung der Stände des Reichs/ Königs Roberti zu Apulien feindliche Handlungen wider Seine Maytt. und das Reich zu berathschlagen/ fürgetragen/ darauff geschlossen/ im bestimmten Termin, durch rechtmässige Ladung denselben

an

an den Kayserl. Hof zu beruffen; demnach aber der König des Kaysers Befehl verächtlich gehalten / haben die Reichs-Fürsten (sc. Regni Italiæ) nach reiffer Erwegung des Königs Verwürckung erkandt / daß er hierum umb Leib und Leben / Land und Leut zu verdammen / inmassen auch alsbald die Achtserklärung Ao. 1313. den 25. April öffentlich außgeruffen worden. Wie solches in Annal. Rebdorff. edit. *Freh. ex Alb. de Ros.* von Wort zu Wort zu lesen und wol in acht zu nemmen; das Datum stehet: Actum Pisis in præsentiâ nostrorum Principum & Baronum ac populi multitudine numerosâ 7. *Cal.* Maji Regni nostri Anno 5. Imperii v. Anno 1. Hactenus Lehmannus. Eandem hujus Imperatoris expeditionem in Italiam, sed breviter, descripserunt *Aventin. lib. 7. Chron. tit.* Rom-Zug *p. m.* 479. *Carion.* (aut potiùs ex epistolâ dedicatoriâ Peuceri Melanchton) *lib. 5. Chron. pag.* 866. *& seq. Dresser. Millen. 6. pag.* 389. *ac* 390. *Cluv. in epit. histor. p. m.* 560. *&* 561. aliique plures. Ex quibus constat, Henricum Septimum Imperatorem in variis ac præcipuis Italiæ locis varia exercuisse & insignia jura Majestatis, veluti exactionis contributionem in civitatibus Lombardiæ, ac Thusciæ; constitutionis Magistratuum iisdem locis ac Romæ; Comitiorum publicorum, dum Principes ac Proceres Italiæ Pisas convocavit deliberationis gratiâ, qui & comparuerunt; judiciorum, dum in consessu Ordinum Italiæ non cognitionem tantum suscepit de causâ Roberti Apuliæ ac Siciliæ Regis, sed eundem etiam læsæ Majestatis condemnavit; quam sententiam condemnatoriam, cum toto processu Imperatoris Henr. VII. adversus regem Robertum, licet nullitatis redarguat Pontifex Clemens Quintus *in Clem. Pastoralis per tot. de re jud.* tamen inficias ire non potest, exercitium supremæ jurisdictionis Imperialis in hac causâ, quin ultrò fatetur sententiam in Pisanâ civitate dictam, nec ex loco sententiam pronunciantis Pisanæ sc. civitatis, sed ex loco rei condemnati,

27 28 29

quòd nempe extra fines Imperii in Siciliâ constitutus fuerit,
prætensam nullitatem arcessit, ergò vel confessione ipsius
Pontificis constat, Henricum Septimum Imperatorem jus
dixisse in Italia, sc. Pisis, & quidem in causâ arduâ contra Ro-
30 bertum Regem, quæ omnia certè liquidò demonstrant, cùm
Romæ coronatus sit Henr. Septim. ibi Mediolani & in aliis
Italiæ urbibus vicarios constituerit, comitia Principum Pro-
cerumque Italiæ Pisis habuerit, judicia agitaverit, collectas
Imperii nomine exigi jusserit atque injunxerit, jus Regni Ita-
lici in personâ Rudolphi I. Imp. extinctum minimè fuisse,
adeoque Sigonium *l. c.* contrà sentientem haud dubiè per-
31 vinci erroris. Eademque jura in successores Imperii devo-
luta, non fuerunt sequenti tempore obliterata; nam proxi-
mus Henr. Septimi successor Imperator Ludov. IV. quem &
Bavarum historici curiæ præsertim Romanæ fautores nomi-
nant, à Principibus & Ordinibus evocatus cum exercitu ve-
nit in Italiam & Mediolani Romæ coronatus pro arbitrio
ea, quæ ad Imperium vel Rempubl. pertinere viderentur,
constituit, nominatim Petrum de Corbatio monachum Or-
dinis discalceatorum contra Joh. XXII. sub nomine Nicolai V.
ad Pontificatum assentiente Clero & populo evexit. *Lehnm.
lib. 7. Chron. Spir. c. 14. Aventin. lib. 8. Chron. rubr.*
von dem Rom-Zug Kayser Ludwigs. *rubr.* wie Kayser
Ludwig zu Rom empfangen / geweyhet / demnach Augu-
stus genennt wurd. *& rubr.* wie die Geistlichkeit zu Rom
Pabst Johannem absetzten / einen Barfüsser zum Pabst
wehlten / und Kayser Ludwig / als ein Beschirmer der Kir-
chen / solches außschreibet und bestätiget. *Dresser. Millen.*
32 *p.m.* 393. *&* 394. Ludovici IV. Successor Carolus Quartus Im-
perator Italicas res etiam curæ suæ duxit, quod arguunt Impe-
rii nomine susceptæ coronæ; nam & Mediolani & Romæ
coronatus traditur, *Dress. d. Mill. p.* 401. cujus filium Wen-
33 ceslaum Imperatorem, etsi non legamus Italicas res præsentem
admi-

administrâsse, vel Mediolani aut Romæ coronatum, negari ta-
men haud debet, vicariâ operâ in rebus Italicis usum; eo enim
tempore Joh. Galeatio Duci Mediolanensi ab Imperatore Vi-
cariatum Italiæ commissum non tantum refert, sed & legitimè
pluribus tuetur magnæ auctoritatis JCtus Baldus *fol.* 1. *cons.* 34
226. *& cons.* 228. *per tot. add. Chron. Carion. lib.* 5. *p.* 940.
n. 30. Quin hæc res, & quòd Wenceslaus Vicarium Mediola-
nensem fecerit Ducem Mediolani & Comitem Papiæ, refertur in-
ter causas depositionis ejusdem Imperatoris, in sententiâ Ele-
ctorum apud *Gold. p.* 1. §. 1. *p. m.* 158. Isque Joh. Galeatius
posteà pro Wenceslao etiam per Septemviros Imperii exaucto-
rato stetit, Comitemque Palatinum Rheni Rupertum electum
in locum Wenceslai Regem Romanorum in Italiam profici-
scentem prohibuit, & in Germaniam reverti compulit, *Avent.
d. l.* 8. *rubr.* wie König Ruprecht in Italien zog. *p. m.* 511.
Chron. Carion. d. l. 5. *n.* 20. *&* 25. Ac licèt proximi successo- 35
res Ruperti Sigismundus & Albertus Secundus Cæsares dome-
sticis impedimentis præclusi res Italiæ minus curare potuerint,
expeditionesque ad coronam suscipiendam intermiserint; Fri-
dericus tamen Tertius novâ religione incensus, ut scribit *Dres.
in Millen.* 6. *p.* 427. Romam anno 1469. pervenit, imò coro-
nationis gratiâ eò profectus, ibidem à Pontifice coronatus est,
quam rem descripsit *Facius lib.* 9. *histor. p. m.* 339. hisce verbis:
Fredericus, (*ex præced. pag.* 338. Romanorum Imperator ter- 36
tius hoc nomine) *unà cum illâ* (Imperatrice Eleonorâ) *Ro-
mam sui coronandi causâ petiit, adventantibus omnis pro-
pè civitas, magnaque Cardinalium pars honoris gratiâ sese
obviam effudit, & quoniam suspicio Pontificem & Cardi-
nales ceperat, ne eò animò adventaret, ut eorum statum
atque opes imminueret &c. Pontifex accitis in urbem
copiis & opportunis quibusque locis præsidio firmatis in-
ter militum equitumque stationes ad se proficiscentem &
ipsum cum armatis equitibus ad gradus templi Apostolo-
rum Principis, ubi eum præstolabatur, comiter excepit, co-*

ronamque auream pro vetere ceremoniâ atque instituto capiti ejus imposuit, & in palatii parte hospitio admisit. Qui
37 actus certò demonstrat, Fridericum tertium Imperatorem fuisse in quasi-possessione Imperii non solum per Germaniam, sed & per Italiam, cui propterà iter facienti tanti à populis & civitatibus leguntur exhibiti honores lautiaque data Ferrariæ, Bononiæ, Pisis, Senis aliisque in locis, *vid. Faeius d. p.* 338. quamvis enim Pontificis coronatio juxta deducta cap. præcedentis, non tribuat jus Imperii, nec sit investitura vel concessio feudalis, quod & Ludovicus Quartus Imperator de consensu Principum Procerumque Germaniæ, Comitiali Lege
38 declaravit, tamen argumentum bonum est à coronatione Pontificiâ ad quasi possessionem Imperii, quòd Pontifices Romani more majorum haud consueverint auream coronam, velut Imperii tesseram, capiti alicujus imponere, nisi Imperatoris Romani per Principes Germaniæ electi, id quod haud obscurè etiam (quamvis cum grano salis plura accipienda sint) fatetur ipse Pontifex Innocentius tertius *in c. venera-*
39 *bilem* 34. *X. de elect.* Friderici Tertii successor filius Maximilianus Primus Imperator, jus Imperii per Italiam variis locis pro viribus asseruit coronam Romanam, quò minùs acciperet, multis impedimentis exclusus fuit, cujus sanè tempore Sabaudiæ, Mediolani & Ferrariæ Ducatus, Marchiam Montisferrati, item civitates Italiæ insignes ad supremum jus Imperii Romano-Germanici pertinuisse, haud difficulter colligere licet ex his, quæ scripta reliquit Guicciardinus *lib.* 3.
40 *hist. p.* 301. *lib.* 4. *p.* 388. *lib.* 7. *p.* 655. *lib.* 8. *p.* 720. & 721. Cumque tunc temporis Florentini, cujus civitatis forma ætate Maximiliani adhuc Respublica fuit, pòst in Principatum conversa, à Pisanis dissiderent, Imperator idem per Oratorem suum Florentinis denunciavit: Velle se eandem ob causam, & quia id ad Cæsaream auctoritatem pertineret, illorum cum Pisanis controversias cognoscere, ideoque cupere, ut, donec

ipse omnium rationes audivisset, ab injuriis abstineretur, quemadmodum Pisanos facturos certò sciret; quibus idem mandâsset, seque ad jus omnibus æquè reddendum paratum esse, *Guicciard. d. l.* 3. *hist. p.* 307. Etsi verò Florentini tectis arti- 41
bus Politicis, ut videre licet ex his, quæ in contextu suæ historiæ *d. l.* Guicciardinus refert, tergiversati fuerint, tamen ausi non sunt Imperatori hoc jus ipsum cognitionis ac decisionis in controversiam vocare, adeoque per hæc & similia apparet, nec Maximiliani I. Imperatoris tempore, jus Regni Italici fuisse penitus extinctum. Ejus nepos & successor Carolus V. Imperator, inter gravissima bella, quæ cum Francisco I. Galliarum Rege cum Pontifice Clem. VII. cum Mediolanensium Duce Franc. Sfortiâ & Venetis in Italiâ gessit, nihil eorum intermisit, quæ ad asserendum supremum Imperii jus facere posse viderentur. Cumprimis v. quadruplicis generis actitata in Italicis Caroli V. 42
historiis notari merentur: 1. Eorum, quæ contra Pontificem Clem. Septimum; 2. Eorum, quæ contra Galliarum Regem Franciscum Primum gesta fuerunt. 3. Eorum, quæ contra Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem, quæque contra Florentinam Remp. gesta attinent; primo loco relata, duo continent notabilia: (1) Juris supremi Pontificii per Hispaniam in Ecclesiasticis auctoritate Carolinâ factam abrogationem. (2) Pontificis Clementis captivitatem & transactionis leges. De primo sic scribit Guicciardinus *lib.* 17. *histor. p.* 628. *Cæsar* (Carolus 43
Quintus, de quo loquitur) *in Hispaniâ edicta quædam contra SS. sedis auctoritatem promulgârat, quorum vi cum ipsius imperio subjectis sacerdotiorum, quæ in illis regnis essent, causas in Romanâ curiâ disceptare non liceret, quidam Hispanus scriba Romanum forum* (*Rotam illi vocant*) *cò die, qui causis agendis est destinatus, ingressus, nonnullis ut à litibus eo in foro persequendis desisterent, Cæsaris nomine denunciare est ausus.* Ex quibus colligere possumus ipsum Im- 44
peratorem Carolum Quintum ejusque Proceres non censuisse

à jure

à jure divino esse Pontificis per orbem terrarum prætensam supremam potestatem Ecclesiasticam, aliàs in regnis Hispaniæ verosimiliter eam non abrogâssent; sed hæc incidenter dicimus, cuilibet suum relinquentes judicium. Alterum, nempe
45 captivitatem Clementis Septimi & transactionis leges, quod attinet, videndus similiter est *Guicciard. lib.* 18. *histor. p.* 782. ubi Pontificem cum tredecim Cardinalibus solutâ etiam pactionis pecuniâ Cajetæ vel Neapoli remansuros, &, quid Cæsar porrò de ipsis statuerit expectaturos spopondisse, eaque lege con-
46 venisse refert; Gesta secundi ordinis regis Francisci cladem Papiensem & captivitatem complectuntur, de quâ *Guicciardinus lib.* 15. *histor. circa fin.* legendus, tum pacificationem subsecutam, quâ rex Cæsari multa promisit, sed pòst malè ser-
47 vavit, capita pacis conventa refert idem *Guicciard. lib* 16. *hist. p.* 608. 609. 610. & 611. Gesta Caroli Quinti Imp. adversus Franciscum Sfortiam, tertio ordine præmissa, auctoritatem Cæsaream respiciunt in præliminaribus & investituram ipsam Mediolanensis Ducatus; auctoritas Cæsarea singulariter observata fuit, in legatione; nam cum fœderatorum legati, qui in Aulâ Cæsaris Caroli V. fuerunt ob negotium pacis, irrito conatu discederent, ait Guicciardinus, Mediolanensium Ducis Oratori
48 tanquam HOMINI suo, mandatum fuisse, ne ab Aulâ discederet. *lib.* 18. *histor. p.* 817. Singulariter etiam Cæsarea auctoritas evidens fuit ex cognitione causæ, cujus intuitu Franciscus Sfortia coram Carolo V. imperatore comparuit, quam rem ita descripsit Guicciardinus *lib.* 19. *hist. pag.* 934. *Franciscus Sfortia statim, ubi Bononiam venit, se coram Cæsare sistens, ei de ipsius lenitate, quòd sibi, ut se adire liceret, facultatem dedisset, gratias egit, seque ipsius æquitate tantopere fretum esse, ut ob ea omnia, quæ priusquam à Pisca-*
49 *rio*(Marchione & Duce exercitus Cæsarei) *in Mediolanensi arce includeretur, gesta fuerant nullam aliam cautionem præsidiumve, quàm propriam innocentiam exoptaret, idcirco*

quod

*quod ad ea attineret, liberè se fidei ab eo acceptæ renuncia-
re, & hæc dicens literas, quas manu tenebat, ante Cæsarem
projecit, quæ res ei valdè grata fuit.* Concessus quoque Sfor- 50
tiæ fuit Ducatus Mediolanensis à Carolo V. Imperatore, sub con-
ditione tamen magnæ pecuniæ persolvendæ, quam rem literis
consignavit Guicciardinus eodem contextu, dum ita transactum
scribit: *Franciscus Sfortia Cæsari intra annum quatuor mil-
lia, decem autem annorum intervallo, quinque millia, h. e.
singulis annis quingenta auri pondo solvito; interea v. Co-
mum & Mediolanensis arx in Cæsaris potestate sunto, isque
ea Francisco Sfortiæ primi anni pecuniâ acceptâ statim tra-
dito; præterea Cæsar Imperii (sc. Mediolanensis) diploma
ei dedit, vel jam anteà datum confirmavit &c.* posteà extin-
ctâ penitus familiâ Sfortianâ idem Imperator Mediolanensem
Ducatum filio Philippo Hisp. regi in feudum nomine Imperii
concessit, *Reink. de Reg. I. Sec. lib.* 1. & 2. *c.* 2. *n.* 150. à quo
tempore quidem ad Reges Hisp. Mediolanensis ditio transiit,
sed salvo jure Imperii supremo, hinc in Rec. Imp. Noriberg. de
anno 1542. §. Und wie nun 3. Ducatus Mediolanensis vocatur
Cæsareæ Majestatis & S. Imperii dominium, Ihro Kayserl.
Mayst. und des H. Reichs Eigenthum. Post quas res gestas 51
idem Imperator Carolus Quintus, non quidem Romæ, sed
novo exemplo Bononiæ à Pontifice coronatus est. Guicciard.
lib. 20. *hist. p.* 942. Quin & in civitate Florentinâ, quæ gravi-
ter obsessa priùs in has deditionis leges convenerat, Reip. for-
mam constituit *Guicciard d. l.* 20. *p.* 949 & 955. atque eidem
Ducem Cosmum præstituit *Thuan. l.* 32. *hist. p.* 160. Nec
hoc loco prætereundum inter Pontificem & Ducem Ferrarien-
sem circa controversias Mutinæ & Regii à Carolo V. Impera- 52
tore jus dictum, ceu refert *Guicciard. d. l.* Quis verò ex tot
tantisque rebus gestis neget, etiam Caroli Quinti ætate su-
perfuisse adhuc in Italiâ Imperatori Romano-Germanico re-
gni jus supremum, quamvis idem non omnibus partibus, quas

I ab

ab antiquitate habuerat, permanſerit integrum. Caroli V. in Imperio ſucceſſores quatuor proximi, Ferdinandus Primus, Maximilianus Secundus, Rudolphus Secundus & Matthias Italiam, aliis negotiis præpediti, minùs curaſſe videntur, niſi quòd Ferdinandus in cauſâ Marchionis Finarienſis & civitatis Genuæ, cognoverit & judicaverit contra Remp. Genuenſem. Limn. *de jur. publ. tom.* 1. *c.* 9. *n.* 33. & quod in Matthiæ capitulatione mentio habeatur de feudis Imperii in Italiâ alienatis explorandis *art.* 9. *verſ.* vornemlich auch. quæ clauſula deinde in Capitulationibus Cæſareis regiisque ſubſequentibus ad hanc uſque ætatem repetita eſt; neque dubitandum,
53 conceſſiones feudorum Italiæ, ſi caſus renovationis contingerent, hactenus obſervatas; ſic Sabaudiæ Duci Victori Amadeo inveſtitura Montisferrati conceſſa à Ferdinando Secundo Imperatore, item Carolo Nivernio, Principi poſt varias concertationes bellicas deprecanti captam anteà ſine conſenſu Imperatoris & abſque inveſtiturâ poſſeſſionem Mantuæ Ducatus in feudum Imperii datus. *Waſenb. de bell. Ital. p.* 231. *Inſtr. Pac. Cæſareo-Gall.* §. *Cæſarea Majeſtas.* 95. ubi Imperatori Ferd. Tertio paris inveſtituræ jus de Montisferrato & §. *item conventum.* poteſtas judicandi inter Duces Guaſtallæ &
54 Mantuæ de ſex millibus ſcutorum annuorum controverſis competens declaratur; Eadem Imperii jura poſt obitum Ferdinandi III. in Leopoldum invictiſſimum Imperatorem noſtrum devoluta eſſe, ſcrupulo omni caret, extatque inſignis locus in ipſius *Capitul. art.* 4. ubi tria notari merentur: 1. Vicariatus Italiæ modernus, qui Sabaudiæ Duci Lege publicâ obfirmatur; quem etiam Ducem Principem ſuum & membrum Imperii vocavit olim Carolus Quintus Imperator in *præfat. Receſſ. Imp. de anno* 1544. 2. Montisferratenſis inveſtitura iisdem legibus, quibus hoc Imperii feudum Ferdinandus Secundus Imperator Victori Amadeo Duci conceſſerat, ſtabilita. 3. Juſſus Cæſaris noſtri Auguſtiſſimi in Ducem Mantuæ; verba Ca-

pitu-

pitulationis, quam vocant, emphatica sunt; Dem Hertzogen von Mantua aber von Käyserl. Macht und Gewalts wegen / alsbald ernstlich befehlen / auch ihne durch gehörige Mittel / würcklich dahin anhalten ꝛc. Ex quibus, 55
nisi omnia fallunt, satis perspicitur, Imperio Romano-Germanico adhuc hodiè accessionem esse Italiam, quamvis multis partibus jure vel injuriâ nunc non discutiemus imminutam; nam adhuc hodie Imperii nostri per Italiam Archicancellarius est Coloniensis Elector & Vicarius Sabaudiæ Dux; feuda recognoscuntur insignia ab Imperatore, qui etiam jurisdictionem habet & emergentibus casibus judicia exercet. Quò equidem collimat *Ferd. III Imperatoris Ord. Aul. tit.* von *Relation* der *Acten &c.* 5. §. 1. circa fin. ubi hæc leguntur: und dann gegen unsern klaren Lehen-Rechten denen *allegirten* aber nicht zu Recht probirten Lehn-Gebräuchen / sonderlich NB. in unsern Käyserl. Welschen Lehnsfälligkeiten nicht zu viel in relatione noch decisione deferiret werden. Quibus 56
verbis jurisdictio Cæsarea in feudis Imperii per Italiam haud dubiè asseritur, eaque etiam res usu servatur, dum hodienum vasalli Itali in Aulâ Cæsareâ comparere debent, aliàs de jure suo, maximè dum de recognitione feudorum quæstio est, periclitantur. Sic anno 1665. Malaspina Marchio, quòd feuda Suveri & Montis Simonis debito tempore non recognovisset, per edictum citatus fuit ad videndum, se incidisse in pœnam privationis, qui etiam, ut moram purgaret, cursu equorum publico Viennam pervenit, purgaturus moram ac denuò impetraturus investituram. Igitur Italiæ ea pars, quæ 57
veteribus Insubriæ, pòst Lombardiæ nomine venit, pluresque civitates Tuscæ ex auctoribus suprà relatis ad jus Imperii hodienum pertinere, haud dubiè affirmaverim; nam subindè jura Imperii exercitio servata fuisse, nec intermedio tempore, quo ab Imperatoribus per varia obstacula cessatum, præscriptio supremi juris secundùm omnia requisita completa vel fuit,

58 vel compleri potuit. De regno autem Neapolitano & terris Pontificum ambigua magis res est ; illud enim etsi tempore Henr. Septimi Imperatoris ex suprà allatis adhuc Imperio subfuisse dicendum sit, certè tamen jam per seculi non unius decursum à solo recognoscitur Pontifice in feudum, hinc exercitium directi dominii ejus regni hoc rerum statu penes solum Pontificem, utilis v. penes regem Hispaniæ esse videtur. Quoad terras Pontificias & sic dictum patrimonium divi Petri non minus constat, usum supremi dominii penes
59 Pontificem esse, non v. æque an jus ipsum ? Solent quidem huic juri, qui Pontificum partibus hac in re student, duos titulos prætexere, Imperatoriæ sc. concessionis, tum præscriptionis, quorum prior, sive illum ab antiquâ fabulâ donationis Constantini Primi Imperatoris, quam tota series historiæ Romanæ sequentium temporum refellit, sive à concessione Caroli Magni vel successorum Imperii arcessamus, aut fictitius est, aut ita comparatus, ut supremo Cæsarum juri in urbem Romam & regiones appertinentes, nihil deroget, sicut latè ostendit Conringius *de fin. Imp. Cap. XX.* ubi similia in fine adducit ex Anton. *de Rosellis. lib. de monarch.* eoque argumento & interpretatione uti malim adversus allegationes concessionum, quarum tabulas ex Bzovio recitat Conringius
60 *d. c.* 20. Nam alterum, quod ex defectu consensus Ordinum Imperii petitur, subvereor satis tutum asserere intuitu temporis, quòd priscâ illâ ætate leges, quas recentiores capitulationum dicunt, in puncto consensus Ordinum circa alienationis non ita expressâ dispositione videantur obfirmatæ, vel certè usu contrario hac parte obliteratæ, de quâ re suo loco ex-
61 actiùs. Nec secundus ille præscriptionis titulus, ex omni parte rem pro jure Pontificio absolvere videtur, tùm quòd supremum jus Imperii ab eo, qui Imperatoribus olim subfuit, præscribi nequeat, *Covarruv. in rel. cap. possessor. part.* 2. §. 2. *n.* 9. *&* 10. *de Reg. jur. in* 6. *Cabed. p.* 2. *decis. Lus.* 65. *n.* 7.

quo

quo loco regno Lusitaniæ ait nullam præscriptionem etiam immemorialem absque donatione aut sententiâ ad acquirenda regalia jura valere; tùm etiam quòd præscriptionem im- 62
memorialis temporis rei alienæ scientia impedire soleat, per *c. fin. ubi comm. can. juris interpretes. X. de præscr.* Quæ res licet in præscriptione publicâ Imperiorum & regnorum usu aliter servetur, uti pro jure Pontificum scripsit *Bellarm. l. 5. de Rom. Pont. cap.* 9. relatus à Conringio *d. tract. de fin. c.* 21. tamen in hac quæstione constat, jus Imperii superiori ævo variis actibus per Cæsares nostros non in Italiâ tantum cæterâ, sed Romæ etiam assertum, adeoque possessionem vel quasi Pontificis toties fuisse interruptam, ut non sine scrupulo facti præscriptio immemorialis ex tali possessione vel quasi allegari videatur. Quicquid verò sit de præscriptione ejusque comple- 63
mento circa hæc nostra tempora, certè ne compleatur ex continuatâ rerum Romanarum cessatione subverendum arbitror, cum post Carolum V. Imperatorem etsi non Italicas res reliquas, ut suprà ostensum, Romanas tamen omissas esse, inficias ire haud possimus, plane nomen Cæsaris Romani retentum præscriptioni jurium Imperii vel retrò obstitisse vel in futurum complendæ satis obstaturum esse, minus verosimile apparet, quandoquidem nomina interdum servantur mutatis rebus, quod in jure nostro civili nomen juris Quiritium 64
ostendit, *l. un. C. de nud. jur. Quir. toll.* & philosophia exemplo præturæ Romanæ, quæ priscis magna potestas, posteà merum nomen fuerit, apud Severin. *Boeth.* docet *l. de consol.* ut adeò minus firmum argumentum pro jure Imperii in bonis Pontificum, à retento titulo Cæsaris Romani suppeditare videatur Conringius *d. tract. de. fin. §. principio enim.* præsertim si ea conferamus, quæ ipse scribit *d. tract. c.* 19. ubi, *Sed nec facilè*, inquit, *probaveris, Cæsari hodiè titulo Cæsareo ullum tale plenum dominium convenire; esto enim, fuerit illa Cæsarum olim potestas, hinc tamen colligere non licet, hodieque il-*

 lam

lam supereſſe, etſi ita argumentari videas ſic ſatis multos; nam utique ut Romanorum omnia, ita etiam Cæſarum jura mutationibus ſunt obnoxia, nihil in his æternum, perinde ut nec in aliis humanis rebus. Hæc Conringius. Quæ ſi ita ſunt, non animadverto, cur argumentum à nomine vel titulo Cæſaris Romani per ſe multum valeat in quæſtione juris Imperii circa urbem Romam & bona à Pontifice poſſeſſa, quia in his,
65 ut in cæteris, ſimilis utique ratio eſt. Neque à jure coronationis Romanæ, niſi quatenus in actum deducitur, efficax argumentandi vis petitur; etſi enim planè conſentiam, vi electionis Germanicæ competere Cæſaribus in partibus non avulſis ſupremum jus tùm Germaniæ tùm Italiæ, certè tamen coronatio Pontificia argumentum præbet indubium Regiæ ac Cæſareæ poteſtatis in Imperio Romano Germanico, ſive ex hypotheſi (licèt falsâ) Pontificum, quaſi illa coronatio ſit ſolennis infeudatio juris Imperii, ſive ſi ex verâ ſententiâ tantùm ſit publica
66 declaratio juris Cæſarei per electionem quæſiti; ſed hoc ita, ſi, ut, dixi in actum deducatur; tunc enim procedet, quòd rectè *d.c.21.* Conringius annotavit: *non eſſe fas alicui coronam capere, niſi, ubi eidem ſumma poteſtas competat.* Ergò ſi de ſolâ habilitate paſſivâ ſuſcipiendæ coronæ ſermo ſit, hæc utique non ſufficiet ad conſervandum ibi jus, quod coronato competeret, vel ex coronatione declaratum foret. Itaque ſecundùm hæc dicendum erit, etſi jus ſupremum non extinctum videatur, tamen poſſeſſionem ejus vel quaſi in Romanis partibus ſc. cum evidentia facti contrarium oſtendat, Imperio non ita
67 supereſſe, aut ſaltem ut olim non cenſeri indubitatam. Hungariam atque Poloniam hodiè non eſſe juris Imperii, ex aliis ſuprà dixi; & argumenti loco eſt, quòd cum illis regibus, dudum tanquam cum exteris in puncto aſſiſtentiæ contra Turcas actum ſit, ceu docet Rec. Imp. de anno 1500. rubr. **Wie man mit denen Königen zu Hungarn und Polen der Türcken halben handlen soll.** imò Statuum Imperii, quod ad regem Hun-

Hungariæ attinet, libertatis habetur publica confessio in Rec. Imp. de anno 1566. & §. und da einigem / über voriges. Sueciæ & Daniæ regna itidem libera esse, constat, ac publico testi- 68
monio d. §. und da einer. jam dictum atque adeò extremitates Germaniæ, versus illa regna, sive partes continentis sint sive maria, sive flumina, in illis oris erunt fines, nimirum versus ortum & septentrionem; versus occasum priscis Rhenus ter- 69
minus fuit, ac Trans-Rhenanæ regiones ad Galliam spectabant, sed temporibus posterioribus, Germaniæ cesserunt; hodiè verò, ut de dudum ademptis regni Arelatensis partibus nihil dicamus, Alsatiam & Lotharingiam Galliarum rex occupavit, sed hæc res facti est, neque in his provinciis Imperio jura sua extincta sunt, speramusque fore, ut cum hostis necessariam pacem quærat, Imperio ablata restituere teneatur; atque hic est status modernus terrarum ad Rhenum in districtu superiori; partibus inferioribus fines veteres Imperii fuerunt, 70
accessione terrarum Burgundicarum ad Mosam promoti, verùm hodiè confœderatorum Belgii Ordinum septem provinciæ, in statu exemptionis ab Imperio versantur, Hispanicum verò Belgium multis locis per Gallos deminutum; sed quia occupatione bellica hæc contigerunt, jus Imperii nondum censeri debet abolitum, usque dum Imperatoris, Principum & Statuum consensu legitimè abdicetur; neque dubitandum est, 71
provincias Belgicas, quæ Hispaniæ regi subsunt, ad Imperium jure pertinere, quicquid in contrarium nonnulli afferant, interque illos Barbosa *in d. c. per venerabilem n.* 31. de Comite Flandriæ; nam licèt à Galliæ rege Comitatum Flandriæ recognosci tradat *Guicciard. lib.* 12. *histor. p. m.* 148. certè tamen Flandriam quoque Imperialem dari, quæ supremam olim agnoverit Imperatorum potestatem, ex *Guicciard. in descript. Belg. p.* 256. annotavit *Limn. tom.* 1. *jur. publ. c.* 9. *num.* 32. & sic Flandriæ Comitissam Margaritam, feudalibus terris 72
juxta Scaldim Alostensibus, de Wasia &c. ab Imperatore Wil-

Wilhelmo privatam; easque in feudum Imperii pari jure concessas fuisse Joh. Avennio Imperatoris Sororio, retulit *Goldast. tom. 2. const. p. m.* 82. Quam quidem rem haud parum confirmat, quòd Maximilianus Primus, cum adhuc rex Romanus & ex captivitate Flandriæ dimissus esset, judicaverit, haud obstante pace, quâ obstrictus fuerat, integrum sibi esse Ordines ac civitates Flandriæ impugnare, quòd jura Imperii iisdem illis locis recognoscere nolint, weil die von Flandern deß Reichs Gerechtigkeit in dem Land über der Scheld oder dem Land Alst nicht erkennen und gestehen wolten/ uti
73 scripsit Emanuel à Mettern *lib. 1. hist. Belg. p. m.* 11. Reliquæ etiam provinciæ Belgicæ ex quo sub imperium Burgundiæ Ducum concesserunt communi inferioris Burgundiæ nomine (Nider-Burgundische Landen) dictæ, sub jure Imperii Romano-Germanici utique fuerunt & adhuc sunt; constituunt enim aliquem ex decem circulis, nempe circulum Burgundicum, ut videre est ex constitutione Maxim. I. in rec. Imp. de anno 1512. §. darauff haben wir. ibi: und Burgund mit seinen Landen auch einen Zirckel haben. Et ex const. Carol. V. de anno 1522. in Erklärung des Landfr. §.
74 der Burgundisch Creyß. Est autem utique optimum argumentum ab illo complexu sub circulis Germanicis de quibus mox dicendum est, ad supremum jus Imperii Romano-Germanici, quòd sc. quæ terræ vel provinciæ sub circulis & legibus circularibus Imperii comprehenduntur, illæ eædem terræ atque provinciæ ut partes jure supremi Dominii ad Imperium pertineant; eaque res post leges hasce publicas minus
75 dubia visa est, donec idem Imperator Carolus V. subsecuto tempore nomine provinciarum Burgundicarum Principibus & Ordinibus Imperii novam pactionem, quæ vulgò apud Germanos scriptores dicitur der Burgundische Vertrag inisset, quâ conventum, ut provinciæ Burgundicæ, quæ nominatim etiam exprimuntur à jure Imperii superiori, solo contribu-

tributionum Imperii articulo excepto penitus sint exemptæ, fit hujus pactionis mentio & publicatio *in Recessu Imp. de anno* 1548. nachdem dann 67. cujus integer tenor referturà *Wehn. lib. 6. Symph. Gylm. p.* 39. *usque* 44. *& Limn. tom. 5. jur. publ. c. 2. n.* 50. verba hæc punctum exemptionis 76
concernentia sunt valdè emphatica: Es sollen auch unser Nieder-Burgundische Erblande mit ihrer Zugehör sonst (extra sc. contributionem Imperii) gantz freye ohneingezogene Land und Fürstenthum seyn und ewig bleiben / und von uns als Röm. Käysern und Königen / auch Churfürsten / Fürsten und Ständen des H. Reichs / freye und ohneingezogene Land und Fürstenthum / Superiorität und Principat erkandt werden / und nicht weiter dann zu Einziehung der Aufflag / wie oben und hernach geschrieben stehet / zu unser und des Heil. Reichs Jurisdiction gezogen und erfordert werden / noch des H. Reichs Ordnung / Satzungen und Abschieden / ferner dann wie oben und hernach vermeldet / mit ichtem verbunden seyn. Quâ pacti Burgundi- 77
ci dispositione salvâ necessariò dicendum foret, quicquid terrarum Burgundicarum est, hoc omne penitus ab Imperii jure superiori esse exemptum, neque provincias istas amplius Imperio subjectas, sed tantùm lege fœderis realis sub certâ contributione eidem unitas. Verùm concordiam istam (Bur- 78
gundicam nempe pactionem) Principes aliquoties impugnâsse & in Camerâ contra regem Hispaniarum tanquam Burgundiæ Ducem mandata de non offendendo decreta, velut in causâ Dietrich von Gellern contra d. Regem *Wehn.* refert *d. p.* 39. qui eodem contextu hæc addit: Cum referens Mandatum de non offendendo bey einer nahmhafften Pön decernendum diceret, alius Dominus (Assessor Cameræ) communi formâ decernendum evincebat; se enim anno 1550. interfuisse dem Fürsten-Rath / da die Burgundische Verträg nicht allein impugniret / sondern gar für nich-

K tig

79 tig gehalten; cui alii addebant, utut transactio valeret, eam de subditis Ducis saltem intelligendam, Burgundiæ verò Ducem pro suâ personâ tanquam Imperii vasallum non esse
80 exemptum. Sed sanè uti hoc per se rectè dici arbitror, Imperii vasallum debere recognoscere Imperatorem superiorem ipsumvè Imperium, ita idem salvis verbis pacti Burgundici antè relatis minùs rectè asseri censeo; Ducis enim nomen relativum est de jure feudali ad Ducatum, uti Comitis ad Comitatum, vel Marchionis ad Marchiam, ex 2. *F.* 10. *ubi comm.*
81 *feudalis juris DD.* hoc explicant; ergo si Ducatus Burgundiæ, si Comitatus Flandriæ præsuppositâ validitate pacti ab Imperio planè foret exemptus, haudquaquam Dux Burgundiæ vel Comes Flandriæ quà talis esse vel censeri posset subjectus, idemque in cæteris omnibus. Non igitur salva subsistentiâ pacti Burgundiæ Dux respectu cujuscumque provinciæ suæ, omnes enim includuntur sub verbis præmissis, intelligi potest Imperio subjectus; sed hoc idem posteà controversum apparuit, nec præter rem, quia vi-
82 gore ipsius pactionis terræ illæ sub circulari dispositione remanere, & quatenus feudales fuerunt ab Imperio ut prius recognosci debuerunt, quæ certè cum omnimodâ exemptione à supremo jure Imperii stare non posse videntur; deinde si autographum hujus pacti eâ forma conceptum est, quam exhibet Wehnerus *l. c.* ex universis Imperii Proceribus & Ordinibus certi quidam nomine sui collegii, ut circa finem asseritur, requisiti sigilla sua adjecerunt; at, hanc requisitionem & mandatum, quo ceteri Proceres ac Status tanto negotio consensum dederint, typis expressum non legimus, ipsumque pactum à solo Carolo V. Imp. & ex mandato ipsius à Sebastia-
83 no ejus temporis Electore Moguntino subscriptum. Sed qualitas hujus negotii requirebat utique subscriptionem non ex mandato Cæsareo vel regio Hispanico; erat enim Carolus V. Imperator & rex Hispaniarum pars una paciscens, pars altera Imperium, sive cœtus Ordinum Imperii, quorum nomine &

com-

ommiſſione conveniebat Moguntinum ſubſcripſiſſe, non ut 84
rmula habet ſubſcriptionis : ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium. Quicquid verò tandem ſit, & vel maximè aſſertum quis iret, legitimisque rationibus pervinere poſſet, pactum iſtud de abſolutâ exemptione Burgundicarum regionum ab Imperio prorſus eſſe validum, nihilominus hodiè exemptio illa planè ceſſaret propter *inſtrumen-* 85
tum Pacis Cæſareo-Gallicæ, cujus §. *& ut eo ſyncerior*. 3. De circulo Burgundico hæc verba habentur : *Circulus quidem Burgundicus ſit maneatque MEMBRUM IMPERII*, quæ quin plus importent fœdere ſimplici, utcunque reali, dubio omni caret; nec enim fœderati nullâ ratione ſubjecti membra Imperii dici poſſunt, ſed planè ſunt extranei; quod ſi inter membra Imperii lege publicâ ac verbis diſpoſitivis qua- 86
mcunque terrarum diſtrictus expreſsè comprehenditur, neceſſariò illas terras, ſub Imperio, eidemque ut ſic loquamur, incorporatas eſſe oportet, & conſequenter Imperatorem tanquam ſupremum caput Imperii recognoſcere ſuperiorem, neque ulteriore incorporatione provinciarum Burgundicarum opus eſſe videtur, quando publicæ pacificationis tabulæ, quæ illas membrum Imperii eſſe aſſerunt ſtatuuntque, eam in rem abundè ſufficiunt. Accedit publica confeſſio legati Burgundici in his ipſis comitiis anno 1676. geminâ vice emiſſa, nimirum & in voto & in literis ad Status Imperii, ubi circulum Burgundicum, Ordinum noſtri Imperii vocavit Conſtatum, Provincias Burgundicas Imperii provincias, *teſte Lundorp.* *tom*. 10. *act. publ. pag*. 382. *&* 392. De Belgio Confœderato quæſtio exemptionis ſuccedit, quam negativè reſolvendam 87
ſuadent non contemnendæ rationes: (1) quod ſine dubio provinciæ Batavorum, ſub circulo Burgundico partim etiam in Weſtphalico vigore d. conſt. Carolinæ comprehenſæ fuerint, priusquam à cæteris & dominio regis Hiſpaniarum eſſent ſegregatæ. (2) Quòd Deputati Ordinum Belgii, cum an-
 no 1575.

no 1575. Bredæ cum regiis Hispanicis Commissariis de pace agerent, & inter cætera capitula proponeretur, uti milites extranei ex terris illis dimitterentur, responderint, se Gallis,
88 Anglis, Scotis & Germanis militibus ad defensionem usos esse, sed dimissuros, quanquam ex his Germani, pro extraneis non habendi, quòd regiones istæ pro Comitatibus ac Dynastiis Imperii semper fuerint agnitæ, verba apud *Metteranum* eâ de re hæc habentur, im fünfften Buch der Niderländischen Historien ad annum 1575. p. 767. wiewol unter diesen die Teutschen keines wegs sollen für frembde geschätzet werden / sintemahl obgedachte Niderlanden jederzeit für Graffschafften oder Herrlichkeiten des Reichs gehalten
89 worden; quæ certè insignis erat confessio propria, quamvis Hispanicis Commissariis, uti paulò pòst p. 269. idem *Metteran.* annotavit, contradicentibus emissa; Verum enim, dixisse Deputatos Ordinum confœderatorum, satis apparet ex his, quæ solidè ex monumentis historicis probavit Conring. *d. tract. de fin. Imp. c.* 28. quòd si fortè ad Burgundica pacta respexerint regii illi ministri, quid in his desideratum sit, desiderarivè possit, ex Wehneri traditis & paulò priùs adductis haud
90 difficulter animadverti potest; accedit 3. Testimonium publicum ipsorum Ordinum confœderati Belgii ex literis Bruxellensibus ad Maximilianum Secundum Imperatorem & Status Imperii 2. Octobr. anno 1576. transmissis, quibus de variis militum Hispanorum insolentiis & excessibus conqueruntur, quòdque per illos in eam sint redacti miseriam & paupertatem, ut nec propriæ defensioni nec solvendis Imperio de-
91 bitis contributionibus sufficiant, verba apud *Metteranum lib, 6. hist. Belg. ad annum* 1576. *p.* 301. *& seq.* literas istas referentem hæc leguntur; also daß sie (die Hispanische Kriegs-Völcker) diese Landschafften (nemlich die Niederlande) welche zuvor allerdings einen unglaublichen Uberfluß hatten / und an Kauffhandel und Schifffahrten sehr mäch-
tig

tig waren / in kurtzer Zeit außgeraubet / und in die äusserste Armuth und Elend gebracht / ja so viel nicht übergelassen haben / daß wir (die Staten solcher Niderlanden) die gebührliche Steur dem H. Reich leisten / oder uns selbsten wider den täglichen Anfall der Feinde hätten beschützen können / nec minus 4. Argumentum ex subscriptione harum literarum peti posse videtur, quæ apud *Metteran. d. l. p.* 304. expressa est his verbis: Ew. Käyserl. Maytt. und des Heil. Reichs Stände / Unterthänige und Zugethane / die Staten des Niderlands / quibus & erga Imperatorem subjectio, & erga Status Imperii ex jure Constatus addictio subintellecta existimari potest. Verùm cum hæc contigerint ante tempus, 92
quo Batavi Ordines fœderati bella cum exteris suo nomine gesserunt, pacem fecerunt, fœdera contraxerunt, leges & edicta in provinciis illis promulgârunt, similiaque negotia publica, quæ ad Majestatem politicam pertinent, ut Status liberi peregerunt, non ausim affirmare, eos adhuc hodiè cum provinciis suis ad jus supremum Imperii pertinere; nolim tamen pro plenâ & indubiâ libertate Batavorum, quantum ad 93
jus attinet, celeberrimi Conringii argumento uti, desumpto à promissione servandæ pacis ac bonæ vicinitatis, quæ Imperatori Ferdinando Tertio gloriosissimæ memoriæ adscribitur, dum articulum quinquagesimum tertium pacis inter Hispaniæ regem Philippum quartum & Batavorum Ordines Generales conventæ auctoritate Imperatoria confirmavit ratamque habuit; etenim concordia pacisque observantia repro- 94
mitti etiam illis potest, in quos aliquod jus repromittenti competit; nec idcircò, quia v. g. Carolus Quintus Imperator pacem fecit cum Clemente Septimo Pontifice, ejusque observantiam sanctè repromisit, ex ipsius Conringii sententiâ, quippe qui hodienum jura Imperii in Pontificias ditiones, ut suprà retuli, propugnat, dicendum esset Imperio jus supremum fuisse remissum; potest nimirum, ut paucis me expe- 95

diam pactum colendæ pacis bonæque vicinitatis, titulum dare possessionis vel quasi supremæ libertatis, jus ipsum verò, nisi aliud sit expressum, minimè, sc. cum juris tanti totalis abdicatio claro consensu ejus vel eorum, penes quem vel quos ista est potestas, niti debeat, nec eâ in re dubia pacto vel confirmatione stabilitæ amicitiæ ac bonæ vicinitatis interpretatio,
96 videatur sufficere; planè Imperator Ferdinandus Tertius ipse in eadem confirmatione dicti articuli pacis sensu valdè restricto loquitur, dum tantùm istum articulum, non alia capitula pacis, & quatenus ad ipsum hæc res pertineat, confirmavit, additâ ulteriore restrictione in verbis; *pro nostrâ parte*, quæ arguere videntur, confirmationem illam fuisse ad personam
97 confirmantis restrictam; deinde consensus quoque Ordinum Imperii subsequi debuit, an hic verò legitimè obtentus sit, me sanè latet; in omnem tamen eventum, quia hic consensus non foret juris superioris expresè abdicativus, pax verò, concordia & amicitia vicinitatis, etiam cum de jure subjectis, qui sunt in quasi-possessione libertatis, servari colique possit, præter titulum aut qualitatem possessionis vel quasi supremæ libertatis, ut ea vitiosa non sit, haud quicquam con-
98 cessum videretur, quemadmodum Basilea civitas, & universa Helvetia, *art. 6. Instr. Pacis Cæsareo Suec.* in possessione vel quasi plenæ libertatis & exemptionis ad Imperio declaratur constituta, consentientibus nimirum Imperatore & Ordinibus nostri Imperii, ast hæc: rempublicam aliquam esse in possessione vel quasi plenæ libertatis, vel plenè liberam, quando prius, factum possessionis tantùm respicit, posterius jus ipsum involvit, invicem valde differre alibi declaravi, in *synops. jur. gent. c. 10. n. 13. & seq.* Itaque non dubito & Helvetiorum Cantones, quos vocant, & Batavorum Ordines Generales fœderatos, rationibus præmissis, in possessione vel quasi omnimodæ libertatis constitutos, cujus intuitu concordia cum Imp. bonæque vicinitatis leges aliaque publica pactis firmari queant,

salvo

salvo manente, si quod superest Imperio, suo jure; An v. ta- 99
le aliquod jus in possessores plenæ libertatis adhuc Imperio competat, non est facile vel affirmare vel negare propter ambiguas facti circumstantias; quamvis enim tabulæ exemptionis vel abdicati supremi juris Imperii, inter publica monumenta hactenus non repertæ allegatæque fuerint, & sic fundamenta expressæ concessionis deesse videantur, & quod ad Batavos attinet, literæ Ferdinandi Tertii Imperatoris ex præmissis eam in rem haud sufficiant, tamen videri potest jus ipsum supremum præscriptum esse, dum Batavi jam ultra seculum Hel- 100
vetii longè diutius ac per tria secula, & quod excurrit, in possessione supremæ libertatis versantur; verùm quia non satis constat, possessionem hujus libertatis fuisse perpetuò quietam, nec unquam interruptam, sed potius contrarium; nam & Maximil. I. Imp. Ludov. XII. Gall. regi Helvetiorum subactio- 101
nem certis conditionibus offerenti, denegavit consensum, quod ea natio Germanica sit, & ad Imperium pertineat, ut refert *Goldast.* in Reichshandlungen. *p. m.* 56. Imò ipsimet Helvetiorum Cantones tempore electionis Caroli Quinti Imp. claris verbis fatentur, se esse Status Imperii nostri in literis ad Moguntinum Electorem, quas exhibet idem *Goldast.* in Reichshandlungen. *p.* 200. 201. *&* 202. planè Helvetios in Camerâ antehac sæpè conventos ex ipso illo *art.* 6. tabularum *pacis Cæsareo-Succ.* apparet. Neque Batavorum recentiorem possessionem vel quasi omnimodæ exemptionis ab Imperio ac libertatis plenæ, nullo unquam actu contrario interru- 102
ptam vel inde à Ferdinandi Tertii Imperatoris tempore juris Imperii præscriptionem penitus absolutam indubitatò asserere vereor, quod hac in quæstione factum concernente, quid interea nempe hinc inde contigerit, tutius videatur nihil præcisè determinare, ac sufficere debet, ipso usu propter tot pacificationum, fœderum, tractatuum publicorum exempla, quæ apud Londorpium & alios Scriptores passim extant, tum Helvetiorum

tiorum Cantones, qui exteris regibus adjunguntur in *d.* §. und da einiger.rum Batavorum Ordines generales, ad quos consensu Imperatoris & Statuum Imperii solennis legatio de pace cum Hispanis ineundâ decreta fuit in Comitiis anno 1594. §. darauf dann. 43. & §. dieweil dann. 45. pro rebusp. exemptis liberisque haberi, adeoque terras iisdem subjectas inter partes vel fines Imperii actu ipso referri non amplius posse.

Bohemiæ regnum non tantum ab antiquo historiæ testantur Imperio subjectum & feudum ejus fuisse, sed hodie-
103 num etiam esse negari non potest; nam, (1.) ut antiquiora omittamus, Carolus Quintus, Imperator, vocat Prælatos, Duces, Principes ac Proceres Bohemiæ Sacri Imperii fideles, ipsumque illud regnum Romani regni membrum nobilius, in suâ confirmatione, *de elect. reg. Bohem. apud Goldast. tom.* 1.
104 *Const. Imp. p.* 342. idemque (2) probatur ex diversis ejusdem Caroli Imperatoris Aureæ Bullæ textibus, velut *tit.* 7. de successione primogeniti in secularibus Electoratibus, sub quâ dispositione, quin regnum Bohemiæ comprehendatur, dubio caret, non tantum ex generalitate verborum illius textus, sed quia expresse sub regula successionis primogeniti filii Electoralis repetitâ nominatur, *in A. B. tit.* 24. §. *decernimus.* (*al. tit.* 25.) atque sic etiam ex articulo unionis Electoratuum secularium cum jure, dignitate & officio Electorali, argumentum peti potest, pro subjectione regni Bohemiæ, respectu Imperii, quia subjacet edicto Imperiali, quod ibidem san-
105 citur, unde manifestum est Bohemiam Imperio subesse; Sed & hoc idem pervincitur ex *tit.* 26. (*al.* 27.) *Aur. Bull.* quo loco generaliter statuitur, Principes Electores Ecclesiasticos & seculares, dum feuda sua sive regalia ab Imperatore vel rege (sc. Romano) recipiunt, hoc intuitu nihil teneri præstare; quæ res dubio procul ad regem quoque Bohemiæ pertinet, ergo hic vasallus Imperatoris est, & regnum Bohemiæ Imperii feudum,

feudum. Accedit (3) clarissima Ferdinandi Secundi Cæsaris 106
confessio, quam in deductione pro jure hereditario regni Bohemiæ referente Lundorpio *P. 1. act. publ. c. 114. p. 765.* expressit hisce verbis: Zwar ist nicht ohn/daß die Böhmen dem Reich nicht immediatè, sondern dem König unterworffen/ welcher dem Käyser unterworffen ist / von deme er das gantze Königreich Böhmen mit der Chur-Stimme und das Ertz-Schencken-Ampt / wie auch andere Marggrafschafften und Fürstenthum zu Lehen träget und empfähet.
Idemque confirmat (4.) evidentior rerum usus, dum constat 107
plurium & veterum & recentiorum concessionum exemplis, Bohemiæ reges fuisse de regno suo ab Imperatoribus investitos, cujusmodi quidem exempla varia collegit Conring. *in prælaud. tract. de fin. Imp. c. 29. vers. jam verò notum est, p. m.* 130. & ex eo retulit Limn. *ad Aur. Bull. tit. 7. §. 3. obs. 11.* Quin publicum quoque testimonium adjicitur in præall. deduct. pro Imp. Ferdinando II. apud *Lundorp. d. l.* verbis
hisce paulò præcedentibus: Und daß da gesagt wird / vom 108
König Matthiâ, Ferdinando und dem Hauß Oesterreich / daß sie solche Belehnungen nicht in Acht genommen / ist der Warheit nicht gemäß. Dann König Ferdinandus der Erste hat vom Kayser Carolo Quinto zu Augspurg dieses Lehen empfangen; König Matthias hat durch vier von den obristen Officianten zweymal um die Belehnung bey dem Käyser Rudolpho angehalten / und König Ferdinand. (der Zweyte) hat vom Käyser Matthiâ dem ersten indult, nachmahlen auch die Belehnung über das Königreich Böhmen
empfangen / und sind die Originalia vorhanden; Planè no- 109
tabilia sunt verba, quibus Matthias tunc Bohemiæ rex Imperatori Rudolpho Secundo pro concessione regni Bohemiæ sese ad juramentum fidelitatis obtulit; ea exhibentur à *Carpzov. de Leg. Reg. German. c. 5. sect. 11. n. 18. & Myl. in add. ad Rümlin. super A. B. p. 3. dissert. 6. th. 16.* Et sic habent: dagegen bin ich (König Matthias) erbötig / gewöhn-

wöhnliche Gelübd und Ayd zu præstiren Ew. Kays. Maytt. und dem Heil. Röm. Reich / umb solche Verleihung / getreu / gehorsam und gewärtig zu seyn / Ew. Kayserl. Maytt. für meinen rechten Lehenherrn zu halten / und alles zu thun / was einem Ertz-Schencken und Churf. des H. R. Reichs zu thun von Rechts und alter Gewohnheit wegen
110 gebühret. Quæ omnia, nisi fallor satis utique demonstrare videntur, regnum Bohemiæ adhuc hodie (neque enim à Ferd. Secundi tempore hactenus jura Imperialia vel abolita vel præscripta, dici possunt; licet regnum Bohemiæ qualitatem successivam, de quâ antehac lis erat, indubiam acceperit) feudum Imperii esse, & regem illum Imperatoris vasallum. Nec aliter de regionibus Bohemiæ junctis vel conterminis, Moraviâ, Silesiâ, Lusatiâ, quæ postrema hodie ad Saxoniæ Electorem pertinet, sentiendum, eas nimirum Imperio subjectas adhuc esse, neque ab ejus supremo jure exemptas, quod pariter & probatum *d. l.* à Conringio, & hodie nec in dubium vocandum censeo. Poloniam, Massoviam,
111 Prussiam, Livoniam contrario exemptionis ab Imperio jure uti, adstruit idem auctor *d. c.* 29. & cum, quod Poloniam concernit, suprà jam idem asseruerim, nec cur aliud sentiam, hactenùs invenerim, eidem sententiæ acquiesco. Livoniam adhuc sub Ferd. I. Imperatore juris Imperii fuisse, vel habitam esse, probat Rec. *Imp. de anno* 1559. §. ferner 8. quo intuitu sub Maxim. II. Imperat. legatio Imperii nomine ad Moscoviæ Ducem, ut à turbatione Livoniæ desisteret, decreta fuit, juxta Rec. Imp. de an. 1576. §. und dieweil. Contra de Prussia jam Imp. Maxim. I. dubitatum; vid. Rec. Imp. de anno 1512. §. den Hochmeister 26. Sed de utraque hac provincia idem juris hodie esse, quod supra in Batavis & Helvetiis consideratum, dici non immeritò videtur. Generaliter verò mo-
112 nendum & ex re Imperii fore existimarem; si in hac exemptionis materiâ certis quibusdam viris bonis juris publici peritis ea cura demandaretur, sub vinculo juramenti in Archivis

chivis publicis maximè Imperii inſpiciendi acta & documenta partes quaslibet, quæ ab aliis eximuntur, concernentia, atque ſic quo ſtatu in ſingulis res verſaretur, diligenter cognoſcendi, deque illis ad Imperatorem & Imperium, vel ad Comitia pleniores relationes transmittendi, ut ita, num jura Imperii reverà ab eximentibus præſcripta ſint nec ne, certius animadverti, deliberari, & quid pro re natâ agendum ſit, ad utilitatem Imperii decerni poſſit; aliàs articulus zu deme und inſonderheit / qui inde à Caroli Quinti Imp. tempore omnibus capitulationibus legitur inſertus, utilitatem Reip. hac in re vix cum effectu promovere poterit, ſed hæc relinquamus ſuperiori prudentiæ & arbitrio. Quòdſi verò quis 113
jam quærat, ecquos fines Imperii poſt variam diſquiſitionem partium aſſeramus, huic reſpondendum eſt ſub diſtinctione finium Germaniæ & Imperii Romano-Germanici; fines Germaniæ non exigo ad antiquiſſimam ætatem Beroſi, quâ Rheno, Oceano, Tanai, Ponto Euxino, Danubio ejusque accolis circumſcripta refertur, neque ad mediam Taciti & coætaneorum Scriptorum, quâ Rheno, Danubio, montibus (Carpatiis) & Oceano clauſa legitur. *Tacit.* ſub initium *lib. de mor. Germ.* Sed ad modernam, quo intuitu Germania eſt illud ſpa- 114
tium terræ, quod ab Oriente Hungariâ & Poloniâ, fluviisque Danubiô ac Viſtulâ præcipuè ſecernentibus, ab occidente Mosâ flumine, à meridie Alpibus, à ſeptentrione Oceano terminatur. *Conf. Dreſſ. de ſit. & lim. Germ. p. m.* 19. Nec hoc loco conſidero Germaniam, cum Ortelio *tab. Geogr.* 31. pro terræ ſpatio complectente nationes origine Teutonicas, ſivè quæ utuntur linguâ Teutonicâ, ſed pro corpore regionum 115
Germanicarum, quæ Imperio ſubſunt; itaque Helvetia & Belgium fœderatum, etſi incolas habeant Germanos, quibus Germanicæ linguæ diverſi licet idiomatis uſus eſt, non tamen ſenſu illo politico ſub Germaniâ hodiè comprehenduntur actu præprimis ipſo, ut paulò antè explicavi, multò mi-

nus

nus Daciæ ea pars, quam Transſilvaniam hodiè vocant, quia Germani Saxones eam inhabitant, ad corpus Germaniæ noſtræ referenda venit; ſed ſubintelliguntur tantum illæ provinciæ, quæ & Germanis populis inhabitantur, & Imperio
116 Romano-Germanico ſubjectæ ſunt; partes igitur & provinciæ dari poterunt, actuque ſunt, quæ adhuc ad ſupremum jus Imperii meritò referuntur, & tamen non ſunt de corpore Germaniæ, ut terræ Italicæ Imperii juribus nec dum exemptæ ac in meditullio ipſius Germaniæ ſita Bohemia; abſurdum enim fuerit annumerare Germaniæ, vel Sabaudiæ, Mediolani, Mantuæ &c. Ducatus; cum alant incolas Italos Teutonicæ linguæ pro vernaculâ minimè aſſuetos, vel Bohemiæ regnum, cujus incolæ Germani non ſunt ex veneraculâ, ſed Sclavi; nec ſanè
117 Carolus Quartus Imperator *loc. ſuprà cit.* Bohemiæ regnum Germaniæ, ſed Romani regni nobiliorem partem dixit eſſe, absque dubio Imperium Romano-Germanicum ſubintelligens, & quemadmodum in veteri Imperio, non ideò, quòd Italia & in eâ Reſp. Romana domitrix illa gentium regna Syriæ, Pergami, Numidiæ, Macedoniæ, Ægypti aliaque plura orbis terrarum ſubegerit, Syria, Macedonia & ſimiles provinciæ, factæ ſunt Italiæ partes, licet Imperio ejusdem ſubjectæ; ſic ſe res habet in recentiori Imperio Romano-Germanico, nimirum, ut ſubacta regna vel provinciæ non ex hoc fierent partes Germaniæ, quamvis ejusdem & Germanicorum Regum Cæſarumque Dominio, vel ſupremo cederent Imperio; ut ſic diſtinctio partium finiumque totius Imperii, à partibus & finibus Germaniæ meritò retinenda videatur.
118 Haut tamen extra jam relata Imperium vel Germania partibus finibusque diſcernuntur, ergò quos fines deſcripſimus Germaniæ, eosdem & Imperio aſſerere oportet, Meridionali plagâ exceptâ; nec enim vel reſpectu orientis vel occidentis vel ſeptentrionis Imperii fines ulteriùs protenduntur, quàm ipſius Germaniæ; ſed diverſitas ad meridiem eſt, quia Ger-

:rmania terminatur Alpibus ab eâ parte, Imperium mini-
:, sed fines suos habet in ipsa Italia, iis, ut videtur, partibus
tremis, quibus cætera Italia à pontificiis, regni Neapo-
ıni & Venetorum finibus discernitur, non quòd præcisè
:ram, hæc omnia juribus Imperii jam excidisse, quæ vel
ntifices, vel reges Neapolitani (hodiè Hispaniarum re-
s) vel extra urbem suam Veneti in illis oris possident, sed
òd saltem possessio vel quasi supremi juris in illis terris per 119
:ulorum vel longissimorum temporum tractus continuata,
negari possit; metiri vero velle fines districtè ex vetustis
ibus posthabitâ tantorum temporum possessione, titulo vero
antiquitatis præsumptione munitâ, regulis justitiæ minùs
ngruum arbitror, eodem argumenti genere, quo usus est
Sacris Jephta pro populo Israëlitico contra Ammonitas,
d. XI. vers. 25. & 26. Quibus consentaneum est, non quam- 120
et possessionem utcumque recentem & injustam, armis for-
injusti belli occupatam, fundamentum esse debere in dis-
:tione finium; hæc talis enim possessio juris & æquitatis
ionem contra se habet, ac durante bello, cum violentus
ssessor iterum dejici possit, ipso facto dubia est; quocirca
stimem, in eo statu, quas tenet hostis possessiones, non
iare fines, tùm propter juris gentium resistentiam, tùm
pter facti dubias vicissitudines. De Bohemiâ cur hoc lo- 121
pluribus agam, non invenio; nam quamvis ipsa, uti dictum,
s propriè Imperii sit, non Germaniæ, ad fines tamen ratio-
situs medii, referri nequit, utpote ab Austriâ, Moraviâ,
:siâ, Lusatiâ quasi cincta. Illud unum disquisitioni de par- 122
ıs & finibus Imperii subjungo, non quaquaversum eosdem
:s, h. e. omnibus partibus retentos, idque propter partes ex-
ıas; sic enim v. g. Helvetia & Rhetia Alpestris, conter-
ıæ regiones Alpibus, quia exemptæ sunt Imperio, illis
tibus fines, non plenè ad Alpes exporriguntur, sed Suevia
remis locis, aut quod ab alterâ parte finitimum est, pro fine
L 3 erit,

erit, versus meridiem; similiter in Belgio, quia Batavi ad Mosam & rex Galliarum quædam possidet (segregando quæ hoc bello occupata sunt) Mosa non videbitur esse terminus,
123 sed non nisi partibus illis exemptis; nam cum & Alpibus Tirolensis Comitatus, & ad Mosam alia Imperii, ut diœcesis Leodiensis & Belgii Hispanici partes pertingant, & à meridie Alpes, & ab Occidente Mosa, pro terminis esse adhuc debent censeri, salvis partibus specialiter excipientis. Atque hæc sunt, quæ
124 de partibus & finibus Imperii proponenda visa fuere. Succedit tertia pars hujus tituli, quæ est de circulis Germanicis; quam divisionem in circulos non esse totius Imperii, sed partis potioris, quæ est Germania, partim ex hactenus dictis, partim ex dicendis satis abundè constabit; circuli vox autem accipitur variè: (1.) Mathematicè, quo sensu est linea circumposita centro, à quo partes ejus æqualiter distant, sed ea significatio hujus loci non est. (2.) Juridicè, & vel pro districtu jurisdictionis, ut in Ordinatione judicii Rotvvilensis rubr. wie weit und wohin deß Hof-Gerichts Zirckul ist / ubi in ipsa dispositione tertià vice mentio fit vocis Germanicæ Creyses / & ju-
125 risdictionis Rotwilensis dubio procul denotatur districtus; vel pro universitate terrarum propter Rempublicam lege unitarum, eaque vocis declaratio considerationis est præsentis adeoque circulum hoc sensu definire possumus *districtum plurium Germaniæ ditionum tùm ad publicam tutelam, tùm ad justitiæ & decretorum Comitialium exsecutionem lege unitarum*; dixi *plurium ditionum*, quia in circulis nostris plures regiones, imperia particularia vel territoria junguntur; addidi: *Germaniæ*; nam Imperium non totum, sed Germania, sive Imperium restrictum ad Germaniam, dividitur hodiè in circulos; subjunxi circulorum fines, quæ sunt tutela publica justitiæ sive sententiarum in dicasteriis Imperii supremis pronunciatarum, tùm conclusorum comitialium exsecutio. Denique per verba: *Lege unitarum*, differentiam ex-

expreſſi circulorum ab unione pactitiâ Statuum, quæ res certè 126
non eſt ſine effectu, quia diſpoſitio circularis nititur lege publicâ, nec conſequenter eſt in membrorum arbitrio, ſub quo circulo hæc eſſe velint, quod in unione ſecus ſe habet; verum omnia ex infrà ſcriptis clariora erunt; eſt autem conſideratio circulorum repetenda ab ipſâ origine, eaque refertur ad Ma- 127
ximilianum Primum Imperatorem, qui in Comitiis Imperii de anno 1500. ſex circulos conſtituit, ex quibus ſinguli conſiliarii ſtatus ſive regiminis Imperii publici eligerentur; fuerunt autem iſti circuli, Franconicus, Bavaricus, Suevicus, Rhenanus, Weſtphalicus & Saxonicus. Ordnung des Regiments de anno 1500. rubr. wie ſechs Räth auß der Ritterſchafft und Doctorn oder Licentiaten auß den ſechs Creyſen ſollen genommen werden. Ex quâ diſpoſitione apparet, eo fine ab Imperatore & Imperio circulos tunc temporis primum fuiſſe conſtitutos; ut eſſent quaſi ſeminaria Conſilii Status publici, non equidem in univerſum, ſed pro ſex tantum Conſiliariis; pari ratione ex ſex illis circulis certo numero aſ- 128
ſeſſores denominati, ſive ut hodiè loqui ſolent, præſentati ſunt Cameræ Imperiali juxta Ord. Cam. Conſtantienſem de anno 1507. rubr. der erſte Creyß cum ſequ. eâ intentione, ut digniores ex illis reciperentur, quod & factum per rubr. am Sambſtag 26. ibid. Hiſce ſex circulis pro conſervando re- 129
gimine & Camerâ Imperiali inſtitutis, poſteà ab eodem Imperatore de conſenſu Ordinum adhuc quatuor additi ſunt in Comitiis Imperii Trevir. de anno 1512. §. darauf haben wir ſambt den Ständen 11. cum §. ſequ. nimirum circulus Auſtriacus, Burgundicus, Saxonicus Superior & Rhenanus Electoralis. Sed hoc ſtatu adhuc informes videntur fuiſſe decem illi circuli, nempe quoad circularem diſpoſitionem, quæ poſteâ introducta eſt; itaque iidem circuli repetuntur à Carolo Quinto Imperatore, in Erklärung des Landfriedens de anno 1522. rubr. hernach folgen die zehen Creyß 2c. nova verò

130 hæc forma adjecta, ut in singulis circulis eligerentur singuli Capitanei cum quatuor adjunctis consiliariis, quorum Consilio & arbitrio negotia pacis publicæ defendendæ maturè deliberentur, concludantur & executioni mandentur; Erklärung des Landfriedens dict. anno rubr. welcher Gestalt durch ei-
131 nen jeglichen der zehen Creyß ein Hauptmann 2c. Equidem jam in dict. Recessu Imperii de anno 1512. mentio fit Capitanei §. und ob jemand 8. ibi alsdann soll der Hauptmann in dem Bezirck/ da die Thäter/ ihre Helffer oder Anhänger wohnen oder seynd / mit sambt seinen Zugeordneten / zusammen kommen / rathschlagen und fürnemmen / damit der Landfried gehandhabt / und die Beschädiger gestrafft werden; ast hoc intelligi poterit de Capitaneo militiæ totius Imperii, ejusque adjunctis juxta Recess. Imp. Aug. de anno 1500. rubr. deß Reichs Hauptmann betreffend 52. & rubr. von sechs Räthen dem Hauptmann zugegeben. 53.
132 Ac licet in d. Rec. Imp. Trev. §. deßgleichen sollen / 9. Capitaneorum fiat mentio numero plurali, nec minus in §. wo aber der Handel subseq. 10. ubi hæc verba adduntur: alsdann soll der Hauptmann/ in deß Bezirck die Hülff beschehen soll 2c. hincque colligi queat, jam ante illam declarationem pacis publicæ Carolinam Capitaneos per circulos plures fuis-
133 se constitutos, tamen non apparet, fuisse omnes supremo loco & gradu militiæ circularis; constituti etenim sunt & Capitanei inferiores, Unter-Hauptleuth / certo militum numero præfecti, d.R. Aug. de anno 1500. rubr. der Unter-Hauptleuth Aydt 58. & rubr. daß die Unter-Hauptleut ihr Anzahl
134 Volcks haben 62. & ut concedatur, fuisse militiæ per circulos pari ac supremâ potestate (id quod tamen expressum non est) præstituti, haud tamen constat fuisse pro numero circulorum jam tunc introductos, aut singulos in singulis circulis, atque adeò præmissa Caroli Quinti sanctio, quæ hoc ipsum statuit, probabiliter fuit prima: certè rem hanc de numero Capi-

Capitaneorum exæquando circulis ita clarè expressit, ut antè expressa nondum fuerat. Et hi sunt Capitanei, quos circulis præfectos posteriores constitutiones Imperii, Creyß-Obriste / vocare solent, Rec. Imp. de anno 1555. §. und damit obgesetzte. 56. §. im fall aber. 62. §. So sich dann. 65. & ibi sæpiùs. Ad 135
eandem originem referenda videtur functio circuli directoria, das Creyß-Ausschreib-Amt / de quâ accipienda formula literarum Imperatoris Caroli Quinti ad finem dictæ declarationis, sive Erklärung des Landfriedens. rubr. Hernach folget ein Brieff ꝛc. ubi publicatio mandatorum Cæsaris duobus de circulo Principibus vel Proceribus committitur, cum mandato convocandi Status sui circuli, quæ res paulatim in peculiarem officii directorii formam, nec sanè enim de ejus origine alia positiva lex, ut de Præfectis, extat, abiisse videtur, ita ut, postquam conventus circulorum invaluissent, nec commissio Cæsarea amplius desideraretur. Hoc autem munus confundit Arumæus 136
cum præfectorio circuli, putatque, præfectos circulorum eosdem esse cum Principibus Directoribus, vulgò Creyßausschreibenden Fürsten / *cap. 2. de Comit. n. 42. & 43.* cui consentit *Becker. in synops. jur. publ. c. 13. n. 18.* Verba Arumæi hanc rem concernentia ista sunt: *Et quidem*, inquit, *Capitaneus, qui* Creyß-Obrister / oder ausschreibender Fürst / *indigitari solet, hunc conventum circularem ordinariè & indicere, inque eo vi mandatæ à Cæsare jurisdictionis deliberatio de monetarum probatione, contributionibus, executionibus sententiarum, præsentatione Assessorum Cameræ, aliisque ad circuli conservationem spectantibus institui solet*, eaque Aru- 137
mæus probare vult ex Rec. de *anno* 1500. rubr. wo die erwehlte. (est *verò Ord. Regim.* sub *hac rubr.*) Recess. de *anno* 1512. §. und ob jemands. & sequ. *Recess.* de anno 1522. (Erklärung deß Landfriedens de hoc anno) rubr. welcher Gestalt. Recess. *de anno* 1555. §. und damit die Obristen. Recess. *de anno* 1559. (*vel potius* Käysers Ferd. Primi Müntz-

Ordnung) §. und damit diese unsere. Verum ex his omnibus locis nec quòd Princeps Director & Præfectus circuli sit unus idemque, nec quòd circularis conventus, indictiones, monetarum probationes, contributiones, sententiarum exsecutiones, assessorum præsentationes aut similia negotia ad Præfectos circuli spectent, ullâ ratione probatur; adeo-
138 que pro sententia Arumæi isti textus aut nihil aut parum faciunt; esse verò 1. Officia directoria & præfectoria circulorum planè distincta, alium Principem Directorem aliumque Præfectum, Creyß-Fürst oder Creyß-Obrister/ satis clarè apparet ex *Rec. Imp. de anno* 1555. §. unddamit obgesetzte 56. per verba insonderheit in einem jeden Creyß ein Obrister durch die Stånd desselbigen, Creyses erwöhlt worden / und zu eines jeden Creyß nach der Stånden desselbigen Gelegenheit und Gefallen stehen / entweder einen Fürsten / der den Creyß zu beschreiben / oder einen andern fürnemmen Stand ꝛc. anzunemmen und zu erwählen. Quibus
139 addendus contextus paragraphi sequentis, ubi hæc habentur: und auff den Fall ein außschreibender Creyß-Churfürst / Fürst oder ein anderer fürnehmer Stand / zu dem Ampt eines Obristen gezogen / ꝛc. Unde manifestum est, per hanc Imperii legem posse eum, qui jam est Director circuli, eligi Præfectum, quod certè impossibile foret, si officium directorium ac præfectorium circuli unum idemque, vel Princeps Director & Præfectus circuli quà tales unus idemque essent; nam Princeps ille, ex quo jam esset Director, per consequentiam etiam foret Præfectus; quomodo ergò posset eligi, aut ei officium præfectorium, quod ex suppositione jam prius habuisset in directorio, per electionem committi? Deinde hoc idem, quòd sc. personæ & officia Directorum atque Præfectorum in circulis distinguantur, clarissimè proba-
140 tur ex resignatione muneris præfectorii, quæ facienda est Principi Directori juxta Recess. Imp. de anno 1555. und da

einer

einer 75. Absurdum autem est, præfectum circuli sibi ipsi resignare officium, ergo officia directoria & præfectoria in circulis haud dubiè distinguuntur. Quibus 3. accedit argumentum 141
æquè stringens ex *Instr. Pacis Cæsar. Suec. art.* 16. §. *in primis* 2. *& Instr. Pac. Cæs. Gall.* §. 100. ubi circa exsecutionem puncti restituendorum sic disponitur: *Inprimis quidem Imperator ipse per universum Imperium edicta promulget &c. Injungendo tam Directoribus*, ausschreibenden Fürsten/ *quam Præfectis militiæ Circularis*, Creyß-Obristen/ *ut ad requisitionem restituendorum juxta ordinem exsecutionis & hæc pacta restitutionem cujusque promoveant & perficiant; inseratur etiam edictis clausula, ut quia circuli Directores*, die außschreibende Fürsten/ *aut præfectus militiæ circularis*, Creyß-Obrist/ *in causâ vel restitutione propriâ minus idonei exsecutioni esse censeantur &c. Vicini circuli Directores aut Præfecti militiæ circularis eodem exsecutionis munere etiam in alios circulos ad restituendorum requisitionem fungi debeant.* Sed hæc ita ineptè dicta (quod 142
absit) quilibet fore videt, nisi & personæ & officia Directorum ac Præfectorum circuli distinguerentur; idque non minus etiam apertè perspicitur ex edicto exsecutorio pacis Ferd. III. Imp. ibi: und befehlen solchemnach hiemit zugleich allen und jeden ausschreibenden Fürsten und Creyß-Obristen/ ubi & contextus subsequens hoc demonstrat. Et sunt sane complures differen- 143
tiæ functionis directoriæ in circulis ac præfectoriæ; illa enim (1.) non est electitia, sed agnata huic vel illi Principatui, ad quem ubi quis legitimâ ratione pervenit, haud dubiè functionem Directoriam circuli simul consequitur; ast v. in Præfectoriâ, contrà se res ex his, quæ jam conformiter legibus Imperii diximus. Differunt (2.) hæc officia in objectis; nam ad Directo- 144
rium pertinet convocatio membrorum circuli & directio, quæ res manifestè perspicitur ex literis, quibus conventus circularis indicitur, quæ sanè non à Præfectis circulorum, sed Principibus

Directoribus mittuntur, diversa ratio est in adjunctis Consiliariis, quos, si de publicâ defensione deliberandum sit, convocat Præfectus circuli; idque probant textus suprà allegati; membra verò vel Status circuli convocant ipsi Directores. Ne-
145 que obstat Recessus Imp. de an. 1541. §. und soll der Obrist. 74. ubi Præfecto circuli attribuitur convocatio Statuum his verbis: Und soll der Obrist einen jeden Creyses / vor künfftigem Tage / alle Stände seines Creyses an eine gelegene Mahlstatt beschreiben / darauff sie sich eines Raths obgemelten Tag zu schicken vereinigen. Nam respondetur, primò, vocabulo Obrist hoc loco videri nomen dignitatis indigitari, non militaris curæ, ut sit sensus, præcipuum de circulo, qui est Princeps Director, debere Status circulares convo-
146 care; deinde si vel maximè Præfectus vel Dux militiæ circularis necessariò intelligeretur, non hinc colligi posset regula, quasi ad eundem, non verò ad Principes Directores circuli spectaret Statuum circularium convocatio; est enim negotium in *d. Rec. &* §. und soll der Oberst. specialiter ab Imperatore de consensu Statuum permissum, videlicet, cum in puncto moderationis Matriculæ per Commissarium Cæsaris Statuumque ad actum visitationis Cameræ deputatos, unà cum aliis Consiliariis eligendis ac mittendis, placuisset discuti & explorari reditus singulorum tùm deminutos tum adauctos, ut justa in moderatione & argumento contributionum Imperii peræquatio fieri posset, id in singulis circulis negotium mandatum est Præfectis, ut Status convocarent electuros Consiliarium ante diem deliberationi peræquationis præfini-
147 tum, à qua convocatione specialiter commissâ, non est argumentandum ad regulam, quasi Præfecto vel Duci militiæ circularis competeret ordinaria potestas convocandi Status sui circuli in quibuscunque occurrentibus negotiis; hanc enim Principibus Directoribus in unoquoque circulo, & nomen Germanicum deren außschreibenden Fürsten / & usus indubius

bius attribuit. *Vid. Wehn. in obs. pract. verb.* Creyß/ Creyß-Tag §. *quod ad modum & formam.* Penes hos etiam, non pe- 148
nes Præfectos in circulorum diætis directionem consistere apertissimum est ex propositione deliberandorum in circulis, votorum rogatione & collectione, tum formatione recessus circularis, quæ omnia certè Principum Directorum auctoritate, sc. salvis Statuum votis, peragi solent, minimè verò à Præfectis illis militiæ quà talibus. Et hac ratione, quoties de re moneta- 149
riâ, de contributionibus exigendis, de pace per circulum conservandâ, & id genus similibus negotiis circulares deliberationes habentur, Directores suo funguntur munere, Præfecti militiæ circularis, cui præsunt, curam gerunt: hinc quando deliberant cum suis adjunctis, ea deliberatio militaris 150
est, velut de vi injustâ, quæ in circulo de facto exercetur, propulsandâ, in quo consilio Præfectum Præsidis partes juxta leges Imperii habere, ex superioribus jam apparuit, cæterum togatis negotiis idem ordinariè, nisi aliud fortè publico nomine committatur, sese haud debet ingerere. Quinimò non omnis consultatio bellica solùm ad Præfectos, eorumque adjunctos, rejicitur, sed, cum deliberandum est de auxiliis circuli Imperio 151
submittendis contra hostes, Status cujusque circuli eorumve Deputati hac de re deliberare solent, sicut usu constat; nimirum, ut, quod omnes tangit, juxta regulam ab omnibus approbetur, nec minus, si in ipsis circulis majoris momenti negotia bellica, ut superiori seculo obsidio arcis Grimmenstein/ obtingerent, ea consultatio totius circuli aut fortè plurium foret, pro communi interesse; cui tamen curæ fortassis convenit Præfectum militiæ & adjunctos adhiberi, utpote bellicarum rerum magis peritos, idque è Republica esse, probabiliter asseritur; hoc amplius nego- 152
tia quædam ejus sunt conditionis, ut videantur tàm ad Principes Directores, quàm ad Præfectos circulares referri posse, quale exemplum suprà allegavi in puncto restituendorum ex tabulis pacis Germanicæ & arctiori edicto Cæsareo, sed hoc

speciali lege sic provisum fuit, quid verò de executione ordi-
153 nariâ sententiarum Cameræ, vel Aulici Cæsarei tribunalis? Si consulimus Ordinationem Cameræ. *p.* 3. *tit* 48. §. und mag alsdann 8. *& tit.* 49. §. nachdem auch. *&* §. nemlich 3. Hoc munus lege commissum videtur Præfectis circularibus eorumque adjunctis simili ratione, ut pacis publicæ executio, sed si Recessum Imperii de anno 1654. §. wegen des modi exequendi. 15. & §. in welchem termin. 160. inspiciamus, Principibus Directoribus circuli, denen außschreibenden Fürsten / executio ista expresse demandatur; idque servatur de stylo Cameræ, ut mandata de exequendo reos immediatos decernatur ad-
154 versus Principes Circulorum Directores; quid ergò? an recessum hodiè dicemus ab Ordinatione Cameræ recentiore isthac Imperii constitutione? Quod assertum prima facie difficile videtur, cum textus *d.* §. in welchem termin, claris verbis ipsius ordinationis Cameræ faciat mentionem, & juxta eam velit executionem peragi; sed quia dispositio ibi expressa est de execu ione per Principes circulares perficiendâ, relatio or-
155 dinationis hoc loco non de personis exequentium, sed exequendi modo & ordine lege Ordinationis præscripto accipienda videtur; ut hodiè Directores circulares sint ordinarii executores Imperatori & Imperio immediatè subjectorum, non verò Præfecti militiæ circulorum, nisi forte eo casu, quo quis in pœnam banni vel ex delicto, putà pacifragio, vel ex contumaciâ declaratus esset; nam & hoc casu reverà ipsis præ-
156 fectis executio à Camerâ vigore Ordinationis *d. l.* injungitur; Illud palàm est, non ad conventus circulares, sed ad officium Directorium pertinere executionis actum; neque enim ea in re, quæ legitima est, & à Camerâ demandatur, ulla deliberatione circuli opus esse apparet; contra quam in præsentatione, quam vocant assessorum Cameræ, juxta leges quondam observatum *R. I. de anno* 1507. *per rubr.* Auff Samstag nach Magdalena 2c. licet & in hoc articulo præviæ deliberationes

tiones Statuum moribus hodiernis in usu amplius non ita sint. Atque hic est Status circulorum publicus, uniuntur legali auctoritate certi territoriorum ditionumve districtus ad pacis observantiam, conclusorum ac decretorum comitialium implementum, Cameraliumque (hodiè etiam Cæsareo-Aulicarum) sententiarum executionem, sub duplici capite, quorum 157
alterum togata ac præcipua quæque negotia dirigit, Status convocando, proponendo, vota rogando colligendoque, nec non quæ placuissent in formam recessus communi consensu redigendo, hocque caput Directorium, vulgò Das Creiß-Außschreib-Ampt in plerisque circulis geminum est, duobus circuli Principibus more majorum attributum; Alterum, bellicis 158
circuli curis de consilio adjunctorum ad propulsandam, quâ pax turbaretur, vim injustam suscipiendis præpositum, quod præfectorium militiæ sive Creyß-Obristen Ampt vocatur, quique Principes Directorio præsunt Creyß-Fürsten / quique Proceres præfectorio, Creyß-Obristen appellari solent, verum uti Status sub circulis comprehensi, per superiùs deducta Imperatori & Imperio subjecti sunt, adeò ut Imperator circulis mandata dare ac transmittere possit, tàm singulis, quam universis, *d. tit.* hernach folget ein Brieff. *Rec. Imp. de anno* 1603. §. insonderheit 56. *ibi.* wollen wir alle des H. Reichs Creyse erinnert / und ihnen hiemit anbefohlen haben. Ita cer- 159
tum est, constitutiones & ordinationes circulorum intelligi salvâ liberate & immedietate Statuum; nam hoc non tantum expressit Maximil. Primus Imperator in *Rec. Imp. de anno* 1512. §. item sollen 12. ibi: und solches sonst einem jeden Stand an seinen Obrigkeiten / Herrlichkeiten und Rechten ohnschädlich seyn / sed & Ferdin. Primus in *Rec. Imp. de anno* 1555. §. und obwohl. 73. in verbis: So sollen doch dieselbige Churfürsten / Fürsten oder Stände / so zu solchem Ampt (eines Kriegs-Obristen / juxta contextum) gezogen; hierdurch sich keiner Hochheit über andere Stände annemmen / oder

oder sich unter dem Schein dieses Ambts Verwaltung / in einige Superiorität über die andere einzutringen / oder fernern Gewalts und Macht über sie / dann ihnen vermög dieser Ordnung zugestellt / anmassen. Ex quibus quæstio,
160 de jurisdictione Principum Directorum vel Præfectorum in Status aut membra circuli, haud dubiè in partem negativam resolvenda venit; quia si Statibus singulis, sua immedietas & jura salva esse debent, prout disponit Recessus Imperii *de anno* 1512. in *d.* §. item sollen. ac rursus, si ex dispositione circulari nulla in Status publica & superior potestas præfectoria exercenda venit, *ex Recessus de anno* 1555. *d.* §. und obwol. sequitur sanè, quòd nec Principibus Directoribus nec Præfectis militiæ ulla competat in Status sui circuli jurisdictio, alias utique hi non forent immediati, quan-
161 do alium vel alios, præter Imperatorem & Imperium, ordinarium superiorem aut superiores recognoscerent; igitur Status circuli, uti ex usu constat, conveniri non possunt vel coram Directoribus sui circuli vel coram Ducibus illis aut Præfectis militiæ; neque enim hi sunt eorum judices, sed ipsimet isti Principes tantum executorum (id quod contingente casu, quo executio contra bannitos peragenda, aut aliàs specialiter commissa foret, etiam de Præfectis circularibus asserendum) partes habent, quibus de jure nulla tribuitur jurisdictio, *l. si id proponis.* 6. *C. de exec. rei jud.* nisi fortè summaria ad explicandum actum jurisdictionis, *l. à divo. p.* 15. §. 450. *ff. de re jud.* eoque etiam verba ex *d.* §. und obwol. relata collimare videntur cir-
162 ca fin. Hoc amplius ultra executionis actum præfecti circulares & adjuncti in damnis contra pacem publicam datis jurisdictionem ex lege habent, ut summariè cognoscant ac decidant, *Rec. Imp. de an.* 1570. §. im Fall dann. 14. *Rec. Imp. de an.* 1576. §. was aber. 36. *& Rec. Imp. de an.* 1594. §. darauff. 33. Maximè etiam ad circulorū notitiam pertinet Lex executoria Pacis publicæ, quâ modus præscribitur propulsandi vim injustā in circulis; vulgò vocant die Executions-Ordnung / quæ licèt ad sententias

tias Camerales, earumque implementa tanquam, ad fundamentum referri videatur, *in Ord. Cam. p. 3. t. 49. §. 1.* certum 164
tamen est per alias Imperii leges, vi commissâ contra pacem citra omnem relationem ad judiciales sententias legi executoriæ locum esse, eandemque ad hunc scopum præcipuè positam publicatamque fuisse, adeoque textus iste Ordinationis Cameralis, eo tantum sensu accipi debet, quòd nisi sententiæ Camerales executioni mandentur, pax publica, dum nemo suum ex sententiis Cameræ consequeretur, indeque turbis publicis ansa daretur, sarta tecta servari, haudquaquam posset, non verò ita, quasi citra sententiarum Cameralium neglectam executionem, nullâ foret pacis publicæ executio aut legi executoriæ circulorum alius non relinqueretur locus. Hujus verò le- 165
gis, quam vulgò dicimus die Executions-Ordnung / etsi capita diversa extent in anterioribus sanctionibus, velut in *Rec. Imp. de anno* 1512. §. wir sollen und wollen auch. 3. & §. und ob jemand. 8. cum §§. proximis *item in Ord. Pac. publ. Carol. de anno* 1521. rubr. vom uffgerichten Landfrieden. §. und ob jemands. *cum §. sequ.* rubr. Handhabung Friedens-Rechts 2c. 21. per tot. nec non in *declar. pac. publ. de anno* 1522. rubr. So jemands wieder Recht / den Landfrieden 2c. vergewältigt 2c. 8. *rubr.* So zu frischer That. 19. *rubr.* So der Creyß-Hauptleuth 2c. 28. *cum sequ.* tamen Ferdinando Primo ad- 166
scribi debet Lex eadem in formâ uberiore ac pleniore, quâ prodiit ex Comitiis anni 1555. iisdem illis, quibus ordinatio Cameræ, qua hodienum utimur, ex prioribus concinnata, multisque partibus auctior constituta fuit; pressit nimirum Ferdinandus Primus avi Maximiliani Primi & fratris Caroli V. Imperatorum hisce in rebus vestigia, ita tamen, ut & legi executoriæ pacis & processibus fori Cameralis peculiarem novamque formam daret. Lex verò isthæc Ferdinandea executoria 167
hoc tenore summariè consistit, ut si milites (qui plerumque solent vim facere) in alieno territorio præter voluntatem

Domini territorialis deprehensi fuerint, interrogatique sub cujus-auspiciis militent, vel Dominum nullum nominent (quales pro palantibus & erronibus habentur, Gartend oder Herrenloß Volck) vel nominent quidem, sed sine permissu Cæsareo, nec ex causâ arduâ & probatâ, copias per ea loca ducentem ducive jubentem, tunc dominus territorii manum ejusmodi militarem alienam, qualibet ratione amicabili aut vio-
168 lentâ dissolvat; sin ad eum effectum non idoneas habuerit vires, rem deferat ad Præfectum sui Circuli & adjunctos, *Rec. Imp. de anno* 1555. §. wo sich aber über diß. 49. cum §§. proximis; Hic præfectus adjunctos convocabit, qui sine morâ præstituto in loco comparere, & quanta auxilia judicaverint ad milites istos arcendos necessaria, maturè deliberare eademque à Statibus Circuli pro ratâ poscere & efflagitare, hi verò eadem præstare teneantur, §. und soll der gesetzte Oberst 60. *d.*
169 *Rec. de anno* 1555. Quodsi unius circuli vires publicæ defensioni, præfecto & adjunctis haud videantur sufficientes, vicinorum duorum auxilia imploranda, præviaque communi deliberatione, trium circulorum auxilia, contra vim illam militarem pro pace publicâ, contrahenda *d. Rec. de anno* 1555.
170 im Fall aber berührte Kriegs-Empörung. Quòdsi nec ista propulsandæ violentiæ publicæ paria apparuerint, simili ratione adhuc aliorum duorum Circulorum socia arma requirenda & præstanda auxilia veniunt, ut sic unitis quinque circulorum consiliis & viribus res pro pace publicâ geratur *d. R. de an.* 1555. §. wo nun dieser. 63. cum §. und sollen. 64. in extremo verò casu, quo nec quinque Circulorum copiæ ad sedandos tumultus & pacis defensionem sufficerent, junctæque vires omnium circulorum judicarentur necessariæ, negotium tam arduum ad Electorem Moguntinum deferendum nomine Imperatoris & Imperii cum certis deputatis de remedio tanti mali deliberaturum, eoque fine conventum indicturum, *d. Rec. de anno* 1555. §. So sich dann abermals/& hæc origo fuit conventuum

De

Deputationis (vulgò Deputations-Tag) de quibus suo loco. Quantum verò ad materiam Legis executoriæ attinet, varia 171 insuper notari poterunt: (1.) Circa personas Præfectorum, non necesse esse, ut præcisè sint de numero Statuum circuli, cum possint eligi extranei. *d. Rec. Imp. de anno* 1555. §. und damit obgesetzte. 56. ibi: oder sonst eine tügliche Person dem Creyß angenehm. Atque eo casu, quo extraneus eligitur, ob præfectoriam functionem, salarium pro arbitrio circuli constitui debet, cum aliàs in membris circularibus officium hoc sit gratuitum, *d. Rec. de anno* 1555. §. und auff den Fall. 57. In ad- 172 junctis contrarium dispositum videtur; nimirum ut tantum ex membris circuli eligantur, adeoque extraneus nemo in Adjunctum recipi vel eligi debeat, per verba finalia *d.* §. und damit obgesetzte. ibi: sambt etlichen Zugeordneten ꝛc. auß ihnen/ den Creyß-Ständen/ zu ziehen/ anzunehmen und zu erwählen. Sed in contrarium movet paragraphus sequens, und auff den Fall. 57. *d. Rec.* nam ibidem in vers. Gleicher 173 Gestalt. regula eadem in Adjunctis, quæ in Præfectis militiæ præmissa est, adstruitur, videlicet si in circulo Elector aliquis, Princeps vel Status adjungeretur Duci vel Præfecto militiæ, eosdem hoc officio pariter gratis functuros, & mox videtur subjici contraria dispositio eo casu, quo ex aliis Statibus, veluti Prælatis, Comitibus, Dynastis, Civitatibus personæ adjungerentur, cum quibus pro re natâ intuitu functionis conveniendum. Verba certè hanc rem concernentia in vers. Da aber in ei- 174 nem Creyß subobscurè posita sunt, nec parum dubitationis præ se ferunt, si contextum d. vers. gleicher Gestalt. immediatè præcedentem ponderemus, præsertim voculas, oder Stände. sub quibus sine dubio jam comprehenduntur Prælati, Comites cæterique Ordines de circulo, quibus omnibus injungitur, ut adjunctoriâ spartâ fungantur gratis, sed mox hi status verbis hisce subsequentibus secernuntur: Da aber in einem Creyß auß den andern Ständen / als Prälaten /

Grafen/ Herren und Städten Personen zugeordnet/ sollen dieselbe mit den Ihren/ so sie auß ihrem Mittel darstellen/
175 nach ihrer Gelegenheit überkommen. Quâ in dispositione ambiguum apparet, utrum ipsimet Status, infra dignitatem Principis constituti, sc. Prælati, Comites &c. intelligi debeant eligendi in adjunctos, ex verbis modò relatis, an verò privati quidam eorundem fortè consiliarii, aut quâ aliâ functione merentes, uterque sensus suas habet difficultates; prior, quòd ratio haud constet, si ipsimet hi Status sint circulares adjuncti, quare cum suis debeant transigere vel pacisci hoc nomine; nec sanè enim particulam textus: Dieselbe/ referre possumus ad collegium, v. g. Comitum, Prælatorum &c. quasi hujus totius ordinis esset, cum electis ex ipso illo Corpore adjunctis de emolumento aliquo vel honorario convenire; quia Prælati, Comites, Civitates sunt de numero Statuum Circuli, quibus in præcedenti verf. Gleicher Gestalt/ tale commodum, Wart-Gelder/ ex functione adjunctoria expresè denegatur; nec
176 verba ista: Auß denen andern Ständen/ interpretari licet, de Statibus diversi circuli, ut quemadmodum Præfectus ipse extraneus remunerationem accipere potest laborum, sic tali casu & adjuncti possint, quia nec in textu id similiter est expressum, nec æquum foret diversi alicujus circuli vel Collegia, vel singulos Proceres, suis sumptibus procurare alieni Circuli
177 negotia; Sensus quoque alter, quo de privatis Adjunctis locum allegatum acciperemus, difficultate non caret, privati etenim, qui Statibus sunt à consiliis, aliave functione aut conditione subjecti, non certè ipsi sunt de Corpore Statuum, adeoque talis electus pro circulari Adjuncto, dici nequit electus ex Prælatis, Comitibus &c. quo tamen modo textus d. verf. Da aber in einem Creyß. loqui-
178 tur. Quid ergò tandem? Puto verum esse, quòd retentâ proprietate verborum subintelligantur Prælati, Comites cæterique Status minores electi pro Adjunctis, *in sæpe dict. vers.* ita

ita tamen, ut si quo casu impediti, consiliis publicis ipsi interesse nequeant aut nolint, facultatem habeant vice suâ, alium virum probum rerumque bellicarum peritum ablegandi ad deliberationes militares circuli, id quod expresse permittitur in *d. Rec. d. anno* 1555. §. und da ein Churfürst/
58. Hac igitur specie, ut sine onere circuli vel ordinis sui ipse 179
Adjunctus debuisset in Consilio comparere, ita ejusdem sumptibus aut particulari conventioni relinquitur, si quo casu absens, per alium velit permissu legis partes suas peragere; ex hac tamen dispositione colligere licet legis voluntatem & copiam respondendi ad superius quæsitum de extraneis, utrumne eligendi in Adjunctos Circuli; quia si Adjunctis ipsis permittitur alios viros probos militiæque peritos vice suâ substituere ad deliberationes, quamvis illi ipsi membra circuli (neque enim hoc in lege vel d. §. und da ein Churfürst. requiritur) non sint, multò magis hoc erit permissum ipsi circulo, cujus sc. ex commissione Adjunctus hanc habet potestatem, & consequenter, ut circulus Præfectum constitue- 180
re potest extraneum, sic etiam extraneos ei unum vel plures poterit adjungere. (2.) Notandum est circa numerum adjunctorum, quòd etsi lege Carolinâ supra allegatâ quaterna- 181
rius esse debuerit in singulis circulis, tamen lege Ferdinandeâ arbitrarius sit, per d. §. und damit obgesetzte. in verbis: sambt etlichen Zugeordneten/ auch wie viel deren in einem jeden Creyß für nothwendig und gut angesehen. Hoc autem arbitrium in ipsâ lege executoriâ sic declaratur, ut quaternarium adjunctorum numerum augere, non verò minuere liceat, idque probo textu duplici, primò ex §. und damit die Obersten. 69. *d. Rec. de anno* 1555. ubi dispositio habetur de impedimento & absentiâ unius vel plurium adjunctorum, & statuitur, Præfectum militiæ vel (casu, ubi plures circuli conveniunt) Præfectos nihilominus cum præsentibus (Adjunctis nimirum) consultare debere, & per parenthesin inter-
 ponun-

ponuntur hæc verba: Deren doch nicht weniger dann drey eines jeden Creyses seyn sollen. Unde sic argumentor:
182 Si in casu absentiæ, unius vel plurium, ad minimum tres Adjuncti publicis Circuli deliberationibus interesse debent, sequitur, quòd numerus Collegii Adjunctorum in singulis Circulis juxta legem nequeat esse minor quaternario vel quinario; unus etenim vel plures dum præsupponuntur abesse, & nihilominus præsentes ad minimum tres esse, certè hoc quod dixi ratione numeri sequitur; Sed ita est per verba expressa Legis modò relata, ut uno aut pluribus absente, è singulis circulis ad minimum tres adsint deliberationibus adjuncti, ergò illorum numerus in singulis Circulis, uti dictum, nequit esse
183 minor. Adduco secundò ad idem probandum textum ex §. Und ob einer der Zugeordneten 76. d. Rec. de anno 1555. ubi de officio Adjunctorum ex eventu mortis vel resignationis vacante agitur, & hæc formalia subnectuntur: Nichts desto weniger/ da/ wie vorgemeldt/ einer oder mehr der Zugeordneten Todes verfiele / oder ihres Ampts nicht außwarten könten/ soll der Obrist / sampt denen andern Zugeordneten/ mitlerweil / biß andere an der Abgestorbenen Statt bestellt / wie obsteht / zu handlen / und fortzuschreiten
184 Macht haben. Hinc sic infero: Si uno aut pluribus, uti textus ait, mortuo vel mortuis, (idem in casu refutati vel renunciati officii) Præfectus circularis numero plurali cum reliquis adjunctis, negotia circuli deliberando & gerendo continuare tenetur, collegium vel ordo Adjunctorum paucioribus personis, quàm quatuor ex legis sententiâ haud consistet, quia scilicet propter pluralem numerum utrobique expressum supponerentur plures uno Adjuncti mortui, & plures uno superstites; sed ita se rursus res habet ex verbis legis proximè allegatis. Ergò illa, quam dixi, sententia de Consiliariis Præfecto non paucioribus quàm quatuor adjungendis, vera erit & legi
185 conformis. Notandum venit, (3.) Præfectum & Adjunctos jureju-

reju-

rejurando devinciri Statibus Circuli, adeò, ut salvo hoc officio nulli alii, solâ fidelitate erga Imperatorem & Imperium exceptâ, juramento obstricti esse queant; *d.* §. und da ein Churfürst/ & §. und sollen die jenigen. 89. *d. Rec. de anno* 1555. itaque consequens est, ut si quis qualibet ratione extero cuidam Regi vel Reip. aut alii forsan Principi, jurejurando obligatus est, hoc vinculo prius liberetur, quàm ad officium Præfecti militiæ vel Adjuncti in Circulis adspirare queat; soli tamen Principes hac in 186
re à præstatione corporalis, quod vocant, juramenti eximuntur, suæque fidei per dignitatem Principis obstrictæ, quò minùs Circulo, in quo ad officium Præfecti vel Adjuncti electi sunt, jurent, relinquuntur. *d.* §. Und da ein Churfürst. Quæ quidem insignis est differentia Principum à cæteris Ordinibus, qui juramento pro fide officii Circulo devinciuntur, §. *eod.* Plures tamen sunt articuli forensium præcipuè disceptationum, in quibus ne Principum quidem obstricta fides formali æquipolleret juramentô, per ea, quæ post alios scripsit *Covarruv. in relect. c. quamvis. p.* 1. §. 2. *n.* 4. *de pact. in* 6. *vid. disp. mea de clausulâ fidei equestris.* Notari debet (4.) of- 187
ficium Præfecti militiæ esse temporale, ita scilicet, ut Circulus dimisso priore alium Præfectum possit eligere, Præfectus verò officium, dum tamen invito Circulo id non faciat, intra annum à tempore receptionis, vicissim resignare, *d. Recess. de anno* 1555. §. Neben dem soll. 6. 74. & resignatio hæc fieri debet coram Statibus Circuli ad instantiam Præfecti à Directore Principe convocatis semestri tempore expectationi Præfecti definito. *Recess. eod.* §. Und da einer diesem Ambt. 75.
Notandum (5.) quamvis officium Præfectorium ex jam di- 188
ctis principaliter versetur circa militaria, tamen eidem etiam negotium componendæ pacis, nomine videlicet Circuli, & de læsorum consensu esse commissum, *d. Rec.* §. Ob auch der Obrist. 72. Diversum in pace universali nomine Imperii incundâ, de qua suo loco. Isthæc verò pacificationis circularis cura

cura ex consequentibus belli est & valde connexa deliberationibus militaribus, quæ semper pacem pro fine habere debent; igitur muneri Ducis vel Præfecti commissa, uti & alia, sine quibus officium præfectorium exerceri nequit; quo nume-
189 ro maximè habenda ac notanda (6) est contributionum publicarum, juxta normam matriculæ Imperii, exactio; verùm hæc intelligenda non absolutè, quo sensu jure constitutionum nostrarum quæstio comitialis est, sed relatè ad publicam defensionis Circularis exigentiam, quo intuitu Præfecto militiæ olim permissum fuit exigere simplum, non amplius; hoc enim ad sollicitudinem & consensum Electorum, Principumque & Statuum Deputatorum, sive etiam ad Comitia
190 remissum. *d. Rec.* §. Ferner als hiebevor. 79. Ast cum hic modus ulteriora auxilia contrahendi tardior visus esset, permissio hujus rei, publica necessitate poscente, pro arbitrio Præfecti ad duplum in *Rec. dep. Imp.* de anno 1564. §. Dieweil auch der hülff 20. posteà ad triplum in *Rec. Imp. de anno* 1566. §. Bey dem Versicul dieweil auch 28. extensa est.

191 Quod ad qualitatem verò hujus auxilii circularis attinet, sciendum est, teneri Status ad requisitionem Præfecti mittere copias tùm pedestres tùm equestres pro tenore matriculæ, illisque militibus suis præstare alimenta. d. §. Ferner als hiebevor. & §. Wo sich dann die Vergadderung 87. d. Rec. de anno 1555. in verbis: Alsdann soll ein jeder Stand des Kreyß sein Antheil / wie obbestimmt / zu Roß und Fuß schicken / dieselbigen auch
192 auß seinem Säckel unterhalten und besolden; quòd si Statuum unus vel plures non mitterent ad requisitionem Præfecti auxilia, iteratò admonendi, ac persistentes in morâ, in judicio Cameræ conveniendi super damnis tum Circuli tum alterius cujuscunque vi publicâ offensi *d. Rec. de anno* 1555. §. Ferner nachdem es / sed quia & hoc remedium valde lentum apparebat ad prævertendam celeritatem vim

vim inferentium, huic rei aliter prospexit *Recess. Imp. de anno* 1566. §. Den Versicul ferner. 23. nimirum ut Circuli vel 193
iisdem Præfecti, Duces & Adjuncti, hoc casu, sumptibus morosorum vel inobedientium, milites ex præscripto legis haud missos deligere debeant, *ibi*: So soll denen Creyssen oder denen Obersten und Nachgeordneten zugelassen seyn/ wo die Säumige oder Ungehorsamen ihre Kriegsleuth auff ihre Anschläg nicht schickten/ solhoch sich die ertragen/ dieselbige Anzahl zu Roß und Fuß selbst anzunehmen/ auffzubringen/ und zu erhalten/ alles auff des Ungehorsamen Kosten ꝛc. Quòd si Præfectus & Adjuncti deforent 194
officio, aut quibuslibet impedimentis præcluderentur, quò minus officio suo satisfacerent, ad Circulorum aliorum maximè vicinorum junctionem hæc sollicitudo transfertur, *d. Rec. de anno* 1555. §. Wo sich auch zutrüge. 76. & *Recess. Imp. de anno* 1566. §. Der Disposition des Versiculs. 19. ubi non omittendum, Vicarium aliquem officii præfectorii, ex adjunctis mox ab initio receptionis constituendum, qui in casu mortis vel cujuslibet incidentis impedimenti, quæ præfectoriæ functionis essent, curæ suæ ducat, *juxta d.* §. Wo sich auch zutrüge; ex quibus omnibus colligere licet, nervos defensionis pa- 195
cis publicæ consistere præcipuè in hisce tribus: 1. Ut Præfecti & Adjuncti in quolibet Circulo, ubi pax vel actu violatur, vel, ne violetur, metus imminet, pro arbitrio, juxta legem tamen restricto, Statuum circuli publica requirant auxilia. 2. Ut Status juxta proportionem matriculæ copias auxiliares mittant idoneas. 3. Ut si opus fuerit ad implorationem Præfectorum Circuli sibi amicum invicem præstent auxilium. Has verò le- 196
ges veræ & omnimodæ defensioni pacis haud sufficere, præter experientiam publicam, dudum probavi, in Tract. *de Rat. Stat. cap.* 14. & quidem non exoticis, sed ipsorum Imperii Recessuum subsequentium testimoniis, putà *Recess. Imp. de anno* 1570. §. Welcher massen. 18. *Rec. Imp. de anno* 1576.

§. Zum andern. 34. *Recess. Imp. de anno* 1582. § Wann aber. 29. *cum §§. sequ. proximis. Recess. Imp. de anno* 1594.
197 §. Nach erledigtem. 24. In quibus etsi lex executoria pacis dudum publicata, aliquoties emendata & repetita esset, tamen querela multa habetur, de vi publicâ contra pacem in cir-
198 culis commissâ; causas politicas hujus rei, quia exposui in *d. cap.* 14. hîc repetere superfluum arbitror, unius tamen Cominæi sententiam & judicium politicum de hujusmodi rebus adscribere non piget, is *lib. 2. Commentar. p. m.* 77. sic ait: *Est sanè difficile admodum, ut qui sunt æquali potentiâ Principes, diuturnam colant amicitiam, nisi maiori alicujus authoritate cohibeantur, ejus rei multa ipse vidi & cognovi documenta. Sic enim est inter homines comparatum, ut facilè suscipiant inimicitias, neque respiciant ad eum, qui ferè comitari solet, tristem & luctuosum exitum. Mea sic est sententia, ut existimem, eum, qui solus in potestate habet decem hominum millia, magis esse metuendum, quàm decem Confœderatos, qui singuli senis milli-*
199 *bus præsunt.* Hæc d. l. Cominæus, quæ si vero consentanea sunt, ut videntur, mirari minimè debemus, cur nostra militia, & publica defensio, hoc rerum statu plerumque langueat, quia scilicet à multis pendet capitibus, sed hæc pluribus
200 persequi præsentis instituti non est; unum hoc addam, videri ex Republicâ esse, ut majorum instituta sequamur, quibus obtinuerat, ut vasalli dominis cum rege (quo nomine sine dubio Imperator intelligitur) in hostem ituris majores præstarent hostenditias (quo barbaro vocabulo militares contributiones insigniebant) ait enim feudista, quem vocare solent, *de Capit. Corrad. 2. F.* 40. *in Teutonicâ terrâ præstari tertiam partem fructuum* (ex prædio sc. feudali) *factâ computatione fructuum solummodò ejus anni, quo hostem faciunt,*
201 i. e. quo bellum esset. Quæ dispositio licèt propriè de bello Imperatoris intelligatur, nihil tamen vetat, & in bellis, quibus

bus implicantur circuli, quorumque defensionis publicæ forma hactenus deducta Imperialis est, simile aliquod auxilii augmentum admittere; planè nobiles immediatos vocari 202
ad subsidia circulorum patet *ex Rec. Imp. de anno* 1556. §. und wollen Wir als Röm. Kayser. 29. Sed & Landsassios, subditosque Principum & Statuum, quamvis etiam exemptos à contributionis onere, collectis circularibus obstringi pro defensione publicâ ex ipsâ lege executoriâ apparet *d. Rec. de an.* 1555. §. dieweil nun diese Hülff. 81. *ad Rec. Imp. de anno* 1654. §. und gleich wie dieses. 180. Et de Circulis quidem, eorum origine, descriptione, numero & statu præsenti hæc in genere dicta sufficiant. Specialiter decem Germaniæ circulos descripsit, uti notum, Zeilerus; sed quæ habet, Geographica magis sunt, quàm politica, vel jus publicum concernentia; Et placet quædam nunc de circulis singulis subjicere eo ordine, qui à Carolo Quinto Imperatore in declaratione Pacis publicæ anno 1522. servatus est. Itaque primus occurrit 203
circulus Austriacus, de quo ibidem his verbis cautum: Nemlich sollen wir mit unserm lieben Bruder Ertz-Hertzog Ferdinanden/ mit unsern Erb-Landen zu Oesterreich und Tyrol 2c. einen Creyß haben; complectitur igitur hic circulus, quicquid est provinciarum hereditariarum Archiducibus Austriæ ad plagam Orientalem Germaniæ; adeoque non Austria sola & Tyrolensis Comitatus; sed Stiria quoque, Carinthia & Carniola ad Circulum Austriacum pertinent, Croa- 204
tiam quoque includi arbitror, quod & ipsa specie regni hereditaria sit Austriacis Archi-Ducibus, planè Maximiliani Primi ætate Comitem Croatiæ Nicolaum Imperatoris & sacri Imperii fidelem appellatum, patet *ex Rec. Imp. Augustano de anno* 1500. *rubr.* von den Grafen von Crabaten. 39. & idem 205
judicium de quibuscunque provinciis Austriacis hereditariis; nisi quæ forsan Bohemiæ regno, de quo posteà sint incorporatæ ferendum; omnes enim sub notâ legis universali &c. videntur comprehendi, utique quæ eo tempore hereditariæ

 fuerant,

fuerant, Bohemiam enim haud ſubintelligi, argumento eſt, quòd tunc temporis aut non hereditaria extiterit, ſed juxta *Aur. Bull. tit.* 8. ſpecies regni Electivi, aut quod ſaltem res adhuc controverſa; quantumvis enim Scripta Auſtriaca tem-
206 pore motuum Bohemicorum emiſſa jam tùm aſſerant Bohemiæ regno ſucceſſoriam qualitatem, res tamen non fuit penitus extra dubitationem poſita, neque ſucceſſio omnimoda ac plena, qualis hodiè obtinet, defenſa, ſed quæ regnicolas vel Ordines Bohemiæ in electione Regis adſtringeret Auſtriacæ familiæ; cui accedit, quòd poſt conſtitutionem circuli Auſtriaci deliberatum ſit de duobus novis circulis, Bohemico & Boruſſico conſtituendis, & in Ordinem cœterorum cooptandis, ſed quòd Bohemi Boruſſique deſiſterent, res caruit ſucceſſu, *Goldaſt. de regn. Boh. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 2. & ex eo *Limn.*
207 *tom.* 1. *jur. publ. c.* 7. *n.* 37. Quodſi Bohemiâ ſub Auſtriaco Circulo eſſet comprehenſa, ejusmodi deliberatio inconveniens & ſupervacanea fuiſſet; neque ex hoc, quòd Bohemiæ Regnum hodiè hereditarium ſit, colligendum eſt, accreviſſe Auſtriaco circulo novum incrementum, quia hereditariæ provinciæ Archiducum Auſtriæ conſiderandæ ſunt ſecundum tempus legis circularis, non ex eventu ſubſecuto, *arg. c. Rutilia.* 69. *ff.*
208 *de contr. empt.* Tùm vel maximè, quod res tanti momenti, nimirum aſſociatio Regni integri in circulos, conſenſum utique Imperatoris & Ordinum expreſſum requirat, nec conſenſus tacitus ex conſequentiâ novæ ſucceſſoriæ qualitatis infirmâ
209 jure ſatis fundetur. De Hungariâ minus dubitandum, certoque aſſerendum eſt, non obſtante, quòd regni ſucceſſorii ſpeciem conſenſu Ordinum acceperit, Auſtriaco circulo unitam non eſſe; nam hic peculiaris ratio obſtat, quòd nimirum Hungaria hodiè Imperio Romano-Germanico ſubjecta non ſit, ut ſupra dictum, circulos verò vel Status circulares ei-
210 dem oporteat eſſe ſubjectos, ceu pariter deductum; planè hic Circulus totus hodiè uni Domino ſubeſt, nempe ſacratiſſimo Imperatori noſtro Leopoldo, ſed non quà tali, ſed quà Archi-

Archiduci Austriæ & successori cæterarum provinciarum Austriacarum; neque propterea ambigendum est, an circuli natura maneat, quia non requiritur in genere ad essentialem, ut ita loquar, rationem circuli, ut plures subsint Domini territoriales, sed ut plura territoria, ditiones vel provinciæ, quæ res suprà ex definitione circuli declarata; & reverà ab eventu est,
211 ut provinciæ Austriacæ, quæ anteà non semel inter agnatos divisæ fuerant, ex decessione lineæ Tyrolensis ad unum pervenerint caput, invictissimum Imperatorem Leopoldum; Atque hoc, quod dixi, circulum Austriacum possessionibus here-
212 ditariis Archiducalis familiæ Austriacæ integrum constitui, non solum Carolinæ, sed & Maximilianeæ constitutioni de decem circulis planè est conforme *Rec. Imp. de anno* 1512. *d.* §. **darauff haben wir. Erklärung des Landfriedens** / *de anno* 1522. *d. l.* cum nimirum præter illas provincias nulla aliorum Principum Statuumve ad integrandum circulum Austriacum fiat mentio; nihilominus Scriptores quidam Jurispublici adhuc
213 alios Principes & Ordines addunt, uti *Paurm. de jurisd. Imp. Romano-Germ. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 126. ubi quinque Episcopos, nempe Tridentinum, Brixiensem, Gurcensem, Steckauiensem (alii Secaviensem vocant) & Lavantinum, cum Balivo Austriaco, quatuor item Comites, Hardeccium, Wolckensteinium, Losensteinium, & Rogendorphium huic circulo annumerat; Limnæus quoque plures Status hujus ejusdem circuli recenset *d. c.* 7. *post n.* 29. quo loco geminum exhibet Schema, & Viennensem Episcopum addit, Comitem Schaumburgicum nonnullosque Prælatos; sed fateor me desiderare hujus rei solidum fundamentum, cùm juxta constitutionem
214 circularem, solis Austriacis possessionibus hereditariis circulus hic adscribatur; quò pertinet, quòd Episcopi relati, præter Tridentinum & Brixiensem non occurrant in matriculâ Imperii, hi duo verò eximantur quoad contributiones Imperii (exceptâ tamen sustentatione Cameræ) ab Archiduci-

bus Austriæ, juxta *Rec. Imp. de anno* 1548 §. nachdem auch in der Ringerung. 69. Salva de cætero dignitate, prærogativâ
215 & voto; quicquid sit, ab eo præcisè argumentari non licet, quando & Sabaudiæ Dux per legatos in Comitiis solet comparere, qui tamen in circulis non est; de Prælatis inferioribus & Comitibus non minus dubia res videtur; ejus enim ordinis Proceres, ad Status quidem provinciales in Austriacis oris referri possunt, sed si vel amplissimas possessiones terrarum tenerent, non tamen jurium territorialium, quantum percipere licuit, sunt participes; quicquid verò harum re-
216 rum obtineat, quando nulla lege cautum reperitur, vel à concessione particulari, vel ab usu & consuetudine derivatum esse oportebit, quarum rerum vestigia latent. De eo non est, cur dubitemus ad solum Archiducem Austriæ quà talem officium Directorium pertinere, si quo casu, à diversis Dominis hereditariæ provinciæ Austriacæ teneantur, quando cæterarum provinciarum hujus circuli Austria verè præcipua est, & si vel maximè constaret, alios quosdam Status diversa ab Austriacis territoria habentes ad hunc Circulum referendos, sanè tamen id fieret secundariò, ut nemo præter Archiducem, sibi jure arrogare posset Directoriæ functionis
217 prærogativam. Eadem Burgundici Circuli in hoc ratio est; nam & ille totus Burgundicis terris continetur, *d. Const. Maxim. in d.* §. darauff haben wir. *circa fin. & Const. Carol.* d. rubr. hernach folgen. §. 2. cujus hæc verba sunt: und soll Burgund mit seinen Landen auch einen Creyß haben.
218 Nec est ad quem, præter Ducem Burgundiæ, qui hodiè actu ipso Hispaniarum Rex est, hujus Circuli directionem referamus, quando non sunt in Lege circuli alii Constatus circulares expressi, & qui à Scriptoribus adduntur, inferioris sunt ordinis, Comites putà, ut Nassovienses in Bredâ, Egmondani, Walenses aliique, quos *Paurmeister & Limn. d. l.* recensent; occurrit quoque in his non minor dubitandi causa,
quàm

quàm in cæteris circuli Auſtriaci membris, niſi fortè hos tales
Comitatus ad Burgundicas terras, ut partes referamus quo-
cunque jure appertinentes, haud verò terrarum Burgundica- 219
rum nomine vel Ducatum vel Comitatum Burgundiæ intelli-
gimus, quorum ille Galliæ regno dudum ſubfuit, hic armis prius
bello Gallico anteriori occupatus, pace Noviomagenſi acceſ-
ſit, ſed Belgicas provincias, quæ poſtquam ad Burgundiæ Duces
variis occaſionibus pervenerunt, commune nomen Burgundicæ
domus acceperunt, utique ab illo tempore, quo Carolus pu- 220
gnax ſuæ ſtirpis ultimus Burgundiæ Dux id egerat, ut auctoritate
Frid. III. Imperatoris, provinciis illis Belgicis Regni, Ducibus-
que regius titulus, qui olim in priſcâ Burgundionum gente
floruerat, ſed ab Imperatoribus Germanis ſubactâ, extinctus
fuerat, reſtitueretur. *Metteran.* im erſten Buch der Niederl.
Hiſtor. *p.* 5. *&* 6. Notabile eſt autem & Auguſtâ familiâ Au- 221
ſtriacâ dignum, quòd in duas lineas diviſa, Germanicam
ſive Ferdinandeam, à Ferdinando I. maſculinâ ſtirpe deſcen-
dentem, cujus caput ſacratiſſimus Imperator noſter Leopol-
dus eſt, & Hiſpanicam ſive Carolinam progenie maſculina à
Carolo V. derivatam, è quâ unicus ſupereſt Hiſpaniarum Rex
Carolus Secundus, duobus circulis Imperium Germaniæ clau-
dat, altero verſus Orientem, videlicet Auſtriaco, ubi Fer-
dinandea linea imperat, altero ad Occiduas plagas, ubi
linea Carolina rerum potitur, licèt multæ partes, & hoc &
ſuperiori bello Gallico, ſint detractæ, quarum rerum exitus
pendere videtur ab hujus belli fortunâ & eventu. Quòd 222
porrò notem ad Circulum Burgundicum, non invenio, niſi duo
hæc: 1. In Burgundicis provinciis numerari quoque Duca-
tum Lotharingiæ, ceu patet ex pactione Burgundicâ ſuprà re-
latâ, ubi Ducatus hoc verborum ordine in ditionibus Bur-
gundicis referuntur: Hertzogthum Lothringen/Braband/
Limpurg/Lützenburg/Geldern; conſtat autem Ducatum
Lotharingiæ non in Burgundico, ſed Rhenano circulo expri-
mi

223 mi *d. Rubr.* Hernach folgen die zehen Creyß. §. 8. Dicendum igitur, Ducatum Lotharingiæ, qui specialiter hodiè sic vocatur, haud esse circuli Burgundici, sed Rhenani superioris, quamvis de facto hodiè detineatur à Gallis, certè Lotharingiæ nomen terras inter Rhenum & Scaldim quondam habuisse, eosdemque illos Ducatus Brabantiæ, Limpurgii, Lüzenb. Geldriæ, præter alias ditiones atque districtus fuisse complexas, *Ortel.* tradit *tab.* 28. ut ita d. l. videatur præmissum tanquam nomen totius ad istas partes, cum in Belgio Lotharingicus Ducatus nomine hoc speciali, & seclusis cæteris partibus,
224 hodiè haud reperiatur. 2. Geldriæ Ducatum Imperialem antehac, fuisse non Burgundicarum ditionum, ideoque non in Burgundico, sed Westphalico circulo antehac relatum *d.*
225 *Rubr.* Hernach folgen §. 9, Verum Carolus Quintus Imperator de consensu Statuum Imperii Ducatum Geldriæ, unâ cum Comitatu Zutphaniæ ac ditione Utrajectensi, ex Westphalico in Burgundicum circulum transtulit, per Recess. Imp. de anno 1548. §. Nachdem dann / & licèt hæ terræ hodiè, ut suprà retuli, fœderato Belgio unitæ, nec sub ullo amplius circulo sint, ista tamen constitutio argumentum præbet veritatis priùs assertorum, quòd nimirum non sit in singulorum Statuum arbitrio, sub quo velint comprehendi circulo:
226 etenim circularis unio, pro fundamento habet legem, consensu Imperatoris & Ordinum conditam, cui pari consensu & auctoritate, si Status aliquis de uno in alium circulum transponi velit, derogandum est, *vulg. l. nihil tam naturale.* 35. *ff. de reg. jur.* utque hoc ita in *d.* §. Nachdem dann, observatum.
227 Succedit tertius Circulus, Electoralis nimirum Rhenanus, quem à membris præcipuis sic vocant, in quo quatuor constituti sunt Electores ad Rhenum, cum Prælatis, Comitibus ac Dynastis illarum terrarum, *Const. Maxim. d. Rec. de an.* 1512. §. Item sollen die vier Churfürsten / *& Const. Carol. d. Rubr.* Hernach folgen. §. 3. Hos Electores constat esse tres Eccle-

Ecclesiasticos, Moguntinum, Trevirensem ac Coloniensem, & è secularibus Comitem Palatinum Rheni; quinam verò de cætero sint Prælati, Comites ac Dynastæ hujus circuli, colligendum est ex Constitutionis Carolinæ verbis: Sambt den Prälaten / Grafen und Herren / so unter ihnen gesessen. Quibus verbis non videtur indigitari conditio subjectionis 228
vel Landsassiatus, ut vocant, sed situs ditionum; vult enim indubiè constitutio, immediatos Prælatos, Comites, vel Dynastas, membra esse debere hujus circuli, quæ res cum subjectione ejusmodi compatibilis non est; itaque quæ terræ ac ditiones, Prælatorum, Comitum, Dynastarum ad oram Rheni uni vel alteri è quatuor hisce Electoratibus adjacent, aut confines sunt, maximè clientelari feudorum vinculo forsan obstrictæ, eas constitutio sub circulo Electorali Rhenano est complexa. Enumerant autem *Paurmeisterus & Limn. l. c.* 229
præter Electores hos quatuor Rhenanos, diversos Comites, veluti Nassovios in Beielstein, Nevenarios, Reifferscheitenses & Salmenses (qui hodiè Principali dignitate aucti) item Barones Reifferscheitenses & Reineccenses, item Dominos in Nidereisenburg, (sed hos circulus Westphalicus in d. Const. Carol. §. 9. comprehendit.) Ex Ordine prætereà Ecclesiastico in hunc circulum referunt Baiulivum vel Commendatarium Confluentinum, Abbatem S. Maximini, & 230
Præpositum Selzensem. Cur verò post alios Limnæus ibidem Principes, Comites Palatinos Rheni addat, præter Electorem Palatinum, non animadverto, & puto erroneum esse, duplici ratione: primò quia Lex ista Carolina de Circulis nihil planè hac de re disposuit, quam tamen, cum minorum hujus circuli Ordinum mentionem fecerit, minimè videtur neglectura fuisse, si præter Electorem voluisset Principem quoque aliquem vel Principes plures Palatinos sub circulo hoc Electorali comprehendere: Deinde, quinam sint 231
illi Principes Palatini huic circulo uniti, nec Limnæus ex-

 pressit

pressit, nec dictu facile videtur, quia pro situ diverso terrarum cæteri Palatini Principes vel sub circulo sunt Bavarico, vel sub nomine Ducum in districtu, ceu vocant, dorsi canini, Hertzogen auff dem Hundsrück / sub circulo Rhenano
232 Superiori, uti monstrat d. Const. Carolina §. 6. *&* §. 8. Ergò ad circulum Electoralem Rhenanum, excepto Electore Palatino, nemo Principum Palatinorum referri debet, quod & rectè in schemate hujus circuli observavit *Paurmeist. d. l.* Sub-
233 jungit porrò *Limn. d. l.* ex aliis quatuor civitates, Moguntiam nimirum, Coloniam Agrippinam, Treverim & Gelnhusam; Paurmeisterus verò solam Gelnhusam. Sed hæc iterum gratis & erroneè dicuntur; nam quod Moguntiam ac Treverim attinet, sunt illæ de præsenti civitates Archiepiscopales subjectæ, nec hodie in eo statu versantur, ut possint liberis circulorum membris accenseri; Gelnhusa etiam propter pretium octo millium florenorum, quo sub pacto reluitionis vendita est, hodie ab Electore Palatino & Comite Hannovien-
234 si eximitur. *Knipsch. de Civ. Imp. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 8. Nec Coloniam Agrippinam Electorali Rhenano circulo unitam esse censendum est, quòd nullius civitatis constitutio fecerit mentionem, cum eam in aliis circulis, quibus civitates Imperiales insunt, haud intermiserit, quin haud dubium est, Coloniam Agrippinam in Westphalico circulo cum aliis inferioris Germaniæ civitatibus Imperialibus ad Rhenum vel in districtu finitimo poni, quod & à Paurmeistero *d. l. p.* 521. rectè traditum; civitatum enim, quæ in illis oris & Westphaliâ sitæ sunt, caput perhibetur Colonia, post *Merian. in topograph. Archiep. Colon. p.* 42. *Knipschildio d. l.* 3. *de civ. Imp. cap.*
235 10. *n.* 16. Ergò est verius, quod & contextus Carolinæ Constitutionis ostendit, in circulo hoc Electorali nullas plane haberi urbes Imperiales, idemque asserit *Knipschild. de civ. Imp. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 134. quo loco pariter, quibusnam singulæ Imperii urbes circulis insint, monstrat, & nominatim etiam Colo-

Coloniam circulo Westphalico assignat. Directorium circuli Electoralis Rhenani quod attinet, uti nulla causa apparet ambigendi, ad Electorem Moguntinum, tanquam præcipuum ex ordine Ecclesiastico, officium illud pertinere, ita nulla causa negandi Condirectorium omne, præsertim Palatinum; nam & in cæteris circulis ubicunque aliquis Princeps Ecclesiasticus Director est, condirectorem habet Principem secularem, in hoc autem Electorali circulo cur aliud obtineat, certâ ratione nondum constare video, sed dubio procul hac in materia observantiæ plurimum attribuendum est, cum ipsa directoria officia consuetudini fere debeant originem. Hinc Moguntinum solum Boecler. adstruit *in N.J.l.6.c.5.n.* 10. Quartus ex ordine Imperii circulus est Saxonicus superior, & ipse à Maximiliano Primo Imperatore anno 1512. prioribus adjectus *d.* § Item sollen die vier Churfürsten. & à Carolo Quinto in membris suis declaratus *d. tit.* hernach folgen. §. 4. Continentur autem sub hoc circulo duo Electores seculares, Saxo & Brandenburgicus, videlicet quà tales, sive respectu Electoratuum, item sex Episcopi, Misniensis, Mœrseburgensis, Naumburgensis, Brandenburgicus, Havelburgicus & Libusiensis; sed hi Episcopatus hodie omnes exempti, & in secularem statum redacti sunt; tres priores quidem à domo Saxonicâ, posteriores verò à Brandenburgicâ. *Goldast.* in Reichshandlungen. *p. m.* 136. Adduntur præterea Duces alii Saxoniæ, sed ut puto non quà Duces Saxoniæ; est enim Ducatus ille Saxoniæ Electoratus, quo respectu Saxoniæ Elector ad hunc circulum refertur, sed quà Marchiones Misniæ & Landgravii Thuringiæ; nam & hæ terræ ad Saxonicum circulum utique referuntur, & vix aliæ sunt, quarum intuitu cæteri Principes Saxoniæ ad circulum istum censeantur relati; Dux insuper Pomeraniæ subjungitur, hinc fit, cum Pomerania in ulteriorem ac citeriorem dividatur, quarum illa ex Instr. Pacis Sueciæ regno cessit, hæc ad Electorem Brandenburgicum

 perti-

pertinet, ut Serenissimus Rex Sueciæ & Serenissimus Elector Brandenburgicus, quà Duces sunt Pomeraniæ, in circulo Sa-
241 xonico superiore intelligantur constituti. His addunt Principes Anhaltinos *Paurm. d. l. sub circ. Sax. Sup.* & ex *Goldasto Limn. ibid.* item Burggravios Misnenses; sed hoc erroneum videtur: sunt enim hodie Marchiones, non Burggravii Misnenses, illique ipsi diversæ lineæ Principes Saxones
242 ante relati. Porrò etiam Prælati & Comites ad districtus istarum ditionum circulo huic adjuncti sunt, sed pro more in ipsa constitutione non expressè nominati, referuntur verò Abbatissæ duæ, Quedlingburgensis & Gerenrodensis; item Abbates Walckenridensis, Salfeldensis, ex Ordine Comitum, Svvarzenburgenses, Mansfeldenses, Stolbergenses, Hohensteinii, Barbienses &c. ex Dynastis Russi in Blavve &c. *vid. Paurm. & Limn. d. l.* civitatum mentio in constitutione pla-
243 nè omissa est. Directorium verò hujus circuli uni attribuitur Electori Saxoniæ. *Burgoldens. ad Instr. Pac. art.* 8. *disc.* 7. *memb.* 1. *p. m.* 1233. quæ res uti non sine exemplo est in circulis Austriaco & Burgundico, ita diversam causam habere videtur; ideò enim Archidux Austriæ in Austriaco, & Dux Burgundiæ in Burgundico circulo solus directorium officium habent, quia totum aut ferè totum circulum possident; ast in Electore Saxoniæ alia ratio invenitur respectu circuli Saxonici superioris, in quo æqualis est Elector Brandenburgicus, aliique
244 etiam sunt Duces ac Principes relati; causam igitur crediderim esse mutationem, quæ in præcipuis Episcopatibus hujus circuli contigit, dum in seculare regimen transformati sunt; verosimile scilicet est, ab initio in hoc circulo non ad unum secularem Principem, sed simul ad Ecclesiasticum aliquem ex præcipuis literas & mandata Cæsarea per circulos publicanda fuisse transmissa, exemplo cæterorum, præter duos illos, circulorum, quam rem suprà retuli ad originem directorii officii, ex d. rubr. Hernach folgt ein Brieff &c.

At

At postquam Episcopatus illi exempti & in secularem 245
statum conversi, auctoritate Cæsareâ, solum Saxoniæ Electorem negotia circuli directoriâ sollicitudine curâsse verosimile est, unumque adeò huic circulo remansisse directorem. Sequitur quinto loco circulus Franconicus, in 246
quo referuntur tres Episcopi, Bambergensis, Herbipolensis, Eychstettensis, Marchiones etiam Brandenburgici, cum Prælatis, Comitibus & Civitatibus per illos districtus vicinis, ubi notandum primò, non nominatum in Constitutione esse Magistrum Ordinis Teutonici, qui in Franconiâ Mergenthemii locum, ut vocant, residen- 247
tiæ habet, & absque dubio insigne membrum est circuli Franconici. Notandum secundò, Marchiones Brandenburgicos hîc non intelligi quà tales, sed quà sunt Burggravii Norici, id quod rectè notatum est à *Paurmeistero d. l.* in circ. Francon. Nam terræ, quas in hoc circulo 248
possident, sunt in meditullio Germaniæ, & sic Burggraviatus, ac ab arce, cui præerant Burggravii, minime vero ab origine suâ Marchiæ nomen his rectè tribuitur, signat nimirum Marchia limitaneum Comitatum *ex* 2. *Feud.* 10. ast medio loco non sunt limites Imperii contra hostes tuendi; quapropter 249
illi districtus terrarum, quas Marchiones Brandenburgici in Franconiâ habent, ex prisco jure Comitivæ arcis Noricæ absque dubio est, neque id tantum titulus Burggraviorum Noribergensium, quo adhuc hodie utuntur, sed situs quoque confinis Urbi Noricorum illustri hoc demonstrat, ditioque illa Marchiæ nomen, populari usu à Dominis, qui Marchiones Brandenburgici erant, non à primævâ qualitate & instituto veteris Imperii accepit. Notandum tertiò, Hennebergicos 250
quoque Comites, Principibus ab onere contributionis pares vel æquiparatos, Ordn. des Regim. de anno 1500. rubr. wer in der Churfürsten und Fürsten Anschlag gerechnet sey / haud nominatim in lege hujus circuli expressos, atque ita

communi vocabulo Comitum ibi ſubintelligi, qui Comitatus Hennebergicus jure ſucceſſionis ex pacto ad Saxones potiſſimùm pervenit, & ſic hodiè Saxoniæ Duces reſpectu harum ditionum ſunt membra circuli Franconici, ut Principes Coburgenſes, Rhomhildenſes, Meinungenſes; addit etiam conſtitutio Prælatos, velut Abbatem Sancti Ægidii Noribergæ, Heilbrunnenſem (ſive rectiùs Heilsbrunnenſem) & Præpoſitum Cambergenſem. *Paurm. d. l. in circulo Franc.*
251 Sed hi ab aliis exempti ſunt, teſte *Goldaſto* in Reichshandlungen *d. l.* è Comitibus Imperii præter Hennebergicos Principibus pares, quos hodiè Saxoniæ Duces in his oris repræſentant, ſunt Comites Hohenloici, Caſtellani, Werthemii, Erbachii, Schvvarzenbergici & Reineccii, quibus annumerantur Domini Pincernæ de Limpurg; his porrò quinque ur-
252 bes Imperiales, Noriberga ſc., Suinofurtum ad Mœnum, Winshemium, Rotenburgum ad Tubarim, Weiſſenburgum in Norico ſive Nortgoiâ, ut vocant, minimè verò ad
253 Neccarum, uti malè retulit *Paurmeiſter. d. l.* eidem circulo unitæ ſubjunguntur; Directores ejuſdem ſunt Epiſcopus Bambergenſis, ex ordine Antiſtitum his in terris præcipuus, & Marchiones Brandenburgici, quâ Burggravii Norici, minùs rectè verò *Burgold. d. l.* prærogativam hujus directionis reſtringit ad Marchionem Brandenburgo-Culmbacenſem, quando & Onoldina linea absque dubio ejuſdem juris eſt particeps, & conſtat, ante triginta annos Marchionem Albertum Onoldinum eo circuli munere perfunctum, resque, ut accepi, inter duas lineas, Culmbacenſem & Onoldinam, ſic ſpeciali pactione compoſita eſt, ut Senior earundem honorariam circuli directionem ſuſcipiat, quâ ratione pro varietate caſuum aut in eadem linea illa perſiſtere poteſt directore moriente, aut ad alteram transferri; & hæc de circulo Fran-
254 conico. Succedit ex ordine ſextus, nempe Bavaricus, in quo recenſentur, Archiepiſcopus unus, nimirum Salisburgen-

ſis,

ſis, Epiſcopi tres, Ratisponenſis, Freiſingenſis, Paſſavienſis; Ex ſecularibus Comites Palatini diverſi ac Duces Bavariæ, Landgravius item Leichtenbergenſis (quæ tamen familia noſtro ſeculo extincta eſt) Prælati inſuper Comites vel Dynaſtæ, nec non liberæ Imperii urbes in illis oris *Conſt. Carol.* §. 6. ubi pauca notabimus, primò, ad Circulum Bavaricum jam tempore hujus legis Carolinæ relatam fuiſſe Superioris Palatinatus provinciam, id quod oſtendunt verba ibi: **Hertzog Friederich Pfaltzgraf ꝛc. von ſein ſelbſt und ſeines Bruders des Churfürſten wegen.** Ergò Elector Palatinus 255
tunc temporis relatus fuit in numerum Statuum circuli Bavarici, ſed utique non reſpectu inferioris Palatinatus, quia hoc intuitu membrum aliquod præcipuum fuit Circuli Electoralis Rhenani, ut paulò prius dictum eſt; igitur ratione Palatinatus ſuperioris, & res ita contigit, ut cum Fridericus fratrem haberet Electorem Palatinum Ludovicum pacificum, 256
ejusque nomine Palatinas terras in Norico gubernaſſet, partim etiam ſuo jure, ut Princeps Palatinus Philippi Electoris filius tenuiſſet, utroque reſpectu, videlicet & quatenus vicarius erat, & quatenus ſuo jure utebatur, Bavarico circulo unitus ſit, quem utrumque reſpectum conſtitutio verbis modo relatis expreſſit, & eſt ille Fridericus, qui poſteà fratre Electore mortuo Electoratum Palatinum, ejus nominis ſecundus obtinuit. Notamus ulterius & ſecundò, dum Otto Henricus & Philippus tunc Principes Palatini, quorum prior poſteà Friderico patruo in Electoratu ſucceſſit, per legem iſtam Carolinam juncti huic circulo fuere, hinc probabiliter colligi, illos ea ætate ex poſſeſſionibus Palatino-Noricis aliquas tenuiſſe, quarum reſpectu pro membris circuli Bavarici haberi potuerint; unde ulterius inferre licebit, non ſuperiorem tantum Palati- 257
natum, ſed Ducatum quoque Neoburgicum & Sulzbacenſem circuli eſſe Bavarici; hæ enim aut ipſæ illæ poſſeſſiones aut partes earum ſunt, quæ eo tempore Ottoni Henrico & Philippo

lippo fratribus apanagii forsan, aut cujuscunque concessionis vel dispositionis jure poterant obvenisse. Cæterum & Prælati inferioris ordinis plures, ut Berchtolsgadensis, Kemsen-
258 sis (quem alii malè inter Episcopos hujus circuli posuere) Rodanus, S. Heimeranus & alii cum nonnullis abbatissis huic circulo referuntur adjuncti, vid. *Paurm. & Limn. d. l.* Pariter nonnullorum Comitum, ut Ortenburgensium, quos *Goldast. d. l.* refert à Bavariæ Duce eximi, Baronum etiam, ut Wolffteinensium &c. Comitatus ac Dynastiæ sub hoc eodem circulo
259 comprehenduntur. Ac licet uno verborum contextu civitatum in plurali numero mentionem faciat Lex ista Circuli, tamen pluralis in singularem resolvendus videtur, quia unica civitas Imperialis Ratispona membrum hujus circuli est; Freistadium enim ex *Schönborn. 5. Pol. c. 6.* malè additur, quod in catalogis civitatum Imperii, quos alii studiosè collegerunt, nusquam compareat. Nec apud *Goldast.* in Reichshandlungen. *p. m.* 68. nec apud *Paurm. de jurisd. Imp. Rom. lib. 2. c. p.* 220. *&* 221. nec apud *Limn. lib. 7. jur. publ. p. tot.* nec apud *Knipschild.* ex professo agentem *tot. libr. 3. de civit.*
260 *Imp.* Sed inter Silesiæ civitates, quæ utique Bavarici circuli non sunt (uti nec Freistadium Ducatus Würtenbergici oppidum referatur à *Dreff. de urb. Germ. p.* 255. Denique Directorium hujus circuli officium Archi-Episcopo Salisburgensi & Duci Electorique Bavariæ adscribunt. *Vid. Burgold.*
261 *d. l.* in quo non habeo, quod notem. Circulus Suevicus ex ordine septimus in Constitutione Carolinâ his membris componitur, ut tres in eo sint Episcopi, Curiensis, Constantiensis & Augustanus, ex secularibus Principibus Dux Würtenbergicus & Marchiones Badenses, quibus immediatè adduntur sodalitium de scuto vel clypeo S. Georgii & nobilitas districtus Hegau, inde Prælati, Comites, Dynastæ, Civitates Imperii in partibus Sueviæ ditiones vel Territoria habentes sub-
262 junguntur. Est autem hic notandum primò, milites de scuto S. Geor-

S. Georgii non esse confundendos cum equitibus S. Georgii, sive periscelidis in Anglia, quos nostrâ vernaculâ vocant Ritter vom Hosenband; hi enim licèt S. Georgium patronum habeant, cujus & memoriam anniversariâ festivitate celebrare feruntur, & nomen quoque equitum S. Georgii assumunt; *Limn. de jur. publ. lib. 6. c. 2. n. 25. & sequ.* tamen quà tales 263
non sunt sodales de clypeo S. Georgii, nec ille ordo Anglicus, vel membra ejus ad Germaniam vel circulos nostros magis pertinent, quàm quilibet alius extraneus ordo equestris; sed sodalitii hujus nomine intelligitur cœtus illustrium & nobilium equitum, qui certis legibus convenerunt, ut pugnarent sub vexillo S. Georgii contra hostes Turcas aliosve infideles, illudque vexillum habens imaginem S. Georgii, hinc dicitur Sanct Georgen Fahnen/ de quo fit mentio in *Rec. Spir. Imp. de an.* 1542. §. Wann nun auch. 39. & huic sodalitio interfuêre quo- 264
que multi illustres Comites & Barones, ac præcipui ex Nobilitate Suevica & Franconica, qui etiam hunc honorem equestris militiæ sub sigillo S. Georgii sibi præcipuum asseruerunt, quò pertinent, quæ ex *Lud. ab* Eib annotavit *Oldenburg. in Limn. enucl. lib. 3. c. 29. p. 505.* his verbis: Die Ritterschafft zu 265
Oesterreich/ noch aus andern Landen/ was Sprach die wären/ hätten nichts mit St. Georgen Fähnlein zu thun/ sondern allein Francken und Schwaben/ die hätten es viel Jahr bey Käysern und Königen mit ihrem Blutvergiessen und Ritterlicher Ubung herbracht ꝛc. Et paulò inferiùs ibidem ex *Hippol. à* Treißbach/ im ohnvorgreifflichen Bedencken über etzliche Fragen der freyen Reichs-Ritterschafft/ p. 221. sequentia subnectit: Der Teutsche Adel habe von ohnfürdencklichen Jahren hero die Freyheit gehabt/ daß wann man wider den Erbfeind gezogen/ ein Teutscher von Adel St. Georgen Schild oder Panier in der Hand führen sollen; als sich aber die Böhmen unterstanden/ sie an dieser Freyheit zu beunruhigen/ und Eintrag thun wollen/ ha-

ben sie sich Anno 1392. miteinander verbunden / diese Freyheit zuvertheidigen / und sind in dieser Verbündnüß gewesen 27. Grafen / 47. Freyherren / 57. Herren / 324. Edle
266 Knecht / ein Ritter. Ex quibus apparet, posse etiam eos, qui non sunt equites S. Georgii, cum in tanto numero unus tantum recenseatur eques, sodalitii Georgiani esse participes, nullus tamen dubito, quin quatenus ad circulum referuntur, bona sub eo habeant immediata, si non ut singuli, saltem collegiali nomine;
267 quæ forsan diversitatis ratio est, quare sodalitium hoc in circulo Suevico inter membra positum sit, non verò in circulo Franconico, cùm tamen Franconica nobilitas non
268 minus quàm Suevica hujus sodalitatis fuerit compos. Singulare est etiam, ac secundò considerandum, quòd Ordo Suevicæ nobilitatis ad tractum Hegau referatur inter membra hujus Circuli, quale quid in cæteris Circulis non legimus, neque verò dubitandum, & hunc ordinem equestrem, quoties necessitas postularet, ad defensionem pacis publicæ, cum aliis debuisse concurrere, quòd verò tàm Georgiani illi milites quàm Hegavienses Nobiles, hodienum ut olim jure circuli utantur, non ita
269 constat, sed petendum est ex Actis Circuli Suevici; in hoc porrò plures sunt Prælati, è quibus eminet Præpositus Elwangensis, Principi par, ein gefürsteter Probst / sunt & alii, Reichenaviensis, Weingartensis, Weissenaviensis & plures, quos referunt *Paurmeist. & Limn. d. l. in Circ. Suev.* quanquam ex his nonnulli hodie eximantur, ut Maulbrunnensis, Königsbrunnensis &c. à Duce Wirtenbergico; Comites item multi huic circulo accensentur, ut Ottingen-
270 ses (quorum tamen altera linea ad Principalem dignitatem hodie est evecta) Hohenzollerenses, qui & ipsi in ordinem Principum recepti; Helffensteinii, Fürstenbergii, Montfortii, Ebersteinii, Fuggeri, quamvis à Paurmeistero inter Barones numerentur, Sulzenses &c. nec non
Baro-

Barones Falckensteinii, Königs-Eccii, Gerolds-Eccii &c. vid. *Paurmeist. & Limn. d. l.* Civitates insuper Imperiales 271
in hoc plures sunt, quàm in ullo alio Circulo, è quibus præcipuæ Augusta Vindelicorum & Ulma; item Lindavia, Heilbronna, Eslinga, Hala Suevorum, Memminga &c. *Paurmeisterus & Limn. d. l.* Denique Directorum vice in hoc Circulo haud dubie funguntur Episcopus Constantiensis & Dux Wirtenbergicus, *Burgold. d. l.* Octavus Circu- 272
lus ex ordine Constitutionis est Rhenanus; (quem ad distinctionem usus vocat superiorem, Ober-Rheinischer Kreyß) In eo recensentur quatuor Episcopi, Wormatiensis, Spirensis, Argentoratensis & Basileensis, Abbas item Fuldensis, qui Principi par habetur; è secularibus Principibus, Duces districtus dorsi canini, ut vocant, auff dem Hundsrück / qui sunt Simmerenses & Bipontini, Dux Lotharingiæ, Landgravius Hassiæ; quibus adduntur minoris ordinis Prælati, Comites, Dynastæ vel Barones, ac Civitates Imperii horum districtuum. Ubi notandum venit, vix 273
in ullo alio Circulo, tot partes ab Imperio vel avulsas vel exemptas esse, ac in circulo Rhenano superiori; nam ut omittamus vetera, velut Ducatum Mosanum, Principatum Cabillionensem, Marchiam Rœtelanam, Episcopatus, Metensem, Tullensem, Verodunensem, quæ vel antiquiori tempore intercepta, vel superiori seculo à Gallis capta; postmodum legibus pacis Germanicæ ab Imperio penitus avulsa sunt, hac nostra ætate Alsatia tota, inque ea Episcopatus Argentoratensis, ipsa urbs Argentina cum aliis civitatibus Alsatiæ Im- 274
perialibus, Ducatus Lotharingicus, Comitatus item ac Dynastiæ hisce in oris, sed & Episcopatus Spirensis ac Wormatiensis trans Rhenum partes à Galliâ de facto detinentur. Itaque non tantum Episcopatus, quos Goldastus, Paurmeisterus, aliique præter nominatos in lege circuli addunt, non amplius adsunt, sed actu ipso ne quatuor illi quidem, quos constitutio expressit;

Q 2 Dico

275 Dico actu ipso; nam quod jus concernit, non dubitandum, quatuor illos Episcopatus adhuc juris Imperii esse; nam vel in novissimo horum temporum recessu de anno 1654. subscriptiones idem docent; neque solum suprà dicti seculares Principatus desunt, sed Lotharingicus etiam ac plures Imperii Comitatus & partes, & consequenter hic circulus in extremas ferè angustias est redactus; urbes plures annumerantur, sed ex actu ipso possessis pauca supersunt, & primaria urbs Francofurtum ad Mœnum, præter hanc Wezlaria, ubi hodie Augusta Camera Imperialis, & Fridberga sunt, Basilea verò ab Helvetiis hodie exempta, Argentoratum & cæteræ Alsaticæ civitates à Gallis subtractæ, Spira & Wormatia in cineribus jacent; hæc misera Circuli facies est præsens, sed sperantur tamen
276 meliora ex justo belli exitu; interim hoc infelici rerum statu Præsidis vices in rebus bellicis Landgravius Hasso-Cassellanus, de Imperio bene meritus, consentiente Imperatore, hactenus extra ordinem egit, consentiente etiam certis legibus in communem defensionem reliquorum Statuum cœtu sub usitato similibus exemplis nomine der Union, cui tamen ex peculiaribus rationibus urbs socia non est Francofurtum, quamvis sit &
277 maneat hujus Circuli membrum. Ordinaria directio ejusdem circuli est penes Episcopum Wormatiensem, utcunque possessionibus non paucis à Gallo exutum, & penes Ducem Simmerensem, qui hodie extinctâ illâ lineâ est ipse Elector Palatinus,
278 contrà quàm putavit *Burgold. d.l.* qui Landgravio Hassiæ Darmstadiensis lineæ hujus circuli functionem directoriam erroneè adscripsit, atq; isti illi districtus Simmerensis ac Bipontinus non sunt propriè & ab origine Ducatus, nec ipsi Principes, quà tales, sunt Duces, sed ex titulo & jure suæ familiæ, ut aliis exemplis suprà dixi, ac territoria illa dorsi canini, auff dem Hundsrück/ Comitatus Veldentiæ & Sponhemii sunt Principatibus æquiparati, gefürstete Graffschafften; & hæc de Circulo Rhenano
279 superiori habui, quæ paucis consignarem. Circulus Westphalicus

licus ex ordine Constitutionis Carolinæ nonus, complectitur quinque Episcopos, Paderbornensem, Leodiensem, Utrajectinum, Monasteriensem & Osnabrugensem, quatuor Duces, Juliæ, Cliviæ, Montium & Geldriæ, Comites Nassovios, Sayn / Virneberg und Nider = Eisenburg / & terras ad Mosam usque, cum Comitibus cæteris, Prælatis, Dynastis ac Civitatibus Imperialibus ibidem vicinis. d. rubr. hernach folgen. §. 9. Est autem notandum, Epi- 280
scoparum Utrajectinum & Ducatum Geldriæ cum Comitatu Zutphaniæ postea ex hoc Circulo in Burgundicum translatos fuisse, ut suprà dixi, hodiè verò à Confœderatis Batavis prorsus eximi; nec huic circulo à *Goldasto* & *Paurm. d. l.* rectè 281
junguntur Mindensis & Verdensis Episcopi, quia obloquitur constitutio Carolina, quæ eos in circulo Saxonico inferiore collocat, ut mox dicetur; Cameracensis etiam in lege ipsâ omissus, cur, cùm Imperio nihil amplius contribuat, teste Limnæo *in add. ad lib.* 3. *Jur. publ. c.* 7. *p.* 485. & hodiè à Gallis eximatur, circulo huic addendus sit, rationem nullam video; præter Comites verò in Constitutione nominatos (è quibus 282
Nassovii hodiè Principis titulo inclaruêre) sunt Frisii Orientales, Grafen von Ost=Frießland / & ipsi in Principes hodiè evecti, *Roding. in Pand. Cam. adauct. lib.* 1. *tit.* 20. *p.* 296. item Oldenburgenses, Bentheimenses, Tecklenburgenses, Schaumburgici, Lippii, Manderscheidii, & alii à Goldasto, Paurmeistero & Limn. *d. l.* relati; ex Prælatis, Abbas Corbeiensis, Stabulensis &c. è Civitatibus Colonia Agrippina, Aquisgranum &c. Vid. auctores modò alleg. Quanquam civitates plures adjectæ appareant, quæ hodiè Statum immedietatis sub Imperio vix habent. Directorium hujus Circuli officium, quin 283
ad Ducem Juliacensem, ut præcipuum in secularium Principum Ordine, quem hodiè per alternationem Brandenburgicus & Palatinus Electores repræsentant, rectè referatur, dubitandum non est, sed idem quoque directionis in eodem Circulo

culo munus inter Ecclesiasticos Archiepiscopo etiam Coloniensi attribuit *Burgold. præc. loc.* Verum ut arbitror, iterum erroneè, utique in sensu reduplicativo & formali, quatenus Archiepiscopus Coloniensis est; nam hoc respectu ne membrum quidem est circuli Westphalici, sed Rhenani Electoralis,
284 ut supra dictum; constat verò Principum neminem in Circulo alio, cui ipse non insit, Directorio officio fungi; itaque non Archiepiscopus Coloniensis hujus Circuli Director est, sed Episcopus Monasteriensis, quem constat inter præcipuos & potentiores ejus Circuli Principes haud dubiè referri. Et hæc bre-
285 viter de Circulo Westphalico. Sequitur è Circulis ultimus Saxonicus inferior, sub quo Lex Carolina complectitur, Archiepiscopum Magdeburgensem, item Bremensem, Hildesiensem, Mindensem & Verdensem Episcopos, prætereà Duces Brunovicenses & Luneburgenses, Megapolitanos, Holsatos Slesvicenses & Lavenburgenses, tùm Prælatos, Comites, (quod tamen vocabulum Moguntina editio de anno 1660.
286 omisit) Dynastas & Civitates per illos districtus. Ubi primò notari debet, Bremensem inter Episcopos in Constitutione relatum, & hoc expresso etiam insignitum nomine; der Bischoff zu Bremen/ cùm tamen sit Archiepiscopus Germaniæ & in *ordinatione regimenti*, ut vocabatur, non tantum à Maximiliano I. Imperatore sub rubr. der sechste Rath. de anno 1500. sed etiam ab ipso Carolo V. *in Ord. Reg.* de anno 1521. §. der sechste Crenß/ claris verbis unà cum Magdeburgensi Archiepiscopus vocetur, ibi: der Ertz-Bischoffen zu Magdeburg und Bremen/ quibus posteà subjiciuntur Episcoporum nomina, quin
287 & Imperii Recessibus nomine Bremensis antistitis, subscriptiones factæ sunt sub titulo Archiepiscopi, uti videre licet, ex subscriptione *Recess. Imp. de anno* 1512. 1530. 1541. & alibi; hinc in tabulis Instrumenti Pacis ad coronam quoque Sueciæ non sub Episcopatus, sed Archiepiscopatus nomine Bremensis Diœcesis translata legitur; vid. *Instr. Pac. Cæs. Suec. art.* 10. §. *Tertiò Imp. VII.* ut adeò dubitandum non videatur, mino-
rem

rem Episcopi titulum incuriâ quadam Archipræsuli Bremen- 288
si datum, quæ res si studio & facto ipso olim contigisset, dixisset forte Innocentius III. Pontifex, Bremensem Archiepiscopum *esse Episcopatum, imò Dearchiepiscopatum*, uti loquitur *in c.* 1. *X. de transl. Episc.* graviter ferens Apamensem Archiepiscopum in Episcopalem Ecclesiam Tripolitanam translatum ab Antiocheno Patriarchâ, quem propter hanc causam à jure confirmationis Archiepiscoporum suspendit; sed hæc obiter & velut in transitu. Illud interim constat, licèt uni tantùm titu- 289
lus sit datus, duos tamen in circulo Saxonico inferiori comprehensos fuisse Archiepiscopos, Magdeburgensem ac Bremensem, & consequenter juxta tenorem legis remanerent Episcopi quinque. Verùm ulterius & secundò notandum est, non tantum duos hos Archiepiscopatus, sed & tres Episcopatus, Hal- 290
berstadiensem, Mindanum & Verdensem hodiè in secularem statum esse transformatos, per tabulas pacis Germaniæ, ita nimirum, ut Archiepiscopatus Magdeburgensis cum Halberstadiensi & Mindano Episcopatu, Electori Brandenburgico pro æquivalenti, regno verò Sueciæ Archiepiscopatus Bremensis cum Episcopatu Verdensi sub Ducali, vel Principis secularis titulo cesserit: *Instr. Pac. Cæsareo Suec. d. art.* 10. §. *tertiò Imp. & art.* 11. §. *pro æquivalenti.* 1. *&* §. *eidem Domino.* 4. unde actu ipso superer unt duo Episcopi hujus circuli sub qualitate Ecclesiasticâ, Hildesiensis nempe & Lubecensis. Notan- 291
dum & considerandum tertiò Slesvicensem Ducatum in lege circuli posse videri positum per modum tituli Holsatiæ Duci competentis, non ut partem circuli Saxonici inferioris; sunt enim duo distincti Ducatus Slesvici & Holsatiæ, sed hi non secernuntur in lege per distincta nomina Ducum Hertzog zu Holstein / item Hertzog zu Schleßwig / sicut factum exemplo Ducum Brunovicensium & Luneburgensium in eadem hujus circuli lege; & hæc omninò conveniunt sententiæ de omnimodâ Ducatus Slesvicensis exemptione ab Imperio, quam hodiè multi probant, & præ ceteris propugnat *Conring.*

de

292 *de fin. Imp. c.* 15. *per tot.* Verum conferentibus nobis alteram Legem Caroli Quinti de hoc eodem circulo anno proximo præcedente sancitam, *in Ord. Regim. Worm. de anno* 1521 apparet ex §. der sechste Creyß. ponderando verba: Landschafft und Gebieth / inter cæteros ibi relatos, Ducum Holsatiæ & Slesvici non titulos, sed provincias & territoria in circulum Saxonicum referri; & ex consequenti verosimile non est, eundem legislatorem anno subsequenti, in lege recensente Status ejusdem circuli, quo ad articulum pacis publicæ contrarium, quod
293 quidem expressum non est, hac in re constituisse; cui accedit, quod Slesvicensis diœcesis etiam in marticulâ Imperii habeatur *de anno* 1521. quanquam Daniæ Rex contrà protestatus, & secundum Regnum Daniæ in ipso Augustæ Cameræ Tribunali judicatum sit, referente *Gylm. lib.* 1. *decis.* 11. & ex eo
294 *Conring. d. l.* At vero hanc litem non de Ducatu, sed Episcopatu Slesvicensi, & quidem in possessorio fuisse agitatam probat eadem decisio Cameralis apud Gylm indicata, vel ipsum ab Advocato fisci pòst institutum petitorium, cujus suspensio auctoritate Caroli Quinti Imperatoris facta refertur; planè ista omnia, uti & quæ (ad congruum sc. tempus redigenda) de Eigdora fluvio Imperii ac Daniæ Regni limite afferuntur, non adeò movere posse videntur, ac sententia ab Imperato-
295 re Sigismundo de Slesvicensi Ducatu ex compromisso pronunciata, quo hunc Ducatum tàm quoad directum, quàm utile dominium Regi ac Regno Daniæ fertur adjudicasse; quæ si ita in facto contigerunt, ut narrantur, fateor difficiliorem hinc videri causam Imperii, & Slesvicensem Ducatum exemptum, intuitu tamen Constitutionis Carolinæ prælle-
296 gatæ ac Matriculæ Imperii (etsi hæc exteris domestica documenta haberi possint) Ducatum istum certò exemptum asserere non minus, quàm Referens apud *Gylm. d. decis.* 11. *n.* 1. de Slesvicensi Episcopatu, idem censuit, religioni mihi duco tùm quòd integra Fiscalia acta legere haud contigerit, tùm quòd

quòd post ætatem Sigismundi in privilegio Friderici Tertii Imperatoris Christiano Primo Regi Daniæ concesso de 297
anno 1474. expressa fiat mentio terrarum ac ditionum aliarum, quas Rex præter Holsatiæ Ducatum ab Imperatore & Imperio recognoscat, verba privilegii ita habent: **und bey ihren (der Königlich-Dähnischen Unterthanen/ von welchen daselbst geredet) in dem Hertzogthumb zu Hollstein und andern Landen und Gebiethen/ so er (König von Dännemarck) von uns und dem H. Reich hat rc.**
& tenore sequenti aliquoties fit mentio dictorum Princi- 298
patuum in numero plurali, ibi: **vorbestimmten Fürstenthumen und Landen**/ ibi: **der vorgeschriebenen Fürstenthumen und Landen**/ ibi: **in denselben Fürstenthumen und Landen**/ & ibi: **der vorgemelten Fürstenthum und Lande**/ ut sic sub terris ac ditionibus illis cæteris, Principatus aliquis utique contineatur, cum in solo Ducatu Holsatiæ, pluralis Principatuum numerus consistere nequeat, & quia in his ipsis Principatibus terrisque, subditis regiis privilegium de non evocando ad exotica judicia conceditur, colligere hinc licèt, Principatus illos terrasque ad- 299
huc Imperio subesse, ne concessio hæc videatur frustranea, quæ tamen non tantùm Friderici Tertii ætate primùm emanavit, sed adhuc superiori seculo decimo sexto, petente Friderico Secundo Daniæ Rege, bis confirmata fuit, à Maximiliano Secundo & Rudolpho II. Imperatoribus, prout idem Privilegium cum confirmationibus exhibet *Limn. lib. 5. jur. publ. c. 9. post num. 3.* Ut paucis igitur dicam, 300
Slesvicensem Ducatum haud temere negaverim in quasi-possessione libertatis & Status exempti esse, an verò plenam libertatem, uti Daniæ Regnum, quoad jus ipsum jam præscripserit, cum utique olim non minùs quàm ipsum Daniæ Regnum Ducatus iste Slesvicensis, in quo adhuc hodiè usus

Teutonicæ linguæ haud prorsus aspernandum prisci juris testimonium præbet, Imperio subjectus extiterit, & peculiari formâ à regno separatus, illud verò exemplis similibus suprà allegatis malo in medio relinquere, quàm non integris, quæ hanc rem concernunt, visis actis gestisvè cum aliis, quibus studio indubiæ veritatis subscribere vereor, cer-
301 ti quippiam definire. Neque omittendum, sed quartò notandum, Comites ac civitates Imperiales nominatim addi à *Paurmeistero*, *Limn. & alleg. d. l.* Comites quidem, Delmenhorstios, Reinsteinios & Windsdorffios, licet hos posteriores aliqui collocent in Circulo Westphalico; è civitatibus Imperii huic Circulo jungere solent Lubecam, Hamburgum, Nordhusiam, Müllhusiam, Goslariam & Gottingam, ita *Schönborn.* & *Fabronius* in Schemate hujus Circuli, quos *d. l.* refert *Limneus*, omiserunt autem Bremam, quam tamen inferioris Saxoniæ Circulo jungi per Constitutiones Imperii, (licet nullas alleget) non dubium
302 putat *Knipschild. de civ. Imp. lib. 3. c. 6. num. 5.* Studio controversias, quæ vel Regi Sueciæ cum Bremensi, vel Regi Daniæ cum Hamburgensi civitate de Statu sunt, prætereo; sed cur Nordhusia vel Müllhusia, Thuringiacæ civitates, aut in confinibus Thuringiæ sitæ, Circulo inferioris, non superioris Saxoniæ sint unitæ considerandum paucis est; cujus rei hanc reddi rationem posse arbitror, quòd cum in primâ ordinatione Circulus Saxoniæ tàm superioris quàm inferioris unus idemque fuerit, sicut apparet *ex Ord. Regim. de anno* 1500. *rubr.* wie sechs Räth. §. der sechste Rath. & de anno 1521. §. der sechste Creyß. posteà diviso hoc Circulo in duos, Superiorem sc. & inferiorem Saxonicum, confines civitates, aut non longè dissitas, magis in schemate priori relinquere, quàm in novum Circulum Saxonicum Superiorem transferre è re visum

ſum ſit. Cæterum ipſa conſtitutio Circuli hujus terminos ad 303
mare uſque protenſos exprimit, biß an die See / quod
mare ſine dubio eſt Balthicum; habet nimirum Germania moderna duo maria in partibus Septentrionis, quorum alterum nominatim Septentrionale ſitu ad occidentem declinante vocant die Nord-See / alterum à Septentrione, ad plagam magis orientalem exporrectum,
quòd vulgò Balthicum, ſive Oſt-See / nominant; eſt- 304
que hoc ipſum terminus ille Circuli Saxonici inferioris, demonſtrante id ſitu ac tabulis Geographicis, conformiter ipſius Imperii legibus, ut jam dixi. Superſunt Directoria hujus Circuli, quæ à parte Eccleſiaſticorum Principum inter duos
Archiepiſcopos Magdeburgenſem & Bremenſem alternis ex 305
recepto more vicibus fuerunt adminiſtrata, quæ eadem alternatio Directorii Circularis, converſis per pacem Germanicam Archiepiſcopatibus in ſeculares Principatus, pari ratione ad ſucceſſores ſeculares tranſiit, & ſic hodie Rex Succiæ quà Dux Bremenſis, & Elector Brandenburgicus quà Dux Magdeburgenſis, inter ſe ratione Directorii hujus circuli alternant, ſalvo Ducum Brunſuicenſium ac Luneburgenſium Con-Directorii jure, quæ res cum in *Inſtr. Pac. Cæ-* 306
ſareo Suec. art. 10.§. *in Circulo* 10. clarè & ad literam expreſſa fuerit, miror, cur *Burgold. d. l.* omiſſo Bremenſi ſolius Magdeburgenſis Archiepiſcopi (hodiè Ducis) fecerit mentionem. Atque hæc habui, quæ de Circulorum origine & inſtitutione, numero, legibus, Directoribus & membris,
tùm in genere tùm in ſpecie proponerem; de Præfectis ve- 307
rò & Adjunctis Circulorum ſingulis ideò peculiariter non dixi, quia hæc functio temporalis eſt & valde incerta, atque à mutabili Statuum arbitrio dependens, ut melius crediderim, omiſſis quæ tam lubrici facti ſunt ſpecialibus, in explicatione generali perſonas & munera Præfectorum &

308 Adjunctorum concernente. Unum tamen hactenus declaratis subjicere articulum de redintegrandis circulis, haud abs re fuerit; potest verò redintegratio circulorum intelligi, vel de partibus avulsis reduniendis, vel de legibus circularibus emendandis; Prior consideratio majorem potestatem requirit, quâ injustè ablata recuperentur; posterior prudentiam legislatoriam, quâ defectus legum circularium tollantur; est quidem hæc materia inter alias graviores ad Comitia remissa, per *Instrument. Pac. art.* 8. §. *habeantur*. 3. sed constat in iisdem de redintegrandis partibus deliberatum vel conclusum nihil esse, sed de legibus; unde certa quædam rerum circularium dispositio prodiit in *Recess. Imp. de anno* 1654. à §. Nachdem auch Chur-Für-
309 sten. 178. usque ad §. Nachdem auch. 186 inclus. Non deesse tamen videntur, quæ ad plenam redintegrationem circulorum quis desideret, cùm experientia hactenus non minus ac olim, ostenderit hac circulari dispositione pacem publicam salvam tutamque præstare non licuisse; nec sanè rem facilem arbitror ea proponere, quibus circulorum defectus hac Reipublicæ formâ planè possint emendari; subjiciam tamen aliqua materiam de redintegrandis circulis concernentia, hoc præmisso, quòd per se aliud nil sit redintegratio circulorum, quàm legum circularium emendatior repetitio publica, qualem multoties susceptam
310 esse docent recessus plures Imperii, qui compendio commemorantur in d. §. Nachdem auch Chur-Fürsten.
311 Itaque primò ex re esse videtur, omnes Status singulorum circulorum perfectè describi; nam in schemate Carolinæ legis, de qua hactenus dictum, nonnulli etiam ex Ordine Principum expressè nominati non sunt, velut in circulo Saxonico Superiori Principes Anhaltini, in Franconico Magister Ordinis Teutonici, item Henne-

ber-

bergenses Principes vel Comites Principibus pares, in Suevico Præpositus Elwangensis &c. Dignum verò est 312
Principali culmine, Principes & veteres, quique his ab antiquo pares habiti sunt, & recentiores, qui novâ concessione Cæsareâ in statum Principum sunt evecti, in catalogo membrorum circuli, cui subsunt, nominatim exprimi; etenim quæ notabilia sunt, si non specialiter notentur, videntur quasi neglecta, juxta *Vlpianum in l. item apud Labeonem. 15. §. 25. ff. de injur.* Hoc amplius cæteros quoque 313
Ordines vitandæ dubitationis gratiâ, non in genere, sed nominatim in lege comprehendi, utilius videtur, cum non desint exempla eorum, qui à diversis Scriptoribus diversis in circulis collocati fuerint; præstat verò sciri, sub quo quisque Status circulo sit sive major sive minor, tum propter conventus circulares, ne qua his suboriatur confusio vel defectus, tum propter demandatam Cameralis vel Cæsareo-Aulici Judicii executionem; opus ergò videtur perfectâ ac nominatim factâ singulo 314
rum Statuum suis in circulis descriptione, quæ non certioribus Principiis, quàm ex actis & protocollis conventuum circularium peti, peragique posse videtur, quin & eos, qui in statu exemptionis versantur, si fortè Imperio jus aliquod superesse possit, haud abs re fuerit, nihilominus schemati circulari inserere, tùm etiam Principes directores cujusque circuli, ut quod usu ha- 315
ctenus & observantiâ innotuit, lege constet, haud inconveniens videtur, nominatim complecti. Quàm maximè etiam secundò pertinet ad redintegrationem circulorum militiæ circularis exactior dispositio, eam duo- 316
bus meâ sententiâ liceret absolvere capitibus, scilicet constituto Duce vel Præfecto generali, & milite perpetuo; provisio de Duce militari valde est necessaria: cum enim decem sint pro numero circulorum Præfecti militiæ, vel tot saltem juxta legem circularem esse debeant, (vix vero

317 rò invenientur actu constituti per singulos circulos) sunt tamen decem illi pari potestate, adeoque deficit imperium militare supremum, & ordinarium, è re videretur, hoc publicâ lege sanciri; quanquam enim circularis dispositio Præfecto requirenti cæteros in auxillium deferat superioris imperii partes, das Ober-Commando / velitque reliquos Præfectos eidem subesse, *Recess. Imp. de anno* 1555. §. Als dann ferner. 77. tamen actu ipso vix hoc procederet sine studio æmulationis inter eos, qui functione ordinariâ sunt pa-
318 res ac Præfecti diversorum circulorum; deinde hæc directio præfectoria superior ab ipsa lege restringitur ad casum, quo trium aut quinque circulorum auxilia requiruntur, ipsique Præfecti comparent, in specie verò deputationis, ubi omnium circulorum concursus pro depellenda vi injustâ desideratur, Statuum Deputatorum permittitur arbitrio & amicabili conventioni, cui partes istas Imperii militaris superioris velint committere, & sic Dux talis urgente jam periculo est demum eligendus, d. Rec. de anno 1555. §. Da aber auff versamm-
319 leter 78. atque tunc etiam, quando tres aut quinque circuli unitis & consiliis & viribus pacem publicam defendere satagunt, nulla imperii vis est in requirendo, sed magis rogatio auxilii habet locum, cui si variis de causis fortè non deferatur, si Præfecti vicinorum circulorum non veniant, legitimi subsidii velut inciso nervo, Respublica in circulo afflicto pati interim
320 poterit detrimentum, sed hoc faciliùs averteretur à Duce vel Præfecto superiori, qui pro majori imperio, quatenus opus, jubere posset Præfectos alios, ut laboranti Circulo junctis consiliis & armis succurrerent; nec exemplo simili res hæc distituitur, dum in Comitiis Augustanis de anno 1500. tit. des Reichs
321 Hauptmänn betreffend 52. Dux militiæ generalis Imperii nomine constitutus & electus fuit Albertus, Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux, sub cujus imperio fuerunt Præfecti militares cæteri, die Unterhauptleuth/ ab ipsomet ex consilio Adjun-

junctorum recepti, ibid. tit. von sechs Räthen. 53. atque Præfectos subordinatos, imperio Capitanei generalis parere debuisse, apparet tùm ex *tit. sequ.* 54. *ibid.* in verbis: Der gedachte gemeine Hauptmann/ und seine Unterhauptleuth / tùm ex juramentorum formulis, *tit.* 55. *& tit.* 58. tùm denique ex cura & inspectione numeri militum, *tit.* 62. *ibid.* Haud infi- 322
cias ibo, Ducem hunc generalem, non pacis tempore electum, sed bellicis curis & expeditionibus continuis præstitutum, ut ostendit *d. Rec. tit.* Wo der Hauptmann allzeit seyn soll. 56. Verum sufficiat Capitaneum generalem Imperii ele- 323
ctum, cui cæteri Præfecti subsint, quem quid vetet, pari ratione in pace etiam haberi, ut omnem vim ingruentem pro viribus ex circulis tempestivè abarceat, & laborantibus pressisque Statibus sit auxilio, nihil equidem apparet, quin magis, quod jam dictum, è Republica crediderim. Solent equidem 324
Constitutioni Ducis generalis Imperii militiæ duo opponi: 1. Imminens periculum libertati. 2. Sumptuum difficultas; ast utrique objectioni remedium quæri potest: nam Circulorum Ordinumque libertati consulere licebit partim restrictione potestatis, dum Dux adjunctos habere poterit, qui ejus potestatem, si quacunque ratione periculosa Statuum juribus vel libertati prospiceretur, quò minus noceret, cohibere & possent & deberent, ceu quidem ex ipsa Lege Recessus Augustani 325
constat, supremum quidem militiæ gradum, non tamen absoluto prorsus exercitio, sed Adjunctorum consilio temperatum restrictumque Duci Alberto Imperii nomine commissum esse. *d. Rec. & tit.* 53. partim jurejurando, quo & Imperatori & Imperio, & consequenter universis circulis Dux vel Capitaneus generalis obstringeretur, quod iterum videmus exemplo observatum in *d. Rec. Aug. tit.* Des Hauptmanns Eyd. 57. Alteram de sumptibus scilicet objectionem quod 326
attinet, non pacis tempore, pro Duce generali magna vide-

videretur impendenda quantitas ; cum enim Præfecto-
rum circuli, ut suprà vidimus, gratuita sint ex legis dispo-
sitione officia, in pace, quâ minor Duci sollicitudo,
si non pariter gratuitum superius hoc munus, saltem
compendium moderatius ei, bello verò ingruente au-
327 ctius, definire liceret, Recessus ille Augustanus Tit. Was
man dem Hauptmann zum Sold geben soll. 66.
Summam mille trecentorum florenorum (at quantula hæc
est ad præsentis temporis luxum ?) per singulos men-
ses designavit; Imperio autem liberum foret, pro circum-
stantiis annuum quid in pace statuere, quod in decem
circulos divisum parvi esset momenti; Republicâ vicis-
sim habiturâ Ducem generalem, & pacis publicæ & liber-
328 tatis singulorum vindicem. Ad implementum porrò redin-
tegrationis circulorum maximè pertinet, habere in sin-
gulis circulis Præfectos, de qua re ex Lege Carolina jam
suprà satis dictum, quos Præfectos, quibus in circulis fortè
deficiant, ut legi satisfiat, eligere ac constituere opor-
329 tet cum suis Adjunctis. Sed claudat agmen rerum, quæ
ad circulos redintegrandos pertinent, miles perpetuus ac
publicus, quem ad perfectum statum circulorum requiri,
nemo, ut opinor, negabit, nisi politicarum & specialiter
Germanicarum rerum ignarus, aut alioquin sequiori af-
fectu corruptus, non est opus, ut in vetera excurramus
hujus asserti veritatem demonstraturi, quanquam multo-
rum loco, unius Reipublicæ Romanæ, quæ ex florentissi-
mo libertatis statu, præsertim defectu publici militis, in
330 Principatum conversa est, exemplum sufficere posset; sed
præsentia inspiciamus tempora, quæ verum, etsi invisum
dabunt militi privato, (quem, qui membrorum singulorum
non totius Imperii sit, vocamus) & à disciplina malè
servata, & à multis concomitantibus malis testimonium
quodsi

quòd si haberemus militem, publicis auspiciis conscriptum, disciplinæ strictiori sub singulis circulorum Præfectis assuefactum, & sub cura Capitanei generalis vel Ducis constitutum, longè majora commoda ex vera defensione pacis ac propulsatione injuriarum, quàm incommoda ex sumptibus & sustentatione Circulis fore arbitror, quippe cum liceret in pace copiis non ita numerosis, egre- 331
giis tamen ac fortissimis Reipublicæ consulere, quarum numerus imminente bello augeri faciliùs posset, ut sic tam belli, quàm pacis tempore, circuli impendiis præstandis, absque insigni onere futuri essent pares, id quod multò magis affirmandum, si Reipublicæ conservandæ emolumenta alia adderentur, quò conferri possunt dudum à me scripta in *Tractatu de Ratione Status cap.* 15. *per tot.* & circa militem publicum *cap.* 14. *per totum.* Planè nostra hæc 332
ætas, quâ milites magis cum miseris provincialibus, quàm cum hoste certare videntur, novo indigeret Aureliani Imperatoris edicto, qui graviter statuit, ne quis militum provinciarum incolis injuriam vel vim ullam faciat, & ut præter stipendium, de prædâ hostium, non de lachrymis provincialium vivat; sed & legum militarium Impe- 333
rii, **des Reichs Kriegs-Rechte** / provida habetur Maximiliani Secundi Imperatoris dispositio subnexa Recessui Imperii de anno 1570. & auctior, à Ferdinando Tertio Imperatore in Recessu Imperii de anno 1641. â §. **Bey dem andern Puncten.** 31. usque ad §. **Alles das jenige.** 89. inclus. addita fuit. Verum optimas hasce leges malè servari, usus, aut potius abusus temporum demonstrat, idque 334
etiam in aliis circa rem monetariam, vestiariam, & quæ alia sunt politiam & publicam curam concernentia, cautè ac prudenter sancitis ordinationibus dolendum est, ut Cleonis sententiæ apud *Thucyd. lib.* 3. *histor.* asserentis meliorem fortunam ejus Reipublicæ, quæ vel deterioribus legibus

constanter utitur, quàm quæ meliores negligit. Constitutionum Imperii nostri neglectarum exempla testimonium publicum hodie præbeant. Et hæc de præsenti titulo dicta sufficiant.

TITULUS IV.

DE IMPERATORE ROMANO-GERMANICO.

SUMMARIA.

Num. 1. *Imperii significatio duplex, materialis & formalis, & quæ illa, vel hæc sit.* 2. & 3. *Imperii vox interdum accipitur pro cœtu Ordinum in oppositione ad Imperatorem.* 4. *usque* 7. *Imperatoris nomen quid diversis olim temporibus & posteà designaverit?* 8. *usque* 11. *Principis titulus quid in liberâ Republicâ Romanâ & posteà significaverit?* 12. *usque* 15. *Cæsaris nomen olim familiæ, sed posteà publicum fuit, pro novo Consorte vel Adjuncto Imperii acceptum.* 16. *usque* 19. *Augusti vocabulum imperanti Principi datum à Cæsare sic quondam fuit distinctum, ut hodie nomen Imperatoris à Regis Romani nomine.* 20. *Cæsaris titulus hodie longè major, quàm olim, solique Imperatori regnanti competit, sed Augusti etiam Regibus Romanis.* 21. & 22. *Sacri nomen Cæsari vel Imperio cur tribuatur?* 23. & 24. *Regius titulus Romæ olim invisus inter initia Principatus non æquè ut posteà Imperatoribus attributus, & indubiè etiam Romano-Germanicis.* 25. 26. & 27. *Imperatoris definitio & declaratio.* 28. 29. & 30. *Imperio Germaniæ non præfuère vel præsunt mulieres.* 31. *usque* 44. *Impera-*

peratorem debere eligi ex Germanis, probatur. 45. usque 49. Imperator debet esse ex familia illustri, ubi speculum Suevicum cap. 22. declaratum. 50. Imperator debet esse orthodoxus, & quinam hodie tales habeantur per leges Imperii. 51. 52. & 53. Imperatorem oportet esse secularem. 54. usque 57. Imperator & Pontifex idem hodie esse nequit. 58. 59. & 60. Imperatoriæ virtutes quænam maximè requirantur? 61. & 62. Leopoldi Imperatoris nostri invictissimi pietatis & felicitatis elogium.

EX quo dictum tit. proximo de Imperio Romano - Germanico consideratione materiali, quatenus continetur certis regnis, provinciis, circulis & finibus, ordine di- 1
cendum est de eodem Imperio ex consideratione formali, quo sensu vulgò notum est, Imperium accipi pro corpore Politico de Republica participantium, cujus intuitu Imperator capitis, Status verò membrorum rationem habent; & ita Imperium sumi constat, quando dicimus Comitia Imperii, recessus Imperii, quia indigitatur Cæsaris & Ordinum congregatio publica, item Cæsaris & Ordinum de publicis negotiis conventio, quâ de re suo loco. Porrò nomen Imperii 2
sub respectu etiam formali interdum denotat cœtum Ordinum in oppositione ad Imperatorem, veluti in tabulis pacis *Cæsareo Suec. art.* 10. §. 6. & §. 7. ubi dicitur, Imperator de consensu totius Imperii concedere reginæ & regno Sueciæ civitatem portumque Wismariensem &c. Archiepiscopatum item Bremensem & Episcopatum Verdensem, nec non *in Instr. Pac. Cæs. Gall.* §. 72. 73. 78. & 79. ubi Imperator & Imperium dicuntur concedere Pignarolum, Brisacum & alia regi ac regno Galliæ, magistratus locorum & subditos jure jurando priori exsolvere, tùm Constitutionibus Imperii & Capitulationibus derogare; & consequenter hisce locis vox Imperii significabit 3
totum Corpus Electorum, Principum Ordinumque Imperii,

quippe de quorum consensu negotia illa cessionum, aliaque Imperator peregit. *Conf. Instr. pac. Cæs. Suec. d art.* 10. §. 1. *& Instr. pac. Cæs. Gall.* §. 69. *&* 80. Hac igitur considerandi ratione de Imperatore, ut capite, prius dicendum erit, eaque tractatio absolvetur titulis sequentibus, videlicet de persona Imperatoris, de Rege Romano, de ejus electione, de capitulatione, de coronatione, de juribus Cæsareis in genere, de regalibus ex Constitutione Friderici, de reservatis Cæsareis circa Ecclesiastica, de reservatis Cæsareis secularibus, tùm de modis finiendæ administrationis & horum jurium, quibus addendi tituli de Augusta Imperatrice vel Regina Romana, item de Vicariis Imperii, ac
4 de his quidem omnibus ordine. Quoad Imperatorem igitur diversa sunt præmittenda & explicanda nomina, fastigium tanti Imperii denotantia, putà Imperatoris, Principis, Augusti, Cæsaris; nomen Imperatoris vetustum illud quidem, sed apud veteres Romanos diversæ significationis fuit, quibus Imperator erat militiæ Dux, quem nos hodie Generalem vocamus; sic olim in Republicâ Romanorum liberâ præfuerunt exercitibus Dictatores vel Con-
5 sules; ita v. g. cum Annibalis orationi pro pace in Africâ responderet Scipio, ait *Livius lib.* 30. *histor. adversus hæc Imperatorem Romanum in hanc ferè sententiam respondisse &c.* haud dubiè intelligens nomine Imperatoris Scipionem, liberæ tunc Reipublicæ Romanæ Consulem; ita etiam posteà, cum in colloquio Ephesino Annibalis sciscitaretur Scipio: quem maximum Imperatorem crederet Annibal, quæstio est de Duce militari ex gloria rerum gestarum præcipuo,
6 uti contextus ostendit apud *Livium lib.* 35. *histor.* Eadem significatione vox Imperatoris non unâ vice à Cicerone accipitur in *Philipp.* 3. *& Philipp.* 4. *orat.* & alibi apud Scriptores Romanos; ipse Cajus Jul. Cæsar Marco Crasso à Parthis interfecto Imperatoris nomen tribuit *lib.* 3. *de bell. civ.*

imò

imò etiam Ducum belli exempla non desunt, quibus inter ini-
tia Principatus Romani, hac significatione titulus Imperatoris
per honorem attributus fuerit, ut Cajo & Lucio, Augusti ex
filia Julia nepotibus ab avo Augusto, referente *Dione in vita
ejus*, Germanico, auctore Tiberio Cæsare, ceu tradit *Tacitus
lib.* 1. *Annal.* Posteà verò Imperatoris nomen non honoris 7
vel officii militaris, sed supremæ potestatis civilis fuit, quâ de
re ita scribit *Alexander ab Alex. Gen. dier. lib.* 1. *cap.* 1. *p.*
12. *Demùm Cæsares ne in crimen invidiamque inciderent,
Imperatoris nomen tanquam titulum mitem & honestiorem,
abrogato Regis vocabulo iterùm & sæpè desumpsere.*

Principis titulus vi vocis primum vel præcipuum de- 8
signat, & priscis usitatus fuit, cum honoris gratia, qui primus
esset in Senatu, diceretur Princeps Senatus, ut olim Quin-
tus Fabius, Maximus, & sic vocabulum Principis pro primo
& præcipuo sui ordinis accipitur in *tit. Cod. de princip.
agentium in rebus.*

Sed nomen illud civile & aptum visum est Augusto occu-
lendæ supremæ potestati; scribit enim *Cornelius Tacitus lib.*
1. *Annalium*, Augustum *cuncta* (publica nimirum) *nomine
Principis sub Imperium accepisse*; adeoque conversâ repu-
blicâ in monarchiam Principis nomen non meræ prærogativæ 9
fuit, sed supremæ potestatis, quique Princeps in republica,
idem post legem Regiam, de qua suprà dictum, Monarcha
& jurium Majestatis supremus fuit administrator, quanquam
adhuc, quod civile esset imperium, nomine magis vel civi-
liter imperandi modo Principatum à Regno discreverint;
refert enim idem *Tacitus dicto lib.* 1. *Annal. Prudentes vi-* 10
*ros vitam Augusti variè aut collaudasse, aut arguisse, inter-
que cætera sic disseruisse: Non Regno, neque Dictaturâ, sed
Principis nomine constitutam rempublicam mari Oceano,
aut omnibus longinquis septum Imperium: legiones,*

provincias, classes, cuncta inter se connexa: jus apud cives, modestiam apud socios: urbem ipsam magnifico ornatu:
11 *pauca admodum vitractata, quo cæteris quies esset.* Utroque igitur & Principis & Imperatoris nomine, licet origine diversa significarent, reductâ in rempublicam Romanam Monarchiâ, supremam potestatem civilem intellectam fuisse, satis clarum est, Regium nempe titulum Romani Monarchæ invisum populo non sibi sumserunt, sed civiles Imperatorum Principumque titulos, sub quibus tamen in tanto Imperio potestatem summam & absolutam Regiæ parem exercuerunt.

12 Cæsaris nomen haud dubium est familiæ fuisse, sed postea, firmatâ in Cæsarum familia supremâ potestate, hoc idem nomen publicum esse cœpit Imperatorum & Principum Romanorum, qui ab Authore Monarchici Status Cajo Julio Cæsare dicti sunt dicique voluerunt Cæsares exemplo simili, quo Ægyptiorum Reges Pharaones, & quo Par-
13 thorum Arsacidæ vocati sunt, & quo Vandalorum Rex Aistulphus expugnatâ Româ Successores Reges Aistulphos dici voluit; fuit tamen Cæsarei nominis ab Imperatore & Principe aliqua differentia, quod Adjuncti Imperio, quique spem haberent proximam Principatus, dicti sint Cæsares, quamvis nondum essent Imperatores vel Principes; ita sub Claudio Imperatore Agrippina secunda ejus uxor ægrè tulit, quòd filio Domitio Neroni, cum salutasset Britannicum, non redditus esset Cæsaris titulus, Corn. Tacito teste, quanquam nec Imperatoris nec Principis nomen tunc
14 idem ambire potuerit. Et sic etiam rescripta extant in jure Civili, quibus nomina Imperatoris & Augusti clarè discernuntur à nomine Cæsaris, velut in *l. si absentis. 4. Cod. si cert. pet.*
15 *& in l. si cum exiguam. Cod. de cond. ob caus. dat.* Et ut paucis me expediam, hodiè inter Cæsarem & Regem Romanum non minor est differentia, quàm in veteri Principatu in-

ter

ter Principem sive Imperatorem fuit & Cæsarem, quod sc. titulus Cæsaris jus Principatus plenum non includeret, ut nec hodiè vivo Imperatore titulus Regis Romani. Carpzov. *de Leg. Germ. cap.* 11. *sect.* 4. *num.* 13. Quamvis hæc Regis Romani ac Cæsaris in Imperio veteri comparatio in diversis punctis non procedat. De Augusti nomine, 16 quod Octaviano Cæsari post victoriam Actiacam obvenit, haud dubitandum, sive illud ab augendo sive ab augurio desumptum malimus, quin designet supremam potestatem; quorsum pertinent Ovidii versus, quos recitat *Besold. in Thes. pract. verb.* Mehrer des Reichs. & sanè auspiciis veterum convenientior esse videtur non illa Grammatica, sed Logica nominis Augusti derivatio, 17 quæ adscribitur auguriis, quanquam usu altera magis obtinuerit, quæ vota & effectus auspiciorum respexit, ne videlicet Augustus res Imperii diminueret, sed augeret, daß er das Reich allzeit mehre / und nicht ärmer mache / ceu expressit vetus constitutio Schwaben-Spiegel. cap. 21. Quæ res sanè quadrat titulo Augusti, 18 quatenus Imperator hodienum eo utitur, cujus nimirum latina verba SEMPER AUGUSTUS, Germanico idiomate reddi solent, allezeit Mehrer des Reichs / respexerunt nempe Imperatores nostri eam tituli Augusti significationem, quæ fastigio supremi Principatus simul & administrandi Imperii scopo, digna maximè esset, atque ut in Octaviano Cæsare, qui primus no- 19 men Augusti tulit, jura Principatus, quorum initia magis attigit, quàm fructus percepit Cajus Julius Cæsar, longis Imperii annis obfirmata sunt, ita successores non illi, qui spem magis ex novo consortio Imperii, sed qui jura Principatus actu obtinerent, dicti sunt

Augu-

Augusti, cæteris illis Cæsaris titulus, quo quidem & Au-
20 gusti uterentur, attributus; verùm longè diversa horum
titulorum hodiè ratio est, quia Cæsaris nomen tantum
Imperatori competit actu administranti Imperium, Au-
gusti verò nomen etiam Regibus Romanis in vitâ Im-
peratoris, ut docent Regiæ capitulationes Rudolphi Secun-
di, Ferd. Tertii & Quarti, item Josephi in præfationibus:
21 neque alia origo quæri debet nominis sacri, cum dicimus
sacram Cæsaream Majestatem; nam & apud veteres con-
secratum Imperii auspicium sacri nomen imperanti tri-
buebat, unde in antiquâ Republ. Romanâ tribunis ut sacro-
sancti essent, publicâ lege, posteaque, ut inter frag-
menta Livii refertur, post maximas victorias Cajo Julio
Cæsari is honor decreto Senatus obvenit, ut sacrosan-
22 ctus haberetur; in Republ. Christianâ haud dubium, quin
inauguratio Cæsarea solennibus precibus ac ceremoniis
religiosis peracta, sacra quoque censeatur, unde Impe-
23 ratori & Imperio nostro vel hodiè nomina sacra. Regis
nomen invisum Romæ non sumpserunt Romani Principes,
certè non in Principatu veteri, subsequens tamen ætas,
à Regiis nominibus non ita abhorruit, quin Imperato-
ribus variis in punctis tribuerentur; sic Regiæ Majesta-
tis titulus *in l. 1. C. ut nem. priv. tit.* Sic verborum re-
giorum *l. 2. C. eod.* sic sensus regalis *in l. fin. C. de ll.*
datus apparet, quod posteà Imperatoribus Francicis & Ro-
mano-Germanicis usitatissimum fuit, ut cum potestate
Regiâ & Imperatoriâ nomina quoque & Imperatorum &
24 Regum haberent; maximè verò Germanici & Romani
Regis obtinuere tituli, dum quem Germanici Proceres ele-
gissent regem, hic & Cæsarei culminis, cum supremo
Imperio urbis Romæ, haberetur particeps; cæteri v. titu-
li Regii, ut Hungariæ, Bohemiæ, Slavoniæ &c. item Hie-
rosoly-

rosolymorum Neapolis & Siciliæ &c. non nisi accidentaliter cohærent fastigio Imperatorio, quòd idem sc. & de Ducum, Marchionum, Comitum dignitatibus & nominibus, quibus hodiè Cæsar respectu patrimonialium provinciarum utitur, pari ratione affirmandum est. Sed 25
hisce missis nunc ad definitionem Imperatoris deveniendum est: Hanc *Limn. lib. 2. jur. publ. cap. 2. num. 1.* talem proponit: *Imperator est persona habilis ad capessenda Imperii regimenta ex illustri familiâ Germanicâ orta, ab Electoribus secundum leges Imperii fundamentales electa, ut Reip. Romano-Germanicæ tanquam caput & administrator legitimè præsit*; verum quoniam in definitionibus abstinendum est à prolixitate verborum concinnius sic definiri posse arbitror: *Imperator est Rex ad fastigium Imperii Romano-Germanici à Principibus Electoribus ritè electus & coronatus*: nomen Regis generis loco positum Imperator noster commune habet cum aliis regibus, sed decus Cæsareum vel Augustale ut specialis quædam amplitudo Majestatica eum ab aliis secernit, quia jus supremum Imperii Romani occidentalis, quanquàm angu- 26
stioribus hodiè terminis circumscripti, soli competit Imperatori nostro, unde si alii reges interdum ambitiosè sibi arrogant, aut à parasitis arrogari patiuntur Imperatoria nomina inanis est æmulatio. *Vid. Speid. in Syllog. voce* Käyser & *Limn. d. lib. 2. cap. 7. num. 35. 36. & sequ.* adieci quoque in istâ Imperatoris definitione: *ritè factam electionem & coronationem*, quia per alteram nempe electionem, Imperator si eam acceptet, consequitur jus & facultatem administrationis Imperii juxta constit. Ludov. Bavari Imperatoris de communi Ordinum consensu in Comitiis Franco-

furtensibus anno 1339. ut Goldastus, vel 1338. ut Aven-
tinus memorat, sancitam, *vid. Goldast. tom.* 3. *const. Imp.*
pag. 109. *Avent. lib.* 8. *Chron. p. m.* 497. *& Didac. Apo-*
27 *lepht.* in Historischen Erquickstunden p. 550. per alteram
verò, nempe coronationem, Imperii legitimum auspi-
cium sive solennem possessionem vel quasi, uti posteà
dicetur; Hoc amplius vocabulum *ritè* ostendit electio-
nem atque coronationem debere peragi ex præscripto
legum publicarum, tàm quoad qualitates personæ eli-
gendæ, quàm quoad electionis modum, de quo posteà.
28 Qualitates quadruplici consideratione discernit *Limn. d.*
cap. 2. *num.* 7. videlicet, naturæ, generis, professio-
nis & virtutum; naturæ, ut sit masculus, non fœmina,
muliebre etenim Imperium Germania nostra aversatur,
& semper aversata fuit; neque enim fœminas, sed Man-
nos, Suevos, Marsos, Gambrivios, Ariovistos, Har-
minios, aliosque viros ac Heroës celebres gentibus Ger-
maniæ olim imperâsse legimus, &, quod Tacitus scribit *lib.*
29 4. *histor.* de Velleda virgine, eam latè imperitâsse, ve-
tere apud Germanos more, non est accipiendum pro-
priè de potestate imperandi, sed de rerum gerenda-
rum auspiciis, quæ non videbantur ritè peracta, nisi ad-
hibitis fatidicis fœminis, quas Druides dixere, non quod
hæ imperarent, sed quod Reip. negotiis ut ceremonia-
rum superstitionisque gentilis Magistræ auctoritatem da-
rent, eoque sensu ad Ducem Civilem & hanc eandem
Velledam pro sanciendis fœderibus, missi Agrippinen-
ses legati, ceu refert idem Tacitus *d. l.* 4. *histor.* Planè
30 etsi quandoque contingat, fœminas Principes jure tutelæ
vel curæ hodienum certa territoria aut provincias admini-
strare,

ſtrare, illud tamen certiſſimum eſt, nullo prorſus exemplo gentis noſtræ conſtare, quod Imperium Romano-Germanicum unquam commiſſum fuerit fæminæ, ut quondam in Imperio Romano-Græco exemplo Irenes eveniſſe ex hiſtoriis notum eſt. Nec obſtat exemplum Agnetis Imperatricis, quia hæc non jure ſuo, ſed tutelari, Imperio præfuit, habuitque adminiſtrationem non lege, ſed teſtamento Imperatoris Henrici Tertii mariti ſui commiſſam, quæ tamen nec legitima fuit, nec Imperii Principibus & Ordinibus placuit, ut infrà dicetur. Sub genere complectitur Limnæus duo, nationem Germanicam & familiam illuſtrem; pro natione, ut ſc. 31
Imperator ſit Germanus, refertur Lex antiqua, quam Ottonis Primi tempore latam cenſent, ſed ea non extat; Adduci tamen ſolent in argumentum à Limnæo & aliis literæ cantonum Helvetiæ, quas ad Albertum Electorem Moguntinum ſuperiori ſeculo dederunt, eas 32
refert Goldaſt. in Reichshandlungen / p. m. 100. & ſeq. in quibus hæc leguntur: Daß ein löbl. Teutſche Nation ſolch Ehr und Würde eines Haupts als Heil. Römiſchen Reichs mit ihrer tapfern Mannheit und gröſlichen und mercklichen Blutvergieſſung hat erlangt und erobert / auch dardurch verdient / daß die Wahl ſolches auff ſie und auß ihnen iſt geſetzt und geordnet ꝛc. Quod teſtimonium ſi forſan exoticum videatur, confirmant in actu electionis Caroli Quinti Electorialia vo- 33
ta; nam cum proponeretur quæſtio, utrum Carolo tunc Hiſpaniæ Regi, an Franciſco Regi Galliarum Imperiale faſtigium conferendum eſſet, an forte tertio Germano, ſic graviter voto ſuo diſſeruit Moguntinus Elector: *Ad Gallum quod attinet, legibus noſtris & jurejurando nos (Electores) arbitror impediri, quibus cautum eſt,*

 ne

ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros, apud. Sleid.
34 *de stat. relig. p.* 20. Huic quamvis contradixerit Elector Tre-
virensis, & Franciscum eligendum censuerit, tamen voto suo
supponit eandem legem his verbis: *Legis autem illius hanc
opinor esse causam atque fundamentum, ne si quis elige-
retur externus, & qui domicilium non habeat in Ger-
mania, fixum Imperii decus hoc sensim ad alienigenas
transferatur; Si quidem hæc est mens atque sensus ejus
Legis, non magis eligi potest Hispanus, quàm Gallus
&c. apud Schleid. d. l. pag.* 23. Qui tertium votum dedisse
legitur Saxoniæ Elector Fridericus, similiter per argumentum
ex lege exteros eligi prohibente, voto suo Franciscum exclusit,
apud *Sleid. d. l. p.* 25. cujus sententiam cæteros Electores ap-
probâsse idem auctor ibidem retulit, quanquam si hac vo-
torum serie vota sint prolata, non observatus appareat
35 ordo in Aureâ Bullâ præscriptus, de quo suo loco. Ex his
verò constat Augustum Collegium Electorale aut totum aut
per majora, legem impedientem exteros eligi ad Im-
perii nostri culmen, tunc temporis præsupposuisse, & pro
fundamento habuisse adversus electionem Francisci, hæc
omnia autem tantorum Principum testimonia ac delibera-
tiones in actu publico tanti momenti ex vano esse, certè
36 minimè est verosimile. Quemadmodum autem de exi-
stentia hujus legis, quæ Germanos solos exclusis exteris
ad fastigium Imperii admittit, ex deductis dubitandum
non videtur, ita quo conditore illa ac tempore sancita
fuerit, non æquè certum apparet, Limnæus quidem *d. c.* 2.
num. 83. eandem legem adscribit Ottoni Primo Imperato-
ri, sed nullum testem præter Mutium adducit *l.* 14. *Chron.*
nam quæ ex Helvetiorum literis & Sleidano proximè allega-
vimus, de lege quidem, non vero de ejus auctore vel tempore
men-

mentionem ullam habent, & mirari subeat, quòd di-
ligentissimus Imperialium legum collector, Goldastus, hanc
in persona Ottonis Primi non retulerit cum aliis in
publicam lucem editis; quicquid sit, si vel maximè nulla 37
lex extaret fide authenticâ, quâ soli Germani statuerentur
eligendi promovendique in Cæsares, tamen sufficere de-
beret Aureæ Bullæ dispositio, dum vult & jurejurando
Electores adstringit, ne alium eligant nisi idoneum, hæc
verò, ut sic loquar, idoneitas relativa est, scilicet respe-
ctu Imperii, ac proinde is maximè censeri debet idoneus
ad capessenda Imperii gubernacula, qui virtutibus regiis
præditus, & ex Germanis oriundus est, quippe hi soli & 38
præ cæteris amare patriam & statum ejus nosse, suique simi-
libus, præsertim Principibus tantis ac Proceribus, non
nisi civili imperio assuetis optimè & justè imperaturi præ-
sumuntur, quæ forsan ratio fuit, cur Moguntinus Ele- 39
ctor in Electione Caroli Quinti voto suprà relato non
tantum legis, sed & jurisjurandi mentionem fecerit,
cujus formula in *A. B. c.* 2. relata, æquè nullam de non
nisi Germano eligendo in Imperatorem expressam men-
tionem facit, ac cætera Aureæ Bullæ in negotio Cæsa-
reæ electionis dispositio. Planè eam & fuisse Pontificis 40
mentem, dum in personâ Caroli (Magni scilicet) Impe-
rium à Græcis ad Germanos translatum esse fatetur in
c. venerabilem. 34 *x. de elect.* haud difficulter inde col-
ligimus, quòd opinione Pontificis translatio perpetua
fuerit, & passiva eoque sensu accipienda, ut natio Ger-
manica rempublicam Romanam per Occidentem non
tantum in personâ Caroli, sed quolibet Imperii succes-
sore sive jure sanguinis, ut in Carolingis contigit, sive jure

electionis posteà firmato successisset, obtentura esset;
41 nec enim alioquin translatio imperii in nostram gentem
facta censeri posset, si ad personam restricta fuisset, non
magis quàm veteris Imperii decus Cæsareum in Hi-
spanias, quia Trajanus Imperator Hispanus fuit, aut in
Dalmatiam, quia Diocletianus Dalmata, translatum in-
42 telligi debuit, eademque sine dubio est à Francis ad
Saxones translati imperii ratio; nempe ut in Germani-
câ gente Cæsareum fastigium duret, & successores ex
eadem gente ad supremum Principatum per electio-
43 nem assumerentur. Neque hæc contraria sunt suprà *titulo*
2. scriptis, quia translationem imperii hic non conside-
ro, ut ibi, secundum Principia juris gentium, sed historicè,
& quatenus de facto processit, neque dubitationem reci-
pit, quin maximè pacta Imperatorum Orientis similem
quoque habuerint scopum, ut in Germanicam gentem
in personâ Regum & successorum Imperium Occidentale
44 jure perpetuo transferretur. Quibus convenit etiam tot
seculorum usus non interruptus; Richardum enim An-
gliæ Principem & Alphonsum Castellæ Regem minus le-
gitimè, utpote discordantibus Principibus, electos, haud ve-
reor dicere cum Limnæo *Tomo quarto Juris publ. & add.
tomo* 1. *cap.* 2. *p. m.* 214. Ex quibus omnibus relinquitur,
Imperatorem hodiernum non nisi Germanum eligi debe-
45 re. Requiritur verò ulterius & (3), ut sit ex familia il-
lustri; ita enim olim Germani majores nostri, Duces ex
virtute, Reges ex nobilitate elegerunt, ut scriptum reli-
quit *Tacitus de moribus Germ.* Hinc & antiqua dispositio
Speculi Suevici cap. 22. rubr. **Wer zu König Edel genug
ist.** hoc tenore extat: **Die Fürsten sollen kiesen einen Kö-
nig/**

nig / der ein freyer Herr seye / und also frey / daß sein Vatter und seine Mutter frey seyen gewesen / eaque illustris dignitas ibidem declaratur his verbis: Und nit sollen Mittelfreyen seyn; & porrò additur: Sie sollen nit 46
seyn Mann / wann (id est, ausser) der Pfaffen Fürsten mann / und sollen Mittelfreyen zu Mann haben: Sensus hic est: ut eligendus in Imperatorem summo gradu participet libertatem, neminique Principum saltem secularium clientelari fide nexuve feudali sit obstrictus; hoc enim volunt sibi verba: Sie sollen nit seyn Mann; 47
vocabulum enim Mann vasallum nostrâ linguâ denotavit, quod multis investiturarum literis constat, visaque procul dubio Cæsareo culmini est congrua illa superior libertas & exemptio à seculari obsequio Principum, quâ quidem in conditione constituti antiquis dicti sunt: Die Semper-Freyen / uti declarat præallegatum Speculum Suevicum, quod inscribitur Land- und Lehn-Recht / apud *Goldast. cap.* 47. his verbis: Es heissent eine Semper-Freyen / das sind die freye Herren / als Fürsten und die andere Freyen zu Mann habend, & sic majores Do- 48
mini conditionis vel regalis feudi intuitu, ut Principes, quive alios habent illustres, aut à plebeiâ conditione exemptos vasallos, hoc nomine veniunt der Semper-Freyen / hi igitur videntur esse, quos jus feudale vocat Capitaneos regni 1. Feud. 1. §. 1. velut Imperii Duces, Marchiones, Comites, penes quos eminentior est illa libertatis & dignitatis conditio; valvasores, quos feudalia 49
jura sic nominant, & à Capitaneis feuda habere dicunt, existimo probabiliter mediæ conditionis, die Mittel-freyen/ & valvasinos infimæ sortis exemptos, aut his saltem conferendos, Vult igitur præcedens dispositio Suevica, eligendum in Imperatorem Capitaneis regni non inferiorem esse debere, atque ita usu servatum apparet, à primis temporibus Imperii Roma-

Romano - Germanici à Galliâ separati ad nostram usque ætatem; semper enim ex Capitaneis regni, sive regiam, sive ducalem, sive comitivam dignitatem, infra quam eligendo nunquam descensum haberent, Imperatores sunt electi, & hoc quidem tertium dici potest requisitum per-
50 sonæ eligendæ. Additur (4) Christiana religio, eaque orthodoxa; hæretici enim de jure habentur infames & banniti, *auth. Gazaros. C. de hæret.* adeoque à dignitatibus arcendi, *l. neque 2. C. de dign. c. excommunicamus. vers. credentes. X. de hær. c. quicunque vers. hæretici. eod. in 6. d. c. venerabilem. vers. nunquam enim.* & consequenter ad supremum apicem Imperatorii decoris de jure adspirare minimè debent. Quò pertinet expressus tenor dicti juris Cæsarei provincialis ac feudalis, apud *Goldast.* relata *c.* 21. §. 3. Orthodoxæ autem hodie religiones haud dubiè sunt, quæ publicis legibus approbantur, purà pacis religiosæ, *Rec. Imp. de an.* 1555. §. Doch sollen alle andere 17. & *Instr. pac. art. 5. per tot. & art. 7. §. unanimi. & §. si verò circ. fin.* Requiritur
51 (5) Status secularis personæ eligendæ; ut enim Pontifex Maximus supremum locum tenet in Clero, sic Imperator in Laicis; *c. solitæ 6. X. de major. & obed. post Castald. de Imper. quæst. 8. n. 7. & Anton. de Rosell. de pot. Imp. & Pap.*
52 *§. & prolixius n. 6. Limn. d. c. 2. n.* 89. Verùm hoc intelligo, si quis jam sacerdotio vel clericali aut religioso statui ita sit addictus, ut ad seculum ei reverti non liceat; nam tunc certissimum est, illum non posse eligi Imperatorem, quia Imperator per formulam juramenti Electoralis eligi debet Temporale caput, h. e. Princeps in Christiano orbe supremus
53 secularis. *Aur. Bull. c. 2. §. ego Archiepiscopus.* quæ qualitas hujus fastigii secularis non videtur compatibilis cuicunque dignitati vel Ordini Ecclesiastico, præsertim ex juris feudalis sententiâ; nam si clericus vel monachus nequit esse miles secu-

fecularis, ut colligitur ex 2. *T.* 21. *&* 26. §. 4. *verf. qui Clericus*, certè multò minùs Imperator effe poterit, quippe cujus cura publica fupra modum major eft follicitudine militis gregarii; Hujus argumenti quæftio 54
eft de fummâ dignitate Pontificia, an Imperatoriæ poteftati jungi poffit? Quod pari ratione meritò negatur; licèt enim non tantùm prifcis temporibus, cùm 55
gentilis religio adhuc in Imperio Romano obtineret, eosdem quandoque & Pontifices maximos & Imperatores fuiffe conftet, fed Pontificem quoque Bonifacium Octavum & Imperatorium & Pontificium veftitum fimul fumfiffe, feque populo primo die Pontificis, altero Cæfaris habitu publicè oftendiffe legamus, hoc amplius etiam Imperatorem Maximilianum Primum fummi Pontificatus honorem expetiiffe referant, tamen quia temporibus illis antiquis, jure religionis perfonæ 56
civiles ex Ordine Senatorio ad Pontificatum maximum eligebantur, nec tunc Clericorum & Laicorum diftinctio æquè innotuerat; fequioris etiam ætatis exempla cum Chrifto jam orbis Romanus fafces fubmififfet, oftendant poteftatem fupremam Ecclefiafticam Imperatoriæ actu ipfo nunquam fuiffe conjunctam, cum nec Bonifacium Pontificem v. g. Imperatorem, nec Maximilianum Primum unquam Pontificem electum fuiffe conftet, nihil caufæ relinquitur, cur afferamus, Temporale caput mundi, quod per 57
formulam juramenti ex Aureâ Bullâ eligendum eft, fimul poffe contra tot feculorum ufum effe Pontificem. Ergò & hoc requifitum omninò nobis retinendum eft, ut Imperator fit ftatu & conditione fuâ fecularis. Denique (6.) 58
requiritur Imperatoriarum regiarumque virtutum decus, quod Limnæus *d. l. n.* 91. *& fequ.* de juftitia, mifericordia & veritate accipit, ego etfi imperio dignum exiftimem,

U quam-

quamplurimis exornari virtutibus Imperatorem, tamen
virtutes duas ad administrationem publicam maximè re-
59 quiri arbitror, justitiam scilicet & prudentiam, sine quibus
virtutibus nec Imperium nec imperandi ratio ullatenus con-
sistet: addo his præcipuè & pietatem; nam qui hâc virtute
carent, plerumque infelicem experiuntur consiliorum suo-
rum exitum, licet sagaciter excogitata videantur; hinc
est, quòd pii ac felicis titulos Imperator junctim sibi su-
60 mat, idque prisco more, quasi successus rerum pietatem
imperantis potissimùm comitari soleant; huc referendi
versus, quibus Theodosio Primo Imperatori de victoriâ
contra Eugenium & Arbogastum obtentâ gratulatus est
Claudianus his verbis:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Huc & victoriæ Constantini Magni contra Maxentium &
Licinium, item Caroli Magni contra varios hostes refe-
61 rendæ. Planè insigne pietatis exemplum gloriæ magna-
rum rerum conjunctum sacratissimus præbet Imperator no-
ster Leopoldus, ut sibi meritò pii ac felicis nomina vindicet,
neque errabimus, si Deo visum censeamus, Leopoldi Im-
62 peratoris tùm alias virtutes, tùm maximè pietatem ita re-
munerari, ut cum alii Imperatores potentissimis hostibus
Turcis vix pares, finiumque defensione contenti fuerint,
hic Imperator bello etiam superior tantis hostibus existat,
& plurimarum victoriarum insignes fructus per Hunga-
riam & Transsylvaniam, maximarum possessionum ad prio-
res fines factâ accessione, gloriosissimè ceperit; sed de
virtutibus Imperatoriis, cæterisque requisitis personæ ad
fastigium Imperii eligendæ, hucusque dicta
sufficiant.

TITU-



TITULUS V.

DE REGE ROMANO.

SUMMARIA.

Num. 1. *Regis Romani nomen antiquissimum.* 2. 3. & 4. *Regis Romani in Imperio Romano-Germanico triplex significatio.* 5. & 6. *Regis Romani descriptio & explicatio.* 7. *Regis Romani status non consistit in actuali consortio Imperii.* 8. 9. & 10. *Regis Romani à Cæsare pro statu veteri differentia.* 11. & 12. *Regum Romanorum cum Imperatore publica negotia exercentium exempla.* 13. *Cæsares hodie sine consubscriptione Regum Romanorum, recessibus comitiorum subscribunt.* 14. & 15. *Rex Romanus electione acceptatâ consequitur firmum jus futuræ successionis Imperii.* 16. & 17. *Regis Romani electio de consensu Imperatoris antehac fieri debuit* 18. & 19. *Capitulationum recentiorum leges non amplius requirunt consensum Imperatoris in electione Regis Romani.* 20. & 21. *Capitulatio Iosephi Regis Romani, art.* 35. *videtur includere tacitam conditionem: si ad Imperium aliquando pervenerit.* 22. *Regis Romani status bipartitus vivo scilicet Imperatore, & post mortem ejus.* 23. & 24. *Rex Romanus an habeat majestatem, vel potestatem regiam jure suo, controverti solet; ubi* 25. *auctores affirmantes,* & 26. *auctores negantes referuntur.* 27. *usque* 30. *Regi Romano jus regiæ potestatis asserentes rationes adducuntur, sed contrà* 31. 32. *ac* 33. *rationes negantes.* 34. *usque* 45. *Regi Romano potestatem regiam in substantiâ electione acceptatâ competere probatur, quamvis plenum exercitium sit ab eventu vacationis Imperii suspensum* 46. 47. & 48. *it.* 60. 61. *ac* 62. *Paurmeisteri responsiones, quas dedit ad rationes*

 pro

pro Majestate Regis Romani adductas, exploduntur. 49. usque 52. Carpzovii etiam, item 53. usque 57. Myleri responsiones rejiciuntur. 57. & 58. Carpzovius in quæstione de potestate Regis Romani sibi contrarius ostenditur. 59. Vicariatus Imperii & delegatio mera regiæ potestatis invicem pugnant. 63. Vicariatus Imperii Regi Romano competens conjunctam habet regiam dignitatem & potestatem. 64. usque 68. Regiæ Romanæ potestati rationibus apparenter contrariis respondetur. 69. & 70. Rex Romanus præprimis est designatus Imperii successor, sed & (salvâ tamen capitulatione) subsidialis in casu impedimenti coadjutor. 71. Rex Romanus Imperatori tribuit titulum Majestatis, non contrà Imperator Regi, sed titulum affectionis vel charitatis Liebden. *72. Rex Romanus Imperatorem appellat Dominum suum 73. & 74. Rex Romanus an Imperatorem habeat judicem, ubi Limnæi contrarietas notata. 75. usque 79. Rex Romanus Imperatoris forum recognoscere potest, & quare citra præjudicium regiæ potestatis in substantiâ 80. Rex Romanus coram Imperatore non quà talis præcisè conveniendus. 81. & 82. Regis Romani legitimè actitata in publicis non indigent confirmatione Cæsareâ. 83. usque 88. Imperator utitur bullâ aureâ in magnis scilicet negotiis, sed Rex Romanus tantum sigillo regio. 89. Imperator utitur bicipite aquilâ in sigillis, sed Rex Romanus tantùm simplici 90. Rex Romanus non Augusti tantùm, sed & semper Augusti titulo hodie gaudet.*

EX præcedenti titulo jam satis constat, Regem Romanum vivo Imperatore regnante esse Imperii designatum Successorem & Adjunctum, quoniam autem dignum erat de Rege Romano peculiari titulo agere, ea quæ ad personam, dignitatem & statum ejus pertinent, hoc loco ple-

pleniùs proponere operæ pretium erit. Primum igitur in 1
dubium illud est, non considerari hîc Regem Romanum
pro statu antiquissimorum temporum vel Reipublicæ Romanæ veteris, quo sensu Pomponius JCtus in *l. necessarium. §.1. & §.2. ff. de orig. iur.* de Regibus Romanis loquitur, eorumque res gestas Livius descripsit *lib. 1. histor.* sed de 2
Rege Romano Imperii nostri, qua consideratione Regis Romani nomen tripliciter accipitur: (1) in oppositione ad coronationem Pontificiam, quâ significatione Reges Imperii Germanici in Germania electi & coronati, actuque ipso imperantes Reges Romani vocati sunt, ut habetur in *Speculo Suevico cap. 17.* & plura exempla probant Friderici Primi, Adolphi, Henrici Septimi, Ludovici Quarti, Ruperti Palatini, Friderici Tertii, aliorumque Imperatorum Germanicorum, qui titulo Regio Romano usi sunt, etiam re ipsa imperantes, quòd à Pontifice coronam & consecrationem nondum accepissent; sed hæc nomenclatio ab aula hodie recessit, nec præsentis tituli est. (2) In oppo- 3
sitione ad coronationem Germanicam, quo sensu electi ad fastigium Imperii etiam vacantis, ante coronationem Germanicam vocantur Reges Romani, testibus capitulationum prologis, Ferdinandi enim Primi, quia jam diu tunc coronatus fuerat, exemplum, quo in literis reversalibus Cæsareo titulo utitur, speciale esse, nec regulæ tituli Cæsarei ante coronationem Germanicam haud usitati obstare, ex dictis proximo titulo liquet, atque hæc quoque Regis Romani significatio non propriè est præsentis tituli. Itaque (3) etiam Rex Ro- 4
manus in oppositione ad Imperatorem & Imperium nondum vacans appellatur, quæ quidem nostræ est considerationis assumptio nominis, secundum quam Rex Romanus ad supremam dignitatem ac potestatem Imperii

Romano-Germanici aliquando vacaturi ritè eligitur, sicut
5 Imperator, ad Imperii vacantis jus & potestatem; atque
sic Rex Romanus hoc sensu definiri poterit *Successor fu-
turus Imperii Romano-Germanici Imperatori vivo per ele-
ctionem ritè designatus*; posui generis loco vocabulum
successoris futuri, sc. in Imperio Romano-Germanico, sed
cæteras particulas, & maximè verba, quibus *vivo Impe-
ratore designatum* dixi, loco differentiæ specificæ; ne-
6 que enim quilibet futurus Successor est Rex Roma-
nus, sed ille tantùm, qui vivo Imperatori ritè vel per
electionem legitimam Principum Electorum surrogatur,
ut aliquando vacante Imperio succedat. Ex quibus plu-
7 ra colligi possunt notatu digna, & (1) quod ad statum
Regis Romani attinet, illum non consistere in jure con-
sortii vel facultatis coadministrandi Imperii, quia ad
hunc finem propriè non eligitur, sed ut, si quando Im-
perium contigerit vacare, jure suo ex electione quæ-
8 sito Reipublicæ cum supremâ potestate præsit. Hinc (2) val-
dè notabilis est differentia Regis Romani in Imperio
nostro ac Cæsaris in Principatu Romano prisco; quam-
vis enim Cæsar quondam videatur idem fuisse, qui ho-
diè Rex Romanus, secundùm tradita Carpz. de *Reg. Germ.
cap.* 11. *sect.* 4. *num.* 6. 7. *&* 13. & reverà Cæsar Status ve-
teris & Rex Romanus nostri Imperii in multis conveni-
ant, per dicta tit. prox., discrepant tamen in aliis, velut,
quòd Cæsar fuerit Imperatoris regnantis indubius Coad-
jutor, ab eodem liberâ voluntate ad consortium Imperii
assumptus, cùm hodiè Reges Romani non ab Imperatore,
sed ab Electoribus ad dignitatem Regiam evehantur, nec Prin-
cipaliter ad curandam Rempubl. Imperatore vivo, sed post
9 mortem ejus, sive si evenerit Imperii vacantis casus; sanè Cæsa-
res consortes olim Imperatoris Rempublicam simul admi-
nistra-

niſtrabant, quod inter alia demonſtrant leges & reſcri-
pta, quibus cum Imperatoribus nomina addebant, cu-
jus generis exempla in jure Civili occurrunt, & ſuperio-
ri titulo quædam allegata ſunt; id verò noſtro ſeculo
Regibus Romanis minimè in uſu eſt. Priſco tamen ævo
in Imperio Romano-Germanico equidem exempla non
deſunt, quibus Reges Romani conſortium publici regi-
minis exercuerunt cum Imperatoribus; velut in hiſtoriâ 10
Ludov. Pii & Lotharii, item Lotharii & Ludovici Secundi,
Ottonis etiam Primi & Secundi, *vid. Goldaſt. tom. 2. Conſt.*
Imp. p. 44. *&* *tom.* 3. *pag.* 265. 266. *&* 269. Speciale in- 11
ſuper exemplum eſt Friderici I. qui tabulis pacis Conſtan-
tiæ quondam nomen filii Henrici Sexti, tunc Regis Roma-
ni, ſimul curavit inſcribi, hoc tenore: *Fridericus di-*
vinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper
Auguſtus, & filius ejus Henricus Sextus Romanorum Rex
Auguſtus ac infrà: Nos Romanorum Imperator Frideri-
cus, & filius noſter Henricus Romanorum Rex, concedimus
&c. Probabile autem eſt, ſubſcriptionem Conſtantienſis Pa-
cis ab Henrico Sexto tunc Rege Romano ideò ſimpliciter
factam, quòd aliàs negotium forſan non ſucceſſiſſet, niſi filius
ſimul Imperatoris Rex Romanus ad majorem cautelam capi-
tum conventorum in futurum, unà cum patre Impera-
tore publicis tabulis conſenſiſſet; Sed ſubſcriptiones ejusmodi 12
Regum Romanorum arbitrariæ fuerint, non perpetuæ, uti
quidem tùm aliorum tùm ipſius hujus Friderici Imperatoris
conſtitutiones aliæ oſtendunt in uſibus feudorum, vel-
ut 2. *F.* 27. 52. 53. *&* 55. quæque exhibentur poſt ca-
pitula extraordinaria juris feudalis, de jure προτιμήσεως & ſi-
miles, quibus omnibus ſolus Fridericus auctoritatem
Imperatoriam dedit, ſine ullâ mentione Regis Roma-
ni filii Henrici; ſanè recentiori ævo Imperatores comitio- 13
rum ac conventuum Imperii placitis Cæſareâ ratihabitione
ſine

ſine conſenſu vel mentione Regum Romanorum, qui tunc erant, robur dederunt, ceu exemplis Caroli Quinti, Ferdinandi Primi, Maximiliani Secundi & Ferdinandi Tertii Imperatorum eſt clariſſimum, ut aſſerere non dubitem, Regem Romanorum vivo Imperatore præſente nec impedito in negotiis Imperii publicæ poteſtatis exercitium non habere.
14 Obſervandum (3) quamvis Rex Romanus futurus ſit Imperatoris in Imperio ſucceſſor, non tamen ex ſucceſſione, ſed electione legitimâ atque acceptatione ſupremæ dignitatis & poteſtatis jus acquirere, quod ſanè docent, ut alia omit-
15 tam, capitulationum prologi, unde conſequens eſt (4.), nec in vita Imperatoris, nec poſt mortem ejus, alium vel Regem Romanum vel Imperatorem, præjudicium jam legitimè electi Regis Romani eligi poſſe, non magis quàm ad præjudicium ipſius Imperatoris; habet enim Rex Romanus non minus quàm Imperator ex principio vel præloquio capitulationis ſupremum jus electione acceptata fun-
16 datum, licèt morâ & eventu vacaturi Imperii ſuſpendatur exercitium, quemadmodum etiam in privatis cauſis, ex ſtipulatione conditionali, jus firmum quis conſequitur, quod ei invito, nec pendente conditione, nec poſt ejus exiſtentiam auferendum eſt, *l. is cui* 42. *ff. de oblig. & act.* Eam verò electionem, ut legitima ſit, non tantum electorali auctoritate juxta legem Imperii, ſed & regulariter cum conſenſu Imperatoris peragi debere, volunt juris publici
17 ſcriptores interque eos *Carpz. de Leg. Reg. Germ. cap.* 11. *ſect.* 3. *num.* 25. Mitto nunc ea, quæ ex præſcripto Aur. Bullæ in negotio electionis obſervanda ſunt, quæ tituli ſequentis erit materia; quod verò conſenſum Imperatoris attinet, is fuit antehac planè neceſſarius; cum injuſtum haberetur, alii etiam ſub conditione jus ſupremi Principatus conferre, niſi Imperator vivus conſenſiſſet, nec hac in re jus legiti-

legitimum antiqui Principatus, videretur præclusum vel
ademptum, sed recentiores capitulationes Matthiæ, Ferdi-
nandi II. Ferdinandi III. & Quarti § und insonderheit / ita 18
negotium eligendi Regis Romani consensui Imperatoris
alligatum voluere, dum non legitima causa subesset ele-
ctionis Regiæ etiam Imperatore dissentiente; novissimæ 19
autem capitulationes Invictissimi Imperatoris Leopoldi &
Augusti Regis Josephi, §. eodem, und insonderheit. etiam
mentionem causæ legitimæ omisere, ut ita electio Re-
gis Romani prout Reipublicæ expedire visum sit, regu-
lariter submittatur Principum Electorum arbitrio, quæ
res huc collimare videtur, ne Electores in casu dissen-
sus ab Imperatore opus habeant deductione prægnantis
causæ, quæ ipsis pro tenore anteriorum capitulationum
incumberet. Planè è Republica apparet esse tantam rem, 20
si fieri queat, non nisi bonâ gratiâ peragi & in actu
electionis Josephi Regis bellissima fuit tùm Electo-
rum inter se, tùm cum Imperatore consentiente har-
monia. Specialis est capitulatio Josephina *in d. art.* und
insonderheit. dum videtur includere tacitam conditio-
nem, si Josephus Rex ad administrationem Imperii perve-
nisset; tunc enim eo Imperatore vel consentiente vel dis-
sentiente, Electoribus jus fasque esse ex causis, quæ ipsis
relevantes haberentur, designare alium Imperii futurum
successorem; ast hoc statu, quo Imperator noster, quem 21
Deus in longos annos Reip. servet, in vivis agit unà cum Jo-
sepho Rege, casus non est dabilis de creando novo Roma-
norum Rege, quia Josephus Augustus hoc jus futuræ succes-
sionis electione jam quæsitum obtinet; igitur illa, quam dixi
conditio, si sc. Josephus ad administrationem Imperii per-
venisset, in *d. art.* und insonderheit. *d. Capit. Joseph.* uti-
que videtur præsupponenda. Verum hisce missis revertor ad 22
considerationem Status Regis Romani, qui bipartitus est in

vitâ Imperatoris, & post mortem ejus sive si alias Imperatoria ad-
ministratio finita esset; Status prior sine dubio jam habet digni-
tatem Regiam, ac titulum majestatis, quo Rex Romanus etiam
vivente Imperatore utitur, an verò habeat etiam supremam ci-
23 vilem potestatem, ulterior quæstio est, quæ eodem in effectu re-
dit, dum quærere solent: an habeat veram Majestatem: item
an habeat vivo Imp. Rex Romanus ordinariam in rebus Impe-
rii, an tantum delegatam potestatem, sub quibus terminis hanc
24 quæstionem post alios proponit Carpzovius *d. c. 11. sect. 5.* Eo-
dem enim certè res redit, sive de Majestate, sive de suprema po-
testate, quæ jure Regio competat quæstio formetur, & con-
cinniùs hoc modo, quàm de ordinariâ vel delegatâ potestate,
quæ res jurisdictionis magis conveniens est, non æquè supremo
25 juri Regio, quæritur; In hac autem quæstione Scriptores inter
se dissentiunt, ac nonnulli potestatem civilem supremam jure
suo, (quod intelligunt sub potestate ordinariè) adscribunt Re-
gi Romano, ut *Schönborn. lib. 5. Pol. c. 19. Reinking. de Reg.
sec. & Eccles. lib. 1. class. 3. c. 14. n. 46. & seq. Stephan. de ju-
risd. lib. 2. p. 1. c. 2. n. 51. Limn. de jur. publ. lib. 2. c. 15. n. 40.*
26 *& sequ.* Sed ex adverso negant alii, nec nisi ex commissione
Cæsaris Regi Romano in rebus Imperii potestatem concedunt,
inter quos sunt ***Paurm. de jurisd. Imp. Rom. l. 2. c. 5. n. 8. &
sequ. Rümelin. ad A. B. diss. 3. th. 6. ibidemque Müller. in not.
Carpz. d. c. 11. n. 15. & sequ.*** Fundamenta utriusque partis simul
adducuntur à Doctoribus *l. c.* & potiora pro Regis Romani po-
27 testate hæc sunt: (1) quòd sit generalis Imperatoris vicarius, ad
vicarium autem talem sine dubio pertineat, jure suo exercitium
potestatis ejus, cujus est Vicarius, quamvis nulla nominatim fa-
cta esset delegatio, per ***text. l. 1. pr. ff. de off. Proc. Cæs. l. 1. C.
de off. vic. l. 1. C. de off. ejus qui vic. Archid. in c. Reatina.
dist. 63. Jacob. de S. Georg. de feud. verb. Vicarius perpetuus
n. 8. Gylm. tom. 1. part. 3. vot. Cam. 8. n. 12. item n. 33. & 34.***
28 ubi in terminis de Rege Romano loquitur. (2) Desumitur ar-
gumen-

gumentum ex prologis capitulationum Regiarum Romanarum, quibus expressis verbis habetur dignitatem Imperii Romani & potestatem Regi (etiam in vita Imperatoris) electo competere, uti constat exemplis capitulationum Maximiliani II. Rudolphi II. Ferdinandi III. Ferdinandi IV. & Josephi Regum Romanorum, vi verborum prologi: zu Ehr und Würde des Römischen Königl. Namens und Gewalts erhebt und gesetzt sind / deren wir uns auch GOtt zu Lob / dem H. Röm. Reich zu Ehren / und umb der Christenheit und Teutscher Nation, auch gemeinen Nutzens willen beladen 2c. Huc facit (3) usus Regiæ Romanæ potestatis in variis 29
negotiis publicis partim ex historiis, partim, & maximè ex ipsis Imperii Legibus obvius veluti, quod Rex Romanus conferat feuda Imperii regalia, ex *Aur. Bullâ tit.* 5. quòd de feudis regalibus reservatam habeat jurisdictionem absente Imperatore in *Ord. Cam. p.* 2. *t.* 7. Quòd judicem Cameræ Imperiali auctorita- 30
te constituat, eodem sc. casu, *Ord. Cam. p.* 1. *tit.* 1. §. nemlich / quòd dignitates illustres tribuat *Rec. Imp. de an.* 1548. §. wiewol auch. 66. item quòd comitiis præsit absente Imperatore *Rec. Imp. de an.* 1542. §. So hat deme allem nach. 3. quòd pœnam etiam legitimâ ratione interminari absente Imp. *d. R. de an.* 1542. und damit solches alles / vel hoc casu exequi possit, *Gail. de pac. publ. c.* 6. *n.* 9. *add. Ord. Cam. p.* 3. *tit.* 49. §. u. wo sich zutrüge / quæque id genus alia sunt, quæ Regi Romano absente Imperatore leguntur attributa. Qui verò contrarium tenent, 31
moventur maximè his rationibus. 1. Quòd Imperatori soli per Auream Bullam Cæsarea potestas ex electione obveniat, quam ei admissâ coadministratione Regiâ Romanâ haud liceat salvo jure intercludere vel minuere. 2. Quòd pacto Suinofur- 32
tensi conventum sit inter Imp. Carl. V. & ejus temporis Principes & Status Evangelicos; ne Rex Romanus administrationem Imperii vivo Imperatore ullatenus suscipiat. 3. Quod

 capi-

capitulationibus Regiis Romanis id prorsus etiam sit con-
33 forme, veluti capitul. Rudolphi Secundi, Ferdinandi Tertii & Quarti art. Wir sollen und wollen uns auch keiner Regierung. Quibus addi potest recentissima capitulatio Josephi regis art. 47. Quid ergò tandem asserendum? Haud
34 dubito sententiam ut veriorem sequi illorum, qui Regi Romano jure suo supremam attribuunt potestatem, ita sc. ut plenum exercitium ejus demum sit collatum in eventum mortis Imperatoris, sive in tempus, quo Cæsar non amplius Imperio præsit; nam præter rationes suprà scriptas, hoc ipsum probat electio, quæ cum unica sit, nec subsequente casu mortis Imperatoris iteretur, non potest aliud dici, nisi ipsum regem, qui Imperatori succedit in jus Imperii, & jam habet actu supremam potestatem, hoc jus hancque potesta-
35 tem virtute suæ electionis obtinuisse; atque adeò, cum hæc præextiterit, potestatem eandem per electionem consecutum, facultatem v. plenæ administrationis vel exercitii per supervenientem casum, quod veritati consentaneum esse, probatur & explicatur ulterius, quia Rex Romanus non sub conditione eligitur in vitâ Imperatoris, sed purè, uti docent capitulationum formulæ in prologis, quæ non ita con-
36 ceptæ sunt, ut si electus supervivat Imperatori, tunc censeatur electio perfecta, sed statim, unde etiam purè & dignitas regia & potestas collata dicitur, atque acceptata à rege, quamvis exercitium potestatis à morâ & eventu sequenti suspendatur, idque hoc amplius inde patescit, quod dignitas Regia verè competat electo, ceu ex usu constat, & ipse *Mylerus* affirmat *d. l.* eodem autem verborum complexu dignitas Regia ac potestas ex electione dicatur electo collata in capitulationum prologis & verbis suprà scriptis; er-
37 go incongruum est dignitatem regiam, quam electo Regi Romano in dubium vocare non licet, verè & purè per electionem admittere collatam, potestatem verò, quæ eodem

dem verborum contextu attribuitur, saltem nominete-
nus & in merum eventum agnoscere; nec enim quæ eo-
dem verborum complexu ponuntur, ad diversos trahe-
re licet juris effectus, *l. jam hoc jure. §. 2. ff. de vulg.* Præ-
tereà nisi Regi Romano competeret regia potestas, super- 38
flua viderentur pacta, quæ eam circumscribunt, ne vivo
Imperatore exerceatur; sanè enim præsupponitur potestas
legitima in promittente se non exerciturum, ut si Impera-
tor promittat, se moratoria privilegia hæc vel illa non con-
cessurum, quilibet animadvertit, penes Imperatorem hoc
ipso præsupponi, esse concessionis harum rerum juriumvè
legitimam potestatem; neque dicendum est per talia pa- 39
cta excludi merum factum illegitimæ usurpationis, quasi
scilicet Rex Romanus obtentu regiæ dignitatis crederetur
citra omnem potestatem legitimam ipsi competentem vi-
vo Imperatore administrationem reipublicæ suscepturus;
non, inquam, verosimilis est hæc ratio pacti de non admini-
strando in vitâ Imperatoris; esset enim perinde, acsi ad-
stringeretur Rex Romanus, ne committeret crimen læsæ
majestatis adversus Imperatorem, quod de tanto culmine
ne cogitandum quidem; multò minus tali interpretatione
pacti publici præcogitatum, neve tale quid fieret, lege
conventionis regia cautum fuisse, censendum est; con- 40
sequentia probatur, quia qui potestate publicâ destitu-
tus usurpat ea, quæ sunt Imperatoris, utique committit
crimen læsæ Majestatis, *l. lex duodecim tabularum 3. ff. ad
l. Iul. Majest.* Ergò si Rex Romanus juxta hypothesin
adversariorum non habet regiam potestatem legitimam,
vivente Imperatore, sequitur certè pactum cum eo con-
ventum, ne administrationi Imperii se ingerat, in effectu esse
pactum de non-committendo crimine læsæ Majestatis,

quod ex illa hypothesi tali casu commissum, negari non
41 posset; ast hæc incongrua sunt, longèque verosimilius apparet, voluisse Electores Regem Romanum, cui regiam & dignitatem & potestatem in Imperio juxta præfationem capitulationis ipsâ electione contulissent, pacto obstringere, ne eam vivo Imperatore exerceret, utique non invito, tùm ne juri Imperatoris rempublicam moderantis quid præjudicii daretur, tùm ne variâ administratione Cæsareâ regiâque status publicus forsan
42 detrimenti aliquid caperet. Hinc pactio novissimarum capitulationum imperante Cæsare excludens Regis Romani administrationem non tam contra, quàm pro potestate regiâ mihi argumentum præbet, consideranti Electores ipsâ pactione compaciscentis Regis agnoscere potestatem, cujus exercitium, ne vel Imperatori, vel Imperio in detrimentum vergat, interim dum Cæsareum thronum vacuum relinqui contigerit, providè suspensum voluerint, tantum abest, ut conventio hujusmodi, ceu Paurmeisterus, Carpzovius, & alii censuerunt, regiam Romanam potestatem vivo Imperatore penitus & in
43 substantiâ exterminet. Sed dicent forsitan aliqui, quorsum illa potestas, si exercere vel ad usum transferre eam non liceat? Respondeo ne sic quidem eam prorsus supervacaneam esse; ponamus consensu publico obligationem de non administrando (quòd etsi vix futurum, tamen ex causa contingere posse, haud inconveniens est) Regi Romano remitti, haberet utique potestatis regiæ in rebus Imperii exercitium sine novâ collatione, iis saltem casibus, quibus Imperatorem con-
44 tingeret abesse vel impediri; quid enim interest inter Ferdinandum Primum, qui tot insignia Imperii negotia testibus Imperii recessibus tàm jure suo, quàm ex Cæsarea commissione egregiè perfecit, & alios subsecutos Reges Romanos, nisi sola pactio de non administrando rempublicam vivo Cæsare,
45 quâ ille non æquè ut successores Reges fuerat obstrictus. Ita ut cætera omittam, pacem religiosam hujus Regis auspiciis debemus.

mus. Legem etiam circularem, vulgò die Executions-Ordnung / & ordinationem Cameræ, quâ hodienum in non correctis per recentiores leges utimur, debemus, quæ & alia Ferdinandus adhuc Rex Romanus vivo fratre Imperatore, tàm jure regio, quàm ex mandato imperiali, suscepit, direxit, & consensu Electorum, Principum, Statuumque Imperii ad exoptatum perduxit finem, juxta Imperii recessus suprà allegatos, ac præcipuè juxta *Rec. Imp. de anno* 1555. Atque tot tamque 46
evidentibus testimoniis publicis minimè hactenus satisfecerunt contrariæ opinionis Auctores; Paurmeisterus *d. l.* nihil invenit, quod solidè responderet, & adscribit, quod de tanto Principe, deque republ. optimè merito, nefas dictu, Ferdinandi Primi arrogantiæ; sed quæso, nisi Electores, Principes, cæterique Status existimâssent, vera ista esse, Regique Romano verè tribui, cur passi essent tabulis publicarum constitutionum, & quidem tam diversis locis ac recessibus inseri? Deinde quod 47
adjicit de Caroli Quinti postremo mandato Sudburgensi, quo Ferdinando fratri Romano Regi plenam potestatem tribuit, posteà res Imperii liberè curandi peragendique, nihil facit ad infringendam potestatem regiam per se; haud dubium enim, & jam suprà dictum est, Regem Romanum vivo Imperatore non coadministrare Imperii negotia regulariter; neque 48
hoc defendimus, sed tantum potestatem regiam Regi Romano verè competentem, quamvis si per pactum liceat, non nisi in casu absentiæ Imperatoris vel impedimenti exercendam. Igitur quod Carolinum mandatum Sudburgi in Selandiâ conceptum attinet, huic potestati regiæ per illud nihil derogatur, sed potius jus omne Cæsareum in administratione Imperii, quod posteà per legatos Francofurti solenni ritu vigore hujus mandati ad executionem perductum est, uti Thuanus testatur *lib.* 21. *hist.* fratri Regi Romano ceditur. Carpzovius etiam 49
valdè frigidè textibus præcitatis & in effectu nihil respondet, dum *d. sect.* 5. *num.* 22. & 23. ait: Non ad omnes Reges Roma-

Romanos pertinere textus illos recessuum comitialium, sed tantum ad Regem Ferdinandum Primum, cui Imperator Carolus Quintus negotia commiserit; item fuisse illam potestatem, quam Ferdinandus Rex sibi arrogaverit ad arbitrium Imperatoris revocabilem; nam contrà,
50 orit ad arbitrium Imperatoris revocabilem; nam contrà, non in mandatis Cæsareis, sed jure proprio Regis Romani, quod verba für uns selbst indigitant, vis argumenti consistit recessibus Imperii subnixi. Deinde ut Carolus Quintus non peculiarem Imperatoriam, ita Ferdinandus Primus tunc temporis non peculiarem regiam potestatem habuit, sed cæteris successoribus communem, & propterea, quæ Ferdinando adscribuntur jura ad alios quoque Reges Romanos pari ratione referri debent, nisi quatenus in exercitio, ut prius dixi, diversitas est ex pecu-
51 liaribus pactis; neque valet argumentatio à revocabili qualitate mandati vel commissionis Cæsareæ ad exclusionem totalem potestatis regiæ in substantiâ; & propterea parum refert, an literas Sudburgenses Caroli Quinti Imperatoris de mandato pleno administrationis imperii, quod tamen revocabile pro lubitu fuerit, accipiamus,
52 an verò de totali abdicatione, quæ & insecuta est; nam contra potestatem Regis nihil hinc infertur, ut non appareat, cur in eam rem literas Caroli ejusdem Imperatoris Gandavi scriptas, atque ad Johannem Episcopum Osnabrugensen, tunc Cameræ Imperialis Præsidem & Assessores, missas, tam sollicitè adducat *Carpzov. d. sect. 5. num. 25.* Hæ enim, ut Camera Ferdinando Regi obediret, tantum monitoriales erant, potestatem regiam Romanam
53 magis confirmantes, certè non infringentes. Nec satisfacit responsio Myleri *in not. ad Rüml. d. l. pag. 626.* quando præallegatos Rec. Imp. textus de potestate Vicariâ Regis Romani intelligit, quia Vicariam potestatem meram exclu-

excludunt verba, Für uns selbst / quæ in personâ Ferdinandi Primi, Regis Romani, sæpiusculè leguntur in Imperii constitutionibus; cùm tamen constet, vicariam potestatem, quà talem, tantùm ejus nomine, cujus vicibus quis fungitur, exerceri. *Dd. in d.l. 1. C. de off. ejus qui vic. & d.l. 1. C. de off. vic. tt. X. & in 6. cod.* Deinde potestas vicaria præsertim perpetua est 54
ordinaria, *gl. in c. licèt. verb. officialem. de off. vic. in 6. & gl. in clem. etsi, verb. foraneo. de rescr. Covarruv. pract. quæst. c. 4. n. 8. Zoës. in comment. ad tit. decretal. de off. vic. n. 11.* & ibid. *Vallensis.* §. 5. *n.* 2. Itaque licet Rex Romanus nomine vel vice Imperatoris negotia Imperii administrare dicatur, non tamen hinc sequitur, eum potestatem habere tantùm delegatam, sed contrà potiùs, habere ordina- 55
riam, ut in casu absentiæ vel impedimenti Imperatoris, non indigeat speciali mandato, secundum ea, quæ superiùs ex *Archidiacono & Iacob. de S. Georgio* adduximus, quibus addendi *Isern. ad c. Imperialem. 2. F. 55. pr. n. 13. & ibid. Matth. de Afflict. n.* 3. quique in terminis de Rege Romano loquuntur, Gylmanus ubi suprà, & Rosenthal. *de feud. c. 9. conclus. 30. n. 8. circa fin.* Quæ tantò magis obtinent, quòd 56
Rex Romanus non simplex sit Vicarius perpetuus ac generalis ex electione, sed etiam jus quæsitum adeptus successionis in Imperio, cui quòd ipso jure suæ electionis regiæ, quatenus de cætero capitulationis legibus aliud manifestè conventum non est, Imperatore absente vel impedito curare rempublicam legitimè liceat, & concessa regia dignitas ac potestas & ipsa qualitas vicaria, satis pervincunt. Ipsum Carpzovium miror, veritati hactenus assertæ con- 57
sentientem ita scribere: *Ad horum itaque exemplum etiamnum hodie vitam & spiritum adhuc ducente Imperatore, quandoque ab Electoribus Imperii, Rex eligitur Romanorum non in consortium potestatis, sed ut sit*

perpetuus Imperii Vicarius & absente Imperatore atque impedito Imperium regat ac moderetur, mortuoque eo ipso sine ulteriore electione in nomen, dignitatem, auctoritatemque Imperatoris succedat. d. c. 11. *sect.* 3. *n.* 12. Miror, inquam, Carpzovium hac scribere, inque eam rem alios, quibus nullo verbo ibidem contradicit, allegare, & tamen sui immemorem *d. sect.* 5. tam sollicitè potestatem Regis Romani prorsus velle
58 exclusam; nam si Rex Romanus ideò eligitur, ut sit perpetuus Imperii Vicarius, item, ut absente Imperatore atque impedito, Imperium regat ac moderetur, quæsiverim ego, cur tali casu in hanc rem indigeat expresso Cæsareo mandato, cum vicariatus perpetuus & jus successionis Imperii, eidem jam auctoritate Electorali obvenerit per electionem. Cautiùs, etsi non verè, suæ tamen sententiæ conformiter hac de re scripsit Paur-
59 meister. *d. c.* 5. *n.* 11. dum negat, Regi Romano Vicariatum Imperii perpetuum competere, malè in contrariam partem, quasi assereret, relatus à *Mylero d. l.* Certum quippe est ex deductis non posse Vicariatum perpetuum Imperii, & delegatam potestatem simpliciter Regi Romano attribui, quia talis Vicariatus in effectu est ordinaria potestas lege & jure electionis stabilita, uti verò assertione delegatæ potestatis Re-
60 giæ Romanæ ac negatione Vicariatus Imperii hypothesi suæ convenienter locutus est Paurmeisterus, sic per se minus convenienter veritati, quod quidem difficile probatu non est; nam ex suprascriptis constitutionum Imperii textibus apparet in personâ Ferdinandi Primi Regis Romani publico consensu probatum duplex jus, commissionis scilicet Cæsareæ & juris regii, quod clarè demonstrant verba: An Statt und im Nahmen Ihrer Käyserl. Majestät / und für uns selbst / *d. Rec. de anno* 1542. §. So hat dem allem nach; item an statt Ihrer Käyserl. Majestät und für uns selbst / als Römischen König / solches hiemit befehlen / *in d. Rec. Imp. de an.* 1555. §. so sich dann abermahls / nec non *in Ord. Cam.*

Cam. p. 3. *d. t.* 54. §. Solches alles. præter cætera loca suprà relata. Ad hæc in effectu nihil respondet Paurmeisterus; quod 61
enim ait, jus Ferdinando singulare fuisse ex commissione Cæsareâ, non tollit juris regii ex his textibus seorsim competentis veritatem, & singularitas illa juris regii in personâ Ferdinandi Primi jam suprà est explosa; cum igitur negari non possit hoc jus regium à Ferdinando exercitum publicis etiam sanctionum Imperii tabulis consignatum, adeoque Electorum, Principum, Ordinumque consensu publico, præsertim cum pluribus locis occurrat, 62
obfirmatum esse, nihil causæ apparet, cur Paurmeisterus obloquatur, quin ipsa hæc publica notorietas urget, ut fateamur, Regi Romano (salvis scilicet capitulationibus) jus esse Reipublicæ, si Imperator absit, aut ex causa relevanti impediatur, de consensu Principum Statuumque Imperii, sollicitudine regiâ consulendi; hoc verò jus nonne erit Vicariatus Imperii, cum nonnisi ob Cæsaris absentiam vel impedimentum, ipso usu & exercitio obtineat? Dixi autem jam suprà, non esse hunc Vicariatum 63
merum propter collatæ electionis actu potestatem dignitatemque regiam, adeoque tantò minus dubitandum de potestate Regis Romani ordinariâ, quanquam is non sit in ordinarium administrationis Imperii consortium cum Cæsare vocatus. Nec urgent rationes in contrarium allegatæ; ad 1. enim negatur minor propositio, quia Imperato- 64
ris jus supremum per omnia manet salvum, nec minuitur, vel deterius redditur, designato successore Imperii, qui idem vice Imperatoris absentis atque impediti possit Reipublicæ succurrere. Ad 2. negatur consequentia, quia pacta 65
Suinofurtensia, ut referuntur à *Sleidano lib.* 8. *de stat. relig. ad annum* 1532. *p. m.* 223. vel non ad perfectionem pervenerunt, sed in terminis conditionum à Statibus Evangelicis

propositarum substiterunt, vel certè postmodum ab illis est recessum, dum nec in Ferdinando primo Rege vice Cæsaris multa administrante; nec in aliis capitulis, verbi gratiâ, ternæ electionis ex eadem familia, fuere observata, & ad extremum hæc pacta, quia non ab universo Imperio, neque ejus nomine conventa Reges Romanos haud compaciscentes obligare de jure non possent. Ad
66 3. respondetur, itidem negando consequentiam; neque enim propter pactiones capitulationum, quæ ad exercitium referuntur, potestas regia Romana vi prologi electo concessa, in substantiâ penitus sublata censeri debet, sed
67 potius præsupponi, uti prædeductum. Imò si rem penitius consideremus, recentiores capitulationes, regiam Romanam administrationem consensui Imperatoris tantùm obstringunt, nec illi locum esse volunt, nisi Imperator permiserit, ac licet Ferdinandus Primus in negotiis imperii pleraque administraverit, Imperatore Carolo Quinto prius committente, tamen eadem illa negotia non ex fundamento solius commissionis, sed & juris regii peregit, ut prius dictum est, cur non ergò successores Reges Romani, si quid ab Imperatore commissum fuisset, facere
68 idem potuerint, nihil invenio, quod repugnet. Sola Josephina Capitulatio tenore verborum strictior videtur, quia nullius concessionis Cæsareæ facit mentionem, *art.* 47. quam clausulam tamen Maximiliani Secundi, Rudolphi Secundi, Ferdinandi Tertii, & Ferdinandi Quarti, capitulationes regiæ insertam habent, secundum quas & Josephina d. art. 47. haud improbabiliter poterit intelligi. Ex his verò plenior colligitur de statu Regis Romani notitia; quanquam enim sit Principaliter electus ut futurus
69 Imperii successor, secundariò tamen ejus electio etiam ab subsidium vel levamen administrationis Cæsareæ in casibus absentiæ vel impedimenti Cæsare volente, nec repugnan-

pugnante, regulariter referri debet. Igitur Rex Romanus non est consors Imperii ordinarius, in quo differt à Cæsare status veteris, qui in consortium Imperii & simultaneam sollicitudinem curandæ Reipublicæ ab Imperatore assumebatur; est verò designatus successor Imperii jus ha- 70
bens, electione quæsitum, & præterea salvâ capitulatione Coadjutor subsidialis Imperatoris, absentis vel impediti, neque dissentientis, in quam rem potestas ei per electionem collata censetur, cujus exercitium licet capitulatione restringatur ad vivi Imperatoris consensum, potestas tamen in substantiâ haud adimitur, unde in eo regio statu majestatem quidem, sed non plenum majestatis usum habet. Hinc 71
est, quod Rex Romanus Imperatori tribuat titulum majestatis, non contrà Imperator Regi Romano, quem compellare solet charitatis nomine, nostro idiomate Liebden/ *Recess. Spirens. Imp. de anno* 1542. §. Damit nach solcher Ordnung. & §. Würde sich aber. *Recess. Imp. de anno* 1544. §. Und dieweil aber wir. *Recess. Imp. de anno* 1545. §. Wie dann auch. 72
Item quòd Rex Romanus Imperatorem appellet Dominum suum, uti patet ex diversorum recessuum comitialium præfationibus & consueto paragrapho, obligante Cæsarem vel Regem ad suprascripta placita. Vid. ex *Recess. Spir. Imp. de anno* 1542. *in præf.* & §. Solches alles und jedes. *Recess. Norib. de eod. anno in præf.* & *d.* §. Solches alles und jedes. *Rec. Imp. de anno* 1543. *in præf.* & *d.* §. Solches alles und jedes. *Rec. Imp. de anno* 1555. *in præfat.* & *d.* §. Solches alles und jedes. Utrum verò Imperator à Rege Romano Domi- 73
nus vocetur reverentiæ magis intuitu, quàm jurisdictionis, majoris est indaginis. Prius Noldenio visum *de Nobil. c. 2. n. 46.* quem refert *Limn. de jur. publ. tom. 2. c. 15. n. 50.* censetque Nolden. Regem Romanum à Cæsareâ jurisdictione exemptum esse, quòd coram Comite Palatino sit conveniendus, quicquid etiam contrà dubitet Buxtorffius *ad A. B. conclus.* 7.

74 *Hæc d. l. Lim.* Verum idem Limnæus alibi Buxtorffii sententiam expressè sequitur, *ad Aur. Bull. c.* 5. §. 3. *observ.* 3. ubi sic scribit: *Quòdsi verò quæstio moveatur de hoc Romanorum Rege* (qui sc. in vitâ Imperatoris est electus) *puto rationi magis convenire, si dicatur Imperatorem ejus esse judicem, nisi aliud obstet. Vide Buxtorff. thes. 7. lit. b. & frustra dissentientem Sinoldum vol.* 1. *disp.* 7. *thes.* 21. *lit. d. pag.* 452. Hactenus iterum Limnæus, qui adeò incertos nos relinquit,
75 utram potiùs sententiam sequamur. Verùm quia Cæsarea jurisdictio universalis est, & de exemptione Regis Romani clarè non constat, pronior sum in eam sententiam, Regem Romanum, quamvis ex præmissis supremam habeat potestatem, tamẽ cum plenum & actualem usum ejus nondum habeat, adhuc censeri in eo statu agnoscere Cæsaream jurisdictionem, neque
76 eam nomenclationem; quâ Cæsarem Carolum Quintum, Fernandus Primus Rex Romanus toties Dominum suum appellavit, ex vano prorsus & merâ reverentiâ esse, tantò magis, quòd ex præmissis Imperatoris sit vicarius, haud dubium verò censeatur, vicarium, etsi cum eo, cujus vices gerit, idem habeat in cognoscendis aliorum causis tribunal *c. Romana.* 3. *in pr. de appell. in* 6. tamen pro distinctâ personâ considerari & sic forum apud eum sortiri, cujus est vicarius *Card. Tusch. tom.* 8. *conclus.* 136. *lit.* u. *Barbos. de offic. & potest. Episc. cap.* 11.
77 §. 3. *num.* 108. Celebre quidem extat exemplum Ferdinandi Primi Regis Romani cum Duce Würtenbergico Udalrico disceptantis apud Carolum Quintum Imperatorem de ipso illo Ducatu ex capite feloniæ, causam Ducis latè defendit desuper consultus Beroius *vol.* 1. *cons.* 176. *per tot.* Sed ut ex casus & quæstionum relatione apparet, Ferdinandus, sustinuit actoris personam, atque adeò ad scopum præsentem hæc causa minus habet momentum; Concinniora sunt Ottonis Primi, & Friderici Secundi Imperatorum exempla, apud quos filii Regis Romani cum rei essent, &

apud

apud Ottonem quidem Ludolphus, apud Fridericum Henricus judicium subierunt, *vid. Goldast. tom.* 1. *Const. Imp. p.* 216. *Lehman. Chr. Spir. lib.* 5. *p.* 591. planè si vel asseramus, 78
ad Regem quoque Romanum vivo Imperatore Privilegium Electoris Palatini in *Aur. Bullâ tit.* 5. expressum, cujus vigore in causâ ipsius Imperatoris, qui superiorem inter homines prorsus non habet, partes judicis is Elector suscipit, extendendum, deque eo etiam intelligendum, tamen non præcisè sequitur quod Nolden *l. c.* voluit, sc. Regem Romanum à jurisdictione 79
Cæsareâ prorsus esse exemptum, & possunt varia occurrere, veluti si Elector non veniat ad Aulam Cæsaream regiamve, si causa & ipsum concernat, si jus hoc speciale Electori sub controversiam vocetur, quæque similia sunt, quorum intuitu coram Palatino Electore agere integrum non sit, aut alioquin apud Imperatorem quis Regem Romanum convenire, vel is etiam judicium subire malit, certè privilegiaria illa dispositio penitus obstare non debet Cæsareæ jurisdictioni; quæ ratio quoad personam Cæsaris, dum non est alius, qui tali casu jurisdictionem ordinariam supremam, ipso actu & usu competentem in eum exerceat, diversa est; neque verò si Rex Romanus convenitur quà 80
talis, sive sub respectu regio, conveniendus necessariò est, cum possit etiam considerari ut Dux vel Princeps Imp. quâ ratione suprà *tit.* 3. assertam ab assessoribus Cameræ jurisdictionem competentem vel contra Hispaniæ Regem retuli, non tamen quà talem, sed quà Burgundiæ Ducem. De cætero, quæ Rex 81
Romanus in publicis rectè gerit, Cæsaream confirmationem ad perfectionem actus haud videntur requirere; nam vel ex commissione Cæsaris gessit, (ut plerumque accidit) & tunc propter mandatum præcedens ratihabitione vel confirmatione nullâ opus, vel non, & tunc jure saltem Regio gesta valerent; quorsum pertinent, quæ in conven- 82
tu Wormatiensi anno 1535. & sic ante legem Deputationis ordinariæ per Deputatos acta sunt adversus Anabaptistas; quod sanè exemplum est publici conventus Imp. Regiâ auctoritate citra commissionem Cæsaream, quippe de quâ nulla ibi fit mentio, celebrati. Sunt porrò & alia,

83 alia, in quibus Imperatoria magnificentia præ regiâ Romanâ dignitate eminet, quo numero eſt bulla aurea, quâ Imperator utitur, non verò Rex Romanus. *Clem. un. de jurejur. Quetta conſ.* 1. *n.*16. *aliique allegati ab Arumæo*
84 *diſc.* 2. *ad A. B. th.* 21. Verum illa Clementina Regem Romanum intelligit nondum coronatum à Pontifice; quamvis actu jam imperaret, & ſic non de Rege Romano loquitur, de quo nobis ſermo eſt; nihilominus arbitror, bonum eſſe argumentum ex *d. Clem.* etiam ad Regem Romanum vi-
85 carium Imperatoris; nam ſi Rex vacante Imperio electus & coronatus Germanicâ coronatione, juxta textum Clementinæ, non utitur bullâ ejusmodi, ſed ſigillo tantùm, certè non magis utetur Rex vivo Imperatore regnante electus ac coronatus. Hodie tamen Imperatores noſtros ex formâ *d. Clem.* minimè uſu aureæ bullæ excluſos conſtat, quanquam à Pontifice coronati non ſint, imò tex-
86 tus *d. Clem.* ne hoc quidem habet, electos Reges Romanos actu imperantes jure prohiberi ab uſu bullæ, ſed refert tantùm, quo ſignationis charactere Henricus Septimus, cum Rex Romanus eſſet (id eſt, poſt electionem ſuam & coronationem Germanicam, ſed ante coronationem Pontificiam) & cum poſteà Imperatoris titulum accepiſſet
87 (ſc. pro genio ſeculi poſt coronam à Pontifice acceptam) uſus ſit; at Imperatoribus noſtris, quia hodiè meritò titulo Cæſareo utuntur, ex quo per coronationem Germanicam Imperii adminiſtrationem conſueto ritu ſuſceperunt, nihil
88 obſtat, cur non & bullâ aureâ citra coronationem Pontificiam, pro arbitrio utantur, ſed Regis Romani in ſtatu, quo ſunt vicarii ac futuri ſucceſſores, non ex defectu coronationis Pontificiæ, ſed quòd nondum actu pervenerint ad ordinariam Imperii adminiſtrationem, bullæ uſu in ſignando abſtinere videntur, eaque res hodiè, cum ob capitulationes, vicariæ adminiſtrationi huic, nullus aut certè

ratior

ratior locus sit, vix occurrit, præcipuè quòd ipsimet Imperatores non nisi in gravissimis maximisque negotiis bullâ aureâ uti consueverint. Addit Freherus in *not. ad Petr. d. Andlo de* 89
Rom. Imp. lib. 2. c. 5. & ex eo Arum. d. l. differentiam quoque ipsius sigilli, dum Imperator aquilam bicipitem, sed Rex Romanus simplicem in sigillis habent; quâ in re, quia facti & meri usus esse videtur, nec constitutione vel lege habetur, nihil est, quod admoneam. Hoc v. denique, quod ajunt Regem Roma- 90
num titulo Augusti, non Semper Augusti uti, convenire exemplo Henrici VI. in pace Constantiæ; hodiernis vero temporibus haud quadrare arbitror, præsertim propter capitulationes Regias Maximiliani Secundi, Rudolphi Secundi, Ferdinandi Tertii & Ferdinandi IV. item Josephi Regum Romanorum, in quibus Germanicus titulus, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ qui latinè idem importat, quod Semper-Augustus habetur; atque hæc de præsenti titulo satis.

TITULUS VI.

DE ELECTIONE CÆSAREA vel REGIA ROMANA.

SUMMARIA.

Num. 1. & 2. Electores, Principes ab aliquot seculis supremum caput Imperii, electione designârunt. 3. Electorum origo antiquior tribus proximis seculis. 4. usque 9. item 22. & 23. Electio Cæsarea firmo jure ad septemviros relata post Frid. II. Imp. 10. & 11. Electio septemvirorum consuetudine introducta. 12. usque 18. Principes cæteri cur probabiliter acquieverint electioni paucorum. 19. 20 & 21. Innocentiana constitutio de paucis quidem eligentibus, sed non expressè de Septemviris loquitur. 24. Wilhelmus Hollandiæ Comes an primus sit à Septemvirali Collegio electus Imperator. 25. usque 28. Electione

etiam adpaucos delatâ, tamen cæteri Principes & post tempora Friderici Secundi vocati sunt. 29. & 30. *item* 33. & 34. *Electio non requisitis aliis, & sic privativè per consuetudinem introducta per Bullam Carolinam confirmata est.* 31. & 32. *Fabii Chisii, qui post Alexander Septimus fuit, assertio, de definitione numeri Electorum ex auctoritate Pontificis, an & quatenus admitti possit.* 35. *Septem Electores referuntur juxta Auream Bullam.* 36. & 37. *Bohemiæ Rex revera inter Electores recensendus, licet contradicat speculum Suevicum.* 38. *Bohemiæ Rex non subsidiale dicit votum, sed verum & extra dissensum collegarum.* 39. & 40. *Capitula sede vacante non habent votum in electione Cæsareâ* 41. *Elector proscriptus vel pro hoste publico legitimè declaratus, non habet jus voti in Cæsareâ electione.* 42. *Aur. Bull. tit.* 1. §. *si verò.* & §. *si quis autem declaratur.* 43. *Elector excommunicatus num habeat votum in Electione.* 44. & 45. *Electores Ecclesiastici ante consecrationem non admittendi ad votum.* 46. *usque* 49. *Electores seculares num sint participes voti electionis ante investituram;* & *num.* 50. *usque* 56. *Electores Ecclesiastici.* 57. *usque* 60. *Elector secularis ut actu exerceat votum electionis Cæsareæ, duo requiruntur.* 61. *Electorum numerus septenarius ex Instr. Pac auctus & in Octoviratum conversus est.* 62. *Electoratus nonus hodiè in motu est.* 63. *Electionis actus præliminares quatuor.* 64. *Moguntinus convocat coëlectores per literas.* 65. *Electores personaliter vel per mandatarium instructum comparere debent.* 66. & 67. *Electoribus cum comitatu Domini territoriorum, per quæ transeunt, tenentur præstare salvum conductum.* 68. & 69. *Electores eorumque homines defectu hujus salvi conductus amissa repetunt à conducentibus.* 70. *Electores Protestantes inter celebrationem solennis missæ secedunt in sacellum.* 71. & 72. *Electorale juramentum declaratur.* 73. & 74. *Elector absens vel impeditus etiam præsens per procuratorem jurare potest medio speciali mandato.* 75. 76. & 77. *Electoris absentis mandatarius duplex, sc. in animam Electoris ex mandato, & in animam suam, præstat juramentum.* 78. *Electio Cæsarea vel Regia quid sit, & quæ in eâ consideranda.* 79. & 80. *Moguntinus Elector rogat vota, & quo ordine?* 81. & 82. *Ordine votorum prætermisso, num electio valeat?* 83. & 84. *ordo votorum etiam in legatis servandus, sed non æquè respectu publicæ processionis & juramenti.* 85. *Votum Electorale de certâ personâ esse debet, nec alternativum nec conditionale.* 86. *Elector sibi ipsi potest dare votum.* 87. *Elector post legitimam vocationem ad actum electionis non comparens istâ vice*

perdit

perdit votum. Secus 88. *legitimè non vocatus.* 89. & 90. *Tempus electionis triginta dierum an possit prorogari vel abbreviari.* 91. *usque* 97. *Electio ex mandato ad certam personam vel familiam restricto valet.* 98. *Moguntinus Elector colligit vota.* 99. *Electio Caesarea vel Regia Romana aut unanimitate aut majori numero votorum niti debet, ut sit legitima.* 100. & 101. *Impar numerus eligentium aptior pari ad electionem, sed non indistinctè.* 102. *usque* 106. *Majora in electione Caesareâ intelligi debent ex ampliori numero Collegii, non quoad coëlectos.* 107. *Majora non requirunt duas tertias collegii Electoralis in Caesareâ electione.* 108. *Majora in octoviratu ad minimum requirunt consensum quinque Electorum.* 109. *Electio notificanda electo, cui jus Imperatorium vel Regium, si acceptet, hinc obvenit.* 110. & 111. *Lud. IV. Imperatoris constitutio circa jus electionis refertur & perpenditur.* 112. *usque* 116. *Imperatores quondam licèt jus Imperii haberent, ante coronationem Pontificiam Imperatoris vel Caesaris nomen non sumpserunt, sed Regium tantum Romanum, quod* 117. 118. & 119. *postea & in hanc usque aetatem mutatum.* 120. *usque* 123. *Ludoviciana Lex, si non auctoritate per se, circa controversiam & jus Imperii, saltem ratione jure gentium subnixâ contra Pontificem valet.* 124. *Observantia sequiorum temporum contrario usu sublata non valet in argumentum possessionis vel quasi legitimum.*

POstquam dictum est de personâ ad Caesareum fastigium eligenda ejusque conditionibus, requisitis & virtutibus, nunc de ipsa electione disserendum, quae materia duobus membris consistit, nempe personis eligentibus & electionis formâ seu modo. Eligentes sunt 1
Principes Germaniae, quibus hoc tantùm negotium lege & consuetudine jam ab aliquot seculis competit, ut supremum Imperio caput votis suis designent, unde nostro idiomate vocantur Chur-fürsten / sive Principes Electores, ab eligendo; vox enim Chur idem in effectu significat, quod votum, & kiesen idem est teutonicâ lingua praesertim veteri, quod eligere, uti constat auß dem alten Land- und Lehn-Recht / vulgò Spec. Suev. c. 28. 29. & 30. Hic verò 2
ulterius considerandum, quâ origine ad eos jus & potestas eligendi Imperatorem pervenerit? Quae sanè historica quaestio ob dignitatem rei praetermittenda non videtur; duo verò sunt principia, ad quae Electorum originem referre possumus, lex & consuetudo, à quâ utràque jam per aliquot secula Electoribus jus eligendi Caesaris competiit, ita ut tria proxima retro secula originem

3 Electoralis Collegii non contingant; planè ab initiis Imperii Romano-Germanici eam obtinuisse formam constat, ut Reges & Imperatores nostri, electione, non verò successione, ad jus & potestatem Regiam Cæsareamque pervenirent; sed tunc universi Principum Ordinis electio fuit non pauco-
4 rum, ac posteriori demum tempore illud schema introductum, ut certi ex universo Principum coe.u Regem Cæsaremque futurum, qui tunc mos loquendi obtinuerat, eligerent, jamque literati nostræ ætatis ferè consentiunt, ad usque tempora Frid. II. Imp. sic observatum, ut ab universis Imperii Principibus aut majori saltem ex parte Impe-
5 ratores sint electi; nam quod de lege Ottonis Tertii Imperii traditum est, septem videlicet Principibus jus illud electionis delatum fidei historicæ subsequentium temporum, quibus Imperatores ab universis Principibus adhuc more veteri electos fuisse proponitur, reclamat, er-
6 go vel ad legem expressam, circa tempora Friderici Secundi promulgatam, vel ad consuetudinem subsecuti interregni originem Imperatoriæ electionis ad septemviros restrictæ, hodiè communiore calculo referre malunt. Illud utique jam Innoc. III. Pontificis ætate servatum, ut electio Regum nostrorum à certis quibusdam Germaniæ Principibus perageretur, per *cap.*
7 *venerabilem.* 34. *X. de elect.* haud obscurè colligi potest; nam Innoc. III. cujus est ista decretalis, verbis ibidem utitur restrictivis, quæ ita habent: *Verum illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus (ut debemus) ad quos de jure ac antiquâ consuetudine noscitur pertinere &c.* ac paulò inferiùs: *quanquam plures ex illis, qui eligendi Regem in Imperatorem promovendum de jure ac de consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur &c.* Et ad eun-
8 dem modum loquitur Innoc. IV. *in c. ad apostolicæ 2. vers. illi autem. de re jud. in 6.* ut hinc probabiliter constet ex Synchroni-

chronismo & ætate Friderici II. Imperatoris & anteà, jus eligendi Cæsarem, sive, ut tunc loquebantur, Regem in Cæsarem promovendum, penes certos Germaniæ Principes fuisse; quinam verò illi fuerint, & quot, in textibus hisce juris Canonici expressum 9
non est, quamvis Electorum Principum & nomina & numerum distinctè referat Glossa illo ævo recentior, *ind. vers. illi autem.* Nec minus *Specul. Suev. c.* 29. quo loco & officia Electorum, quibus Regi electo ministeria exhibent, pariter recensentur, sed 10
ex relatis textibus nihil solidi relinquitur, in quo cum Simone Schardio circa pervestigandam originem Electorum, fundamentum ponamus; eoque intuitu Hostiensem perstringit *Baron. ad an. Chr.* 996. quòd decretalem istam Innocentii de 7. Electoribus, quasi iidem essent cum his, qui illâ ætate jus eligendi habuissent, intellexerit; verba ejus refert ex *tom.* 10. *n.*62. *Lehm. l.* 5. *chron. p. m.* 571. *&* 572. atque cum eruditorum sententiæ variæ sint, quorum nonnulli ad Caroli M, alii ad Ottonis III. quidam ad Henrici II. vel recentiora Ottonis IV. aut Frid. Secundi tempora Collegii Electoralis referunt primordia, semper probavi illorum opinionem, qui recentiora illa hac in materia respexerunt, & cum lex expressa deficiat, cui tutò liceat subscribere, consuetudini maluerunt palmam dare, præsertim quòd duplici, & Pontificis Innocentii III. *in d. c. venerabilem*, & Carol. IV. Imperatoris *in A. B. tit.* 1. testimoniis de hac consuetudine adjuventur. Quâ in sententiâ sunt *Arum. disc.* 3. 11
ad A. B. concl. 6. *& de comit. Imp. c.* 2. *n.* 17. *Rüml. ad A. B. dissert.* 5. *ubi Mull. in not. p. m.* 125. *Carpz. de L. Reg. Germ. c.* 10. *sect.* 5. *n.* 19. *&* 20. Cæterum ab hac assertione idem scrupulus removendus est, quem Carpz. *d. l. n.* 21. objicit legi scriptæ vel expressæ, quòd nimirum Principes verosimiliter non passuri fuerint tantum in tantâ re sibi præjudicium dari, sive pauci Imperatorem eligerent ex lege novâ, sive sine lege per actus con- 12
suetudinarios, & ferè difficilius apparet explicare rationem, quâ cæteri Principes ab initio acquieverint electioni regiæ vel

Cæsareæ paucorum, cum quidem jus anteà commune extiterit; omnes enim tanti splendoris Principes supinâ negligentiâ
13 hoc jus omisisse, certè minùs est probabile. Ergò sive adscribamus initia electionis paucorum constitutioni cum Onuphrio Panvino, de *Comit. Imp. tit. verior septem Elect. instit.* qui Gregorio X Pontifici saltem confirmationem, vel cum *Lampad. lib.* 3. *de jurisd. Reip. Rom. Germ. c.*4. qui Friderico II. Imperatori talem legem tribuit, vel aliis auctoribus consentiamus, qui tanti instituti Principia ad alios retulêre Imperatores, sive consuetudinem pro fundamento supponamus, sem-
14 per supererit dubium illud de patientia cæterorum Principum, cur non vel legi tali, vel consuetudini, præsertim inter primos actus, in re tanti momenti, & ad evitandum tantum præjudi-
15 cium reclamaverint vel restiterint. Itaque probabilius dici arbitror, non invitis cæteris Principibus, sed consensu illorum tacito vel expresso ad paucos negotium electionis Cæsareæ pervenisse, idque crediderim accidisse post longa electionis dissi-
16 dia & diutinum interregnum, quod post obitum Frid. II. Imp. fuit; tunc enim verosimile est afflictæ ex malis interregni Reip. studio & maximarum calamitatum tædio, annuisse cæteros Germaniæ Proceres, ut ab eminentioribus paucis, cum quidem multitudo eligentium ac invicem diffidentium per tot annos tam saluberrimo negotio fuisset impedimento, re-
17 gia electio perageretur: nec sanè occurrebant Principes, auctoritate magis conspicui propter insigniora officia Imperii præter septem, quibus cura eligendi permissa, tres Ecclesiasticos, utpote Archicancellarios Imperii per diversa regna, quatuor verò seculares, qui & ipsi officiorum prærogativâ splendebant, ut ita consuetudo hæc voluntate cæterorum Ordinum initium probabile sumpserit, forsan
18 & Pontificis, cujus tunc maxima erat in orbe Christiano authoritas, suasorio saltem consensu accedente; est enimverò valde consentaneum, Proceres Imperii tanto temporis

poris intervallo fluctuante Republicâ, ut & anteà interdum soliti erant *per d. c. venerabilem* dedisse literas ad Pontificem propter dissidia electionis proque remedio consuluisse, & cum Pontifex semel suffragium suum atque consilium dedisset Septemviratui, cæteros Principes tàm ex veneratione Pontificis, quàm metu similium in Imperio turbarum, quas diutinum interregnum attulerat, electioni paucorum haud difficulter acquievisse.
Nec obstat, quòd Innocentiana Constitutio *dict. cap. venerabilem.* jam mentionem faciat antiquæ consuetudinis, quâ regia electio jam certis quibusdam Germaniæ Principibus competierit, unde quis fortè colligendum existimaverit, interregno post Fridericum, de quo diximus, originem septem Electorum esse antiquiorem, videlicet, cum constet, eam etiam constitutionem anteriorem esse; quoniam respondetur: non hoc inde sequi; nam ut paulò antè deduxi, non hoc constat: Innocentium Pontificem loqui de septem Electoribus, ac iisdem illis, quibus posteà hoc jus consuetudine ac demum lege firmatum est. Ut igitur non fuit sine exemplis antiquitatis, Reges & Imperatores, maximè in casu dissidii, à certis quibusdam Principibus fuisse electos, ita eosdem fuisse numero septem, & hos, quos posteritas distinctis nominibus & officiis retulit jam consuetudine aut lege in electionis negotio fuisse subnixos, vel falsum, vel prorsùs est incertum. Ast verò post interregnum ab obitu Friderici Secundi subsecutum, clarè expressa legimus Electorum nomina & officia ministrandi genere distincta; Versus apud Glossam *d. l.* hi referuntur:

19 (beside "Nec obstat … vene-")

20 (beside "constet … quo-")

21 (beside "hoc jus … Ut igi-")

22 (beside "se subnixos … Ast verò")

Magna Moguntia, crassa Colonia, Treveris alma,
Atque Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Romanum Regem statuendi dant sibi legem;

eademque etiam Electorum nomina & officia recensentur im 23

Schwa-

Schwaben-Spiegel. *d. c.* 20. Hinc non nulli probabile arbitrati sunt, Wilhelmum, Hollandiæ Comitem Primum, ex Imperatoribus electum fuisse à Septemvirali Collegio, quod
24 per Bullam Carolinam posteà est confirmatum; sed huic opinioni adversantur, quæ Lehmann. annotavit in *Chron. Spir. lib. 5. c.* 90. quo loco instigatione Pontificis adversus Fridericum II. & sic ante interregnum, Wilhelmum fuisse electum, nec à Septemviris tantum Electoribus, sed aliis etiam Imperii
25 Principibus literis consignatum reliquit; Neque pro certo affirmaverim, omnes Imperatores proximis temporibus post interregnum, de quo loquimur, fuisse à solis Septemviris ad fastigium Imperii evectos, quia in Rudolphi Primi, ut & Adolphi electione Principes Imperii, ut eos Reip. præficerent, convenisse ac consensisse legimus apud *Lehmann lib. 5. chron. Spir. c.* 104. *& c.* 118. quod cur ad solos Septemviros
26 Principes sit restringendum, non apparet. Deinde ex ipso *Speculo Suevico d. cap.* 29. clarum est, non tantùm Electores, sed alios etiam Imperii Principes ad negotium Imperatoriæ electionis esse vocandos, quotquot sint, quorum copia haberi queat; ita enim Auctor *Spec. Suev.* de Electore Moguntino & Palatino ibidem ait: Sie sollen gebieten zu dem Gespräch ihrer Gesellen / die mit ihm do wehlen sollen / darnach den andern Fürsten / als viel sie ihr
27 gehaben mügen. Quæ res non prorsus ex vano fuit; nam licet cæteri Principes collegio eligentium haud interessent, nec vota in electionis ad paucos delatæ actu dicerent, posteà tamen in electi personam consentire & ipsi videntur consuevisse; itaque Rudolphum Primum, cùm à Principibus Imperii in Comitiis, ut filium Albertum Regem Romanum crearent, petiisset, repulsam tulisse, legimus, quòd dicerent,
28 uno Imperatore satis gravari Imperium, nec posse alere duos, prout ex *Trithem. Chron. Sponh.* annotavit *Lehmann. lib. 5. chron. Spirens. c.* 104. §. Demnach König Rudolph.

Quod

quod ſanè publicarum præſtationum onus, per illa tempora ad ſolos pertinuiſſe Electores, vel ab his reſponſum illud datum, ut exiſtimemus, nulla ratio eſt; quicquid verò hac in re priſci moris fuerit, dubitare non licet, ſequenti ætate col- 29
legio Septemvirorum Cæſareæ electionis poteſtatem privativè obveniſſe ex conſuetudine, ita ut quem ipſi unanimiter aut per majora collegii elegiſſent, is Imperator Romano-Germanicus acceptatâ electione haberetur, atque hanc eligendi 30
facultatem moribus aſſuetam Carolus Quartus Imp. refert in Bullâ ſuâ ac lege obfirmat, *tit.* 1. quanquam non deſit anterior quoque pontificia confirmatio Gregorii ſc. decimi, cui *Avent. lib. 7. chron. rubr.* wie Graf Rudolph von Habspurg an das Reich kam. nec non *Onuphr. Panvin. de Com. Imp. tit. verior ſept. Elect. inſtitutio.* Collegii Electoralis adſcribere initia haud dubitant; quo forſan & 31
reſpexit Fabius Chiſius (poſteà Alexander ſeptimus) cum Innocentii decimi Pontificis legatum ageret in tractatibus pacis Germanicæ, quando in proteſtatione adverſus *Inſtrum. pac.* inter cætera dixit: numerum Electorum olim vel Apoſtolicâ auctoritate definitum fuiſſe. Sed certe hæc allegata 32
auctoritas facti magis videtur fuiſſe, nec Pontifici in rebus ſecularibus præcipuè tantis juribus publicis poteſtas vel circa numerum perſonarum vel circa alia unquam jure ſuperiore vel conceſſionis Imperii competiit, licet præfractè haud negaverim, pro circumſtantiis ſeculi Gregoriani, arbitrio pontificis, definientis electorum numerum, Principes cæteros Imperii noſtri promptiùs videri acquieviſſe. Atque 33
ut hactenus dicta, paucis complectar: Quando lex certa deficit, cui collegii ſeptemviralis inſtitutio adſcribatur, potius eſt, ut cum Carolo IV. Imperatore eandem tribuamus conſuetudini, ita quidem, ut paulatim ad ſeptem inſigniores 34
Germaniæ Principes, quod ſoli, cæteris vel inter initia ſpecie electionis per compromiſſum, expreſsè, vel poſteà etiam

tacitè & propter auctoritatem suasoriam Pontificis Gregorii Decimi & ad evitanda dissidiorum in interregno mala consentientibus jam pluribus vicibus Imperatores elegissent, jus eligendi seclusis planè cæteris fuerit translatum, tandemque etiam le-
35 gibus Bullæ Carolinæ firmatum. Hi verò septem Electores fuere tres Principes Ecclesiastici, videlicet Archiepiscopi, Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis, quatuor seculares, qui in Bulla Caroli IV. hoc ordine referuntur; Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Marchio Brandenburgicus.
36 Nec obstat, quod Bohemiæ Regi Speculum Suevicum *d. c.* 29. expressis verbis deneget votum, additâ ratione, quod Germanus Princeps non sit, ubi & probabilior lectio, quæ juxta annotationem marginalem ex manuscripto, Ducem Bavariæ complexa est, quia aliàs mentio ibidem facta de quatuor Principibus, qui Germani esse debeant, vix sanum sensum admittit, quod ad mentem Speculi Suevici attinet, retinenda videtur, contextu licet proximo ad Bohemiæ Regem pertinente, verùm erronea est Auctoris hujus Speculi opinio; nam non tantùm in
37 glossa juris Canonici loco præcit. disertè nominatur Bohemiæ Rex inter Electores Principes, sed etiam exstat Rudolphi I. Imperatoris de voto Electorali Bohemico manifesta constitutio de anno 1290. apud Goldastum in Reichs-Satzungen/ *p. m.* 31. qua cæteris electoribus Reges Bohemiæ in negotio electionis Cæsareæ pari jure accensentur, quod ipsum Carolus IV. Imperator *in Aur. Bull.* non tantum probat, sed primum etiam inter seculares Electores Regi Bohemiæ tribuit votum.
38 Ex quibus ulterius apparet, falsam quoque esse sententiam tralatitiam veterum, quasi Rex Bohemiæ tantùm in casu dissensus cæterorum adhiberetur actui electionis Cæsareæ; neque enim præsupposita hac assertione aut pari jure cum cæteris Electoribus haberet votum Electorale, quod tamen vult jam allegata constitutio Rudolphi primi, aut primum votum inter seculares, quippi cum nondum constaret de dissensu coële-

coëlectorum secularium, juxtam Bullam Carolinam tribui eidem posset. Et licet indubium sit, Electores Ecclesiasticos 39
votum habere in conventu electionis Cæsareæ, ex veriori tamen sententia secus est de capitulis sede vacante; neque enim capitulum jura & privilegia Principis habet, quamvis soleat ad deliberationes Comitiales sede vacante admitti, cujus diversitatis ratio hæc reddi potest, quòd Comitialium rerum consul- 40
tatio respiciat administrationem ipsius Principatus, cujus magnum interesse subversatur in collectis Imperii aliisque deliberationum Comitialium objectis, ergo æquum visum est capitulum vice Principis Episcopi, Archiepiscopi vel Prælati in Comitiis dicere votum, quæ res aliter se habet in his, quæ magis concernunt privilegia ipsius Principis ubi Imperio non minus prospici potest, electoratui autem nihil decedit, & si forsan, vacante sede, una aliqua vice votum non exerceatur in negotio Cæsareæ electionis. Atque ita de capitulis, quod votum electio- 41
nis Cæsareæ non habeant, sentiunt *Limn.l.3. I.p.L.5.in fin. Heig.quæstione 4.Steph.de jurisdict.l.2.p.1.c.5.n.88.* Minus porrò dubitandum est, Electorem legitimè proscriptum, vel pro hoste publico declaratum, haud esse participem voti in actu Cæsareæ electionis, quia talis proscriptio legitimo modo & justis de causis facta omnem adimit dignitatem, privilegia & jura proscripto, vel bannito *Ord. Camp. p.2. tit.9.* §. So jemand. *Gail.de pac.publ.lib.2.c.1.n.23.* neque contrarium 42
argumentum valet *ex A.B.tit.1.§.si vero.* & *§.si quis autem*, quo nonnulli pro contrariâ parte utuntur; nam non est ibi sermo de Electore hoste publico Imperii, sed hoste particulari ejus, qui salvum conductum præstare debet, cui sanè inimicitia, quam habet cum conducente, impedimento esse nequit, quo minus publica securitate fruatur dum ad locum electionis Cæsareæ iter facit. Idem secundum jus canonicum de 43
excommunicato dicendum *arg. d. c. venerabilem.*, sed vereor, ut hoc statui præsenti, si casus in facto contingeret, con-

veniat; plus considerationis habet quæstio, an Archiepisco-
44 pus Moguntinns, Coloniensis, vel Trevirensis electus, sed nondum consecratus, admitti debeat ad votum in electione Cæsarea? Affirmativa placet *Buxtorffio ad A. B. Ottoni de jure publ. c.* 10. quibus accedit *Hermes in fascic. jur. publ. c.* 6. *n.* 53. quam sententiam & ipse probabiliorem puto hac maximè ratione, quod electorale votum Electoribus Ecclesiasticis com-
45 petat magis, quà Archicancellariis Imperii, quàm quà Archiepiscopis, hæc verò officia per se essentialem, ut sic loquar, connexionem non habent cum Archi-Episcopali dignitate; nam & in Imperio Romano Orientali Cancellarii sive Quæstoris officium seculare fuit, ut constat exemplo Triboniani, qui apud Justinianum Imperatorem eo functus est, quamvis in Imperio Romano Occidentali, Ecclesiasticis Principibus hæc fun-
46 ctio fuerit demandata. Quæstio ulterior est de investiturâ, an requiratur ad Personam Electoris, ut nisi ab Imperatore de Electoratu investitus fuerit, haud sit capax voti Cæsareæ electionis? Quæ quæstio de Electoribus tàm secularibus quàm Ecclesiasticis moveri solet, & videtur prima fronte generaliter affirmanda, per *text.* 2. *Feud.* 10. ubi is est Dux Comes Marchio, qui de ducatu, marchiâ vel comitatu est investitus; sicut ergo hæc regalium dignitatum nomina Electoribus ipsis haud competunt cum effectu ante investituram Imperialem, sic nec videtur competere jus voti Electoralis feudo Imperii anne-
47 xum, vel ab eo dependens; sed hoc argumentum minus valet in filiis Electorum secularium successoribus electoratus, quia successione acquirunt Principatum jure Feudi ex 1. *F.* 1. *princ.* & §. 2. item 1. *F.* 8. & 2. *F.* 50. quod nimirum fit virtute primæ investituræ, quâ legitimi descendentes masculi, ex sanguine, vocantur ad successionem Feudi, cui convenit Aurea Bulla, tit. 7. unde quod ad seculares Electores attinet, quæstio præmissa rectè neganda est, quatenus successione ad Ele-

Electoratum pervenerunt; atque hoc sensu consentiunt Bux- 48
torf. ad *A.B. conclus.* 18. *&* 85. *lit. h.* & ex ejus Principiis *Hermes d. c.* 6. *n.* 55. neque distinguo, an filius patri proximè defuncto, an agnatus agnato, in electoratu succedat modò à primo acquirente legitimè descendat, & sic virtute primæ investituræ, ut proximus vocetur ad successionem electoratus, quamvis renovationem investituræ jure communi feudali petere debeat juxta constitutiones Lotharii & Friderici I. Imperatorum 2. *feud.* 52. *&* 55. Quæ ratio in primo acquiren- 49
te secularis electoratus cessat, & propterea in ejus personâ, si casus juxta Auream Bullam contingeret extinctæ familiæ alicujus electoralis ac novæ collationis Electoratus, sine dubio prærequireretur investitura ad votum in negotio Cæsareæ electionis, per argumentum *ex dict. text.* 2. *F.* 10. In Ecclesia- 50
sticis Electoribus eadem ratio militare videtur, quod nimirum nullâ prædecessoris investiturâ vocentur ad electoratum, & quòd sola, quâ ad Archi-episcopatum evecti sunt, clericalis electio tribuere nequeat jura feudorum Imperii Archi-episcopatibus connexa, quâ de causâ motus Hermes quæstionem proximè præmissam affirmandam censuit, & contra Buxtorffium *d.* 51
l. asserere non dubitavit Archi episcopum electum nec investitum de Feudo haud vocandum esse, nec admittendum ad votum in conventu electionis Cæsareæ, nisi indultum habeat; sed benignior tamen ac verior Buxtorfii sententia videtur, ut censeamus, Archi-episcopum jure sedis suæ capacem electoralis voti non minus admittendum esse, ante investituram, quàm successores secularis electoratus; (1.) quia à multis se- 52
culis jam obtinuit in Imperio, ut qui Archi-episcopus vel Episcopus à Clero esset canonicè electus, is ipsa electione consequeretur jura Principatus tàm in Ecclesiasticis quàm secularibus annexis; (2.) non animadverto, cur Principi Ecclesiastico ri- 53
tè electo objici possit defectus investituræ tempore interregni, quam tunc consequi non potest vel à capite Imperii,

quod eo statu nullum est, vel à vicariis, qui eam conferre nequeunt, prohibente Aurea Bulla *tit*. 5. atqui de electione Cæsareâ in interregno maximè disponit Aurea Bulla; quod-
54 si etiam de extraordinariis electionibus Regum Romanorum loquamur, quæ fiunt Imperio non vacante (cujus generis hoc seculo tria exempla, Ferdinandi 3., Ferdinandi 4., & Josephi Regum Romanorum annotare licet) durum videretur, archiepiscopum rectè electum excludere à jure voti, propterea quòd investituram nondum acceperit, cum quidem (3) ei non magis hæc denegari possit legitimè petenti, quàm Principi secularis electoratus successori; huc & quarta ratio accedit ex Bohemiæ Regum exemplis, quos cum antehac vi-
55 gore *A. B. tit*. 8. (diversum hodiè) electione pervenerint ad regnum, non legimus alio jure usos ante investituram de regno quàm cæteri Electores seculares uterentur; sed cum jura regni Bohemiæ electione tenerent, post eam juris quoque eligendi Imperatoris vel ante investituram de regno non minus fuere participes, quâm cæteri seculares coëlectores licet, hi electoratum successione adepti essent, cur ergo aliud in Archiepiscopis electis dicendum sit, quando hi pari jure ex electione suâ gau-
56 dent, perspicere non licet. Semper tamen & meritò ille casus est excipiendus, quo Archiepiscopus electus esset in mora petendæ investituræ vel aliàs Imperatori, si eo vivo Rex Romanus eligeretur, aut Imperio, rebellis foret & inimicus; hic enim etsi forsan, quò minus Ecclesiastici Principis munere fungeretur, ei nihil obstaret, meritò excludendus esset à jure & exercitio voti electoralis, cum etiam post investituram talia
57 cum deberent repellere. Illud sanè ex suprâ deductis haud est obscurum, seculares Electores non eos intelligi, qui titulo gaudent sui Principatus cum spe futuræ successionis, sed qui jus Principatus re ipsa obtinent, & regimini quoque Ele-
58 ctoratus præsunt, hinc defectu Primi requisiti excluduntur à jure & voto Electorali omnes secundo vel ultro geniti, aut ab his

his descendentes, quam diu primogenitus aut ab eo descendentes legitimi supersunt, idque ex dispositione Aureæ Bullæ tit. 7. ita quidem, ut lineali successioni inter collaterales ab eo- 59
dem stipite Electorali descendentes locus sit, qua de re suo loco plura. Defectu secundi requisiti, scilicet regiminis actualis in Electoratu, haud admittuntur ad exercitium voti in ele 60
ctione Cæsareâ Principes successores electoratus, qui minores sunt octodecim annis; ad eam enim usque ætatem completam, quæ in jure civili plena pubertas vocatur, §.4. *circa fin. Instit. de adopt. l. Mela.* 14 §. 1. *ubi Gothofred. in not. de alim. leg.* sub tutelâ sunt vel curâ agnatorum, juxta *Aur. Bul. d. tit.* 7.
Hi igitur septem Electores, putâ tres Ecclesiastici & quatuor se- 61
culares Principes suprà relati, juxta tenorem Aur. Bullæ Imperatoriæ vel regiæ Romanæ electionis jus habent. Sed huic numero ex tabulis *Instrum. Pac. art.* 4. accessit octavus Elector hac ratione, ut Bavariæ Dux, cui tempore belli electoratus Palatinus concessus fuerat, eo loco & gradu persisteret, Comiti verò Palatino novus & octavus daretur electoratus sub titulo Archithesaurarii Imperii; hoc amplius nostrâ hâc æta- 62
te notissima est de nono electoratu historia, dum invictissimus Imperator noster Leopoldus potentissimo Duci Hannoverano Ernesto Augusto nonum electoratum ita concessit, ut eum de Principatibus, quos tenet, tanquam de Electoratu investiret, quæ res, cum diversi Principes Imperii contradicant, nunc maximè agitatur, & in motu est circa Comitialia jura & introductionem hujus Electoris vel Legatorum ejus in collegium Electorale; atque hæc de personis eligentibus. Secun- 63
dum tituli membrum est electio quæ considerari potest vel in præliminaribus, vel in actu ipso Præliminaria sunt ex Aureâ Bullâ quatuor; 1. indictio conventus electoralis, 2. salvus Electorum conductus, 3 Missæ, celebratio 4. præstatio juramenti. Indictio fit à Moguntino Electore ex præscripto Aureæ Bullæ *c.* 1. §. *præterea statuimus* &c. ubi ea forma expressa

64 expressa est, ut Moguntinus Coëlectoribus patentibus literis per nuncios suos intimari curet negotium Electionis, & in iisdem literis exprimat diem, â quo intra tres menses continuos Electores singuli Francofurti, ad peragendam Imperatoris electionem, debeant comparere, quod si intra mensem à die notitiæ mortis prædefuncti Imperatoris hujusmodi literas non curet insinuari Moguntinus, poterunt cæteri electores
65 motu proprio se conferre Francofurtum, expediendi hujus negotii gratiâ *Aur. Bull. d. t.* 1. §. *cum autem ad hoc &c.* Cæterum citatio isthæc liberum relinquit Electoribus, per se vel personaliter comparere, vel plenipotentiarium vice sua intra terminum ad locum definitum ablegare, *d.* §. *præterea statuimus*, &c. Secundus actus præliminaris est salvus condu-
66 ctus, quo Electores per Principum territoria, per quæ iter faciendum est ad locum electionis, salvi ac tuti possint transire, de hoc generaliter & specialiter provisum est *in Aur. Bull. d. tit.* 1. §. *si quis. vers. quamvis autem* &c. & §. *primo namque*, *cum multis seqq.* ubi, quinam Principes & Status singulis Electoribus salvum conductum præstare debeant, nominatim cavetur; fuit sine dubio hæc res olim pernecessaria, propter pericula itinerum, quæ sæpiùs infesta erant ante sanctionem pacis publicæ perpetuæ, ex diffidationibus vel alioquin ex latronum aut prædonum incursu; quamvis verò ea ratio diffidationum permissarum hodiè cesset, non tamen similiter salvus con-
67 ductus Electorum ad locum electionis Cæsareæ iter facientium abrogatus censeri debet, quia tantùm procatarctica causa fuit periculum in viis publicis, qua causa cessante non cessat effectus, itaque adhuc hodiè, si desideretur, Electores ad conventum Cæsareæ electionis proficiscentes à dominis territoriorum, per quæ iter faciunt, conducen-
68 di sunt. Ex quo sequitur, si Electores vel qui in comitatu ipsorum sunt, aliquid amitterent in itinere defectu salvi conductus vel culpâ conducentis, quod hoc ipsum

præ-

præstari, deberet à Domino territorii cum ipsius speciali curæ hic salvus conductus per legem publicam sit commissus; ita enim obtinet in facti obligationibus, ut si quis non facit id, ad quod jure obstringitur, teneatur ad interesse, *l. si quis* 13. §. 1. *ff. de* 69
re jud. atque sic condictione ex Recessu Imperii de Anno 1559. §. damit dann die Obrigkeit. 34. ad damna in viis publicis data proficiscentibus, qui salvum conductum impetraverunt obligari territoriorum dominos satis est manifestum, quamvis aliàs in damnis latronum & prædonum in cursu alicui irrogatis extra salvum conductum specialiter impetratum, vulgò das erlangte lebendige Geleith/ & extra salvum conductum speciali lege sancitum dispar ratio videatur, cui etiam adnumerari casus posset, si vis major incidisset, quam dominus territorii totis viribus suis non potuisset avertere; ibi enim æquum est, eum 70
ad resarcienda damna ex hoc casu contingentia haud teneri. Tertius actus præliminaris est Sacrorum celebratio, quæ veteri ritu Missatico peraguntur Francofurti, juxta *Aur. Bull. t.* 2. §. *postquam autem sæpè dicti* &c. ubi notandum, Protestantes Electores solere interim in sacellum aliquod secedere, quod prope chorum est, prout ex aliis refert *Rumlin. ad Aur. Bull. part. dissert.* 3. θ. 3. Quartus denique actus antecedaneus est juramenti præstatio, cujus formulam exprimit textus *Aur. Bull. d. t.* 2. §. *ego Archiepiscopus* &c. ex qua re con- 71
stat Electores ipsos si præsentes sunt in loco Electionis, juramentum debere præstare, id enim pervincit textus *Aur. Bull. tit.* 2. *in princ. circa fin.* ubi hæc habentur verba, *& Archiepiscopus Moguntinensis formam juramenti eis dabit, & unà cum ipsis, & ipsi, vel absentium nuncii unà cum eo juramentum præstabunt.* Sane dum hic tantùm mentio fit Electorum ipsorum jurantium, qui scilicet præsentes sunt, vel nunciorum, nempe eorum, qui absunt, colligi videtur, Electores præsentes personaliter debere præstare juramentum de legitimâ electione Imperatoris, quia hæc forma est à lege præscripta in

72 *d.§. ego Archiepiscopus*, ergo ad unguem servari debet, ut præsentis electoris mandatarius quamvis speciale mandatum habens, non videatur admittendus ad hoc juramentum, atque ita juxta legem *Aur. Bull.* rectius dici arbitror de Ele-
73 ctore præsente in loco electionis, nec habente legale impedimentum; eo enim casu benignior sententia est, Electorem etiam præsentem & legitimè impeditum posse juramenti vices, per speciale mandatum, alii committere, ut in animam ipsius hoc electorale juramentum præstet; sicut legimus, mandato legati electoris absentis inter cæteras hanc clausulam insertam, ut in animam committentis præstet quodcunque jura-
74 mentum necessarium, *A. B. tit.* 19. non debent verò Electores præsentes legali modo impediti, quo minus personaliter jurent, deterioris conditionis esse, quàm Electores absentes impediti; pone morbo subitaneo electorem præsentem correptum, triste funus filii, uxoris aut familiæ ei nunciatum, aut quem similem casum obtigisse, cur in publico comparere, vel ad se accessum dare vel non, vel non congruè posset, justum utique erit admittere juramentum Electoris etiam præsentis in urbe, ubi peragitur electio, per legatum medio speciali ad jurandum
75 mandato. Illud ulteriorem disquisitionem meretur, quomodo absentium nuncii supradictum juramentum præstent in animam absentis electoris; nam si jurant pari forma cum
76 cæteris Electoribus, ut in verbis præmissis vult Aurea Bulla, non apparet, cur opus sit juramento in animam Electoris committentis, dum legatus in personâ propriâ, juxta formulam *d.§. ego Archiepiscopus*, jurat, se temporale caput sive Regem Romanorum in Cæsarem promovendum eligere velle
77 fide ac discretione optimâ, quâ possit. Verùm respondendum est, hæc contraria non esse; ut votum electorale nomine Electoris absentis proferatur ab ipso legato, & in nomine animamque ejusdem juramentum præstetur, & nihilominus tamen ab eodem legato juretur in animam propriam, quòd nimi-

nimirum hoc tanto munere sibi commisso velit juxta præscriptum legis ritè fungi, quemadmodum & in privatis causis procuratores partium & in animam principalis absentis & propriam suam jurare novimus, de actibus præparatoriis hactenus. Sed progredior ad negotium Cæsareæ Electionis 78
ipsum; ea nihil aliud est quàm voluntatis expressio, quâ legitimè designatur persona ad Imperium judicio designantis habilis, & peragitur votis Electorum ritè emissis; ubi tria consideranda: rogatio votorum, ordo, & collectio. Rogat vota Moguntinus elector ex præscripto Bullæ Carolinæ ordine, suumque votum ultimo loco superaddit, prout est expressum in text. *A.B. tit.* 4. *§. primo quidem.* sed ex antiquitate Moguntinus primum votum protulisse refertur; *vid. Spec.* 79
Suev. d. c. 29. ubi hæc legimus verba: Der Bischoff von Maintz ist Cantzler in Teutschen Landen / der hat die erste Stimm an der Wahl; & sic etiam constat in electione Caroli quinti Imperatoris hoc idem observatum, in quâ Moguntinus Elector primus dixit sententiam, referente Sleid. *lib.* 1. *de statu Religionis* regulariter tamen cur ab ordine votorum in Aur. Bull. præscripto recedendum sit, nulla ratio 80
apparet, & juxta hanc normam Moguntinus singulorum electorum rogat vota, ita ut Trevirensis Archiepiscopus primum dicat, Coloniensis secundum, Rex Bohemiæ tertium, Comes Palatinus Rheni (hodiè Dux Bavariæ) quartum, Dux Saxoniæ quintum, Marchio Brandenburgensis sextum, quem tandem voto suo rogatus à coëlectoribus Moguntinus sequitur, & veluti Decanus tanti Collegii numerum complet; sed hodiè Elector Palatinus Brandenburgicum votum ex ordine sessionis immediatè sequitur & consequenter Moguntinum votum in octoviratu huic hodiè succedit, ut olim Brandenburgico. Neque vero existimandum est, si non præcisè servatus fuerit 81
votorum ordo in lege præscriptus, statim vitiosam esse hac de causa Cæsaream electionem, dummodò Electores ipsi,

quos ordinis ratio concernit, eam in rem consentiant, vel saltem non contradicant; est enim haud dubiè is scopus
82 Carolinæ constitutionis circa ordinem votorum electoralium, ne dissensus in serie proferendi, causa sit moræ, neve hac ex re tantum negotium forsan ex contradictione contingat impediri, quæ ratio in casu consensus expressi, vel taciti prætermisso ordine cessat, ut salva nihilominus sit & esse possit Cæsarea electio; sic electioni Sigismundi & Caroli Quinti Imperatorum nihil obstitisse legimus, quamvis ordo votorum ita
83 præcisè non fuerit observatus. Atque is ordo lege determinatus obtinet indistinctè etiam in legatis absentium, licet in processione & præstatione juramenti Electoribus præsentibus ordine legitimo posterioribus legati cedant, referente illust. *Dn. Rhetio Instit. Iur. publ. lib.* 1. *tit.* 4. §. 2. *&* §. 21. cujus diversitatis ratio, haud inconcinnè desumi posse videtur ex forma mandati Electoralis, quæ habetur in *A. B. d. t.* 19. ibi enim instruuntur legati Electorum absentium, & mandatur iisdem, ut loco & nomine committentis intersint collegio ac deliberent, quæ expressa loci mentio restrictiva est, ac propterea nisi legatus admitteretur eo loco ad votum, quo elector committens si præsens esset, defectus subintelligi posset habilitatis personæ in voto, quod Elector absens lege sic præsumente
84 non commisisset loco incongruo; ast eandem dispositionem in processus ordine non invenimus, neque etiam in juramenti
85 præstatione, quamvis ejus mentio fiat *in d. tit.* 19. Votum porro ipsum de certa persona esse debet, quæ judicio ferentis sit electa; neque enim aliàs satisfactum existimari poterit juramento electioni præmisso, hinc vota alternativa, quibus hic vel ille Princeps eligeretur, item conditionalia, quia nihil ponunt in esse, rejici debent & irrita haberi; id
86 juris insuper est, ut quod quis Elector sibi votum dederit, hoc etiam validum atque efficax sit ad augendum numerum, sic disponente *Aur. Bull. d. t.* 2. *§. fin. vers. in casu denique.*

denique. qua de re celebre exemplum commemorant Sigismundi Imperatoris, qui ſibi ipſi votum dederit hac ingenioſa expreſſione, me novi, alios non æquè, an pariter Imperio orbis digni ſint, atque ſic traxerit cæteros in admirationem quandam & conſenſum ſui voti. Notandum verò eſt ul- 87
terius, abſentes Electores legitimè tamen vocatos, iſta vice perdere jus voti ſui, *A. B. d. c.* 1. §. *Princeps verò*, idem eſt, ſi ante negotium hoc peractum, è loco electionis Electorum aliquis, vel legatus alicujus diſcederet, *d.* §. *Princeps verò*; quod ſi quis tamen poſt terminum adveniat, ſed negotio electionis nondum finito, cum conſtat adhuc admittendum eſſe in ſtatu, quo tunc cauſa invenitur, *Aur. Bull. d. c.* 2. §. *poſtquam autem in eodem*; diverſa ratio foret, 88
ſi qui Electores unus vel plures de collegio vocati non eſſent ad actum electionis, qui uti hac de causâ non perderet votum ſuum, ita hujusmodi eorundem abſentia, ob neglectam formam legis, irritaret actum. Tempus electioni, poſtquam Electores convenerunt, præfinitum eſt triginta dierum, *Aur. Bull. d. tit.* 2. §. *præſtito*. Quæritur autem, an hoc tem- 89
pus Electionis ex juſto impedimento poſſit prorogari? Et de rigore juris videbatur negativè reſpondendum, quia forma à lege præſcripta eſt ad amuſſim obſervanda, contrariam tamen ſententiam, cui uſus adſtipulari videtur, plerumque enim hoc negotium ex arduis cauſis aliquantò longius extrahitur, benigniorem & probabiliorem arbitror; imò Lex etiam abſque impedimento poſt triceſimum non annullat electionem, ſed maturare tantum jubet hoc negotium, ne temere & cum damno Reip. ultra triceſimum protelectur, unde hic procedit illud Innocentii Tertii Pontificis *in c. ad Apoſtolicam. de regular. multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent firmitatem*; cæterum abbreviari & reſtringi poſſe legale iſtud tempus, ne dubium quidem eſt, quia lex Aur. Bull. anticipationem termini minimè excluſit: Quid de trimeſtri tempore 90

comparitionis suprà dicto? idem censeo, nisi quòd hoc ad præjudicium Electoris vocati, restringi non posse verius existimem cum *Rümlin. ad Aur. Bull. d. dissert* 2. θ. 15. De eo ulterius quæritur, an ex mandato electorali ad certam perso-
91 nam directo electio subsistat? Quod idem etiam de familiâ quæri solet, utrum nempe eligendi potestas ad eam sic possit restringi, ne legata liceat vel aliam personam, vel ex aliâ familiâ eligere, & si sic elegerit, num electio valeat? Quæstionis momentum in eo vertitur, num tale mandatum restrictum sit legitimum? Negat hoc *Rheink. de Reg. Sec. & Eccles. lib.* 1. *Class.* 3. *c.* 3. *n.* 10. quem sequitur Müllerus *in addit. ad Rümlin. sup. Aur. Bull. p.* 1. *dissert.* 2. §. 14.
92 ex ratione, quod in ipsâ A. B. d. t. 1. §. *Princeps verò*, expressè requiratur, ut nuncius legalis mittatur ad negotium electionis cum literis patentibus, plenam, liberam ac omnimodam potestatem continentibus ad eligendum Romanum Regem; sed talis potestas non utique videtur esse libera & omni-
93 moda, si sit restricta ad certam personam vel familiam. Deinde idem evinci videtur ex formula juramenti Electoralis, cujus jam facta est mentio, juxta quam eligere quis debet, ut habent verba Bullæ secundum omnem discretionem & intellectum suum, sive in quantum discretio & sensus ipsum eligentem dirigunt, personam habilem & condignam, quod juramentum non videtur stare posse cum restrictione mandati
94 electionis ad certam personam vel familiam; veruntamen re penitus consideratâ, haud errare crediderim eum, qui censeat, tale mandatum simpliciter illegitimum non esse, quia discretio vel intellectus legati, ut verba Bullæ repetam, coïncidere potest voluntati mittentis, in persona vel fami-
95 liâ præscriptâ, & sic salvari juramentum, neque hoc casu minùs liberè mandatarius elegerit, qui optimum Reip. judicaret ex familiâ in literis expressâ, vel qui personam prænominatam eligeret; diversum utique foret, si legatus profiteretur dissen-

dissensum vel circa familiam vel circa personam in literis mandati expressam, quia tunc defectu mandati admitti minimè posset, idque satis probant rationes pro Rheinkingii & Mülleri sententiâ præmissæ. Est autem vero simile hunc 96
casum in Cæsarea electione vix hodiè contingere, quando dubium non est, legatos Electorales, utcunque ad certam personam vel ex certâ familiâ eligendam instructos; formâ tamen mandati pleniore & liberâ ablegari: neque enim quicquam impedit, quò minus mandans de voluntate man- 97
datarii in hac tantâ re certior sit, nec mittat nisi secum & in familiâ & personâ eligendâ consentientem, huic tamen certioratione hac salvâ nihilominus mandatum det ex forma Aur. Bullæ, quo casu si legatus alium, quàm ex tenore secretæ instructionis debuerat, in Regem Romanum vel Cæsarem eligat, stari debet huic voto juxta mandatum & juramentum, quamvis idem in committentem graviter peccet, hocque intuitu pœnæ sit obnoxius, qua in re memorabile extat exemplum in electione Ludovici Bavari Imperatoris, cui nuncius Brandenburgicus suffragium dedit, cum voto Woldemari Electoris Brandenburgici debuisse eligere Fridericum pulchrum Austriacum. *Did. Apolephtes.* in Historischen Erquickstunden *p.* 535. Sed de mandatis electoralibus, rogatione votorum & ordine hactenus. Quæ ubi emissa 98
fuerint, Moguntinus Elector ea solet colligere ac referre, in quem vel unanimia vel majora cadant, factâque conclusione Cancellario suo assumptis duobus notariis personam ad regium vel Cæsareum culmen electam notam facit, & ut de hac re adhibitis testibus instrumenta fiant, mandat. *Dn. Rhet. d. tit.* 4. §. 34. Id scilicet expeditum est, aut per unanimia aut 99
per majora saltem electionem Regis vel Cæsaris Romani factam esse debere, ut legitima sit; unanimia in casu consensus omnium Electorum, majora in casu dissensus locum habent, de quibus ita loquitur *Specul. Suev. d. c.* 29. *circa fin.*

Darumb

Darumb ist der Fürsten ungerad gesetzt / ob drey an einen fallen / und vier an den andern / daß drey den vieren sollen folgen / und das minder dem mehrern folgen /
100 das ist aller Chur = Recht. Et sic videtur numerus impar eligentium commodior actui electionis, quia in eo non dantur vota paria collegii, sicut in numero pari; Sed hæc ratio non concludit indistinctè, & imprimis eo casu, si Elector aliquis ritè vocatus abesset, propterea que voto suo istâ vice careret, electio inter numerô pares (loquor de septemviratu ad hypothesin Speculi Suevici) peragenda esset:
101 Deinde, ubi non tantum duo, sed plures diversis Electorum votis designati essent, imparitas numeri eligentium non satis prospiceret negotio, quia etiam sic haberi possent paria, v. g. in septenario numero si unus primo, tres secundo, & alii tres tertio dedissent vota, utique secundus & tertius haberent vota paria haud juvante impari numero collegii Electoralis, quæ res hodiè in Octoviratu obtinere facilè potest etiam in duobus electis, ut sc. singuli quatuor gaudeant votis; ne
102 id mirum in numero pari. Estque omninò ulterioris indaginis, quomodo intelligenda sint majora in actu electionis Cæsareæ, an respectu totius collegii Electoralis, an verò respectu minoris numeri suffragantium? Habet enim v. g. Princeps aliquis pro se quatuor vota Electoralia, secundus tria, tertius unicum; quæritur ergò, an Princeps, qui quatuor gaudet votis, habeat majora in Octoviratu? Si respectu collegii loquimur, non habet; si verò quoad coëlectos, qui pauciori-
103 bus votis nituntur, habet majora; utro igitur modo res intelligenda veniet? Est verius, quod respectu totius Collegii majora accipi debeant, tum quia de jure communi civili majora Ordinis vel Collegii intelliguntur respectu ipsius collegii, non minoris numeri decernentium, *l. nulli, 3. ff. quod quisque un. nom. l. quod major. 19. ff. ad mun. l. lege 3. ff. de decr. ab ord. fac. l. nominationum 46. C. de decur.* tum quia de jure Canonico in electionibus Ecclesiasticis idem con-

constitutum, ut videlicet juxta capituli numerum per se, non suffragiorum ad diversos relatorum, intelligi debeant, *c. Ecclesia. c. Cumana. x. de elect.* quâ in re jure canonico non 104
est necessarius consensus duarum partium vel tertiarum collegii sive capituli, ad constituenda majora, sed sufficit quolibet numero excedi alteram partem collegii, ab eâ, quæ vota detulit, præterquam in electione summi pontificis, cui duas tertias cardinalium, qui sunt in conclavi consentire oportet, ut justa censeatur, *Guicciard. lib. 15. histor. pag.* 457. conf. Julii secundi pontificis const. *in c. 1. de Cardin. lib. 7. decretal.* Sed 105
hoc ex jam dictis jure canonico est speciale, quod magis convenit juri civili, duas partes ordinis requirenti, *d. l. nulli. d. l. lege. d. l. nominationum.* Denique respectu collegii Electoralis non 106
minoris numeri suffragantium aliorum intelligi majora in actu Cæsareæ electionis, probatur ex ipso textu *Aur. Bullæ d. tit. 2. §. præstito*, si ponderentur verba: *nisi prius major pars IPSORUM temporale caput elegerit* &c. ubi particula relativa: IPSORUM sese reflectit ad totum collegium Electorale, quippe de quo in contextu proximo ibidem sermo erat. Nec majora hæc de duabus tertiis collegii Electoralis 107
consentientibus præcisè, sed laxius, sive, ut dixi, de numero excedente alteram collegii partem accipere oportet; nullibi enim illud ex electione Cæsareâ vel lege cautum vel usu requisitum ac probatum legimus, ut majora duabus subnitantur ad minimum collegii tertiis, cum quidem constet, majora, si aliud specialiter constitutum vel moribus introductum non sit, solere de ampliore numero collegii intelligi, præsertim, quod nec in septemviratu nec in octoviratu obstante ratione numeri duas tertias habere liceat, quas novemviratus, quod ad divisionem numeri attinet, admitteret. Sic in octoviratu ad 108
minimum quinque Electorum vota, ut majora subintelligantur, necessaria erunt, & totidem in novemviratu, nec pauciora sufficient, nec plura requirentur; hæc de ipsis votis, quæ post- 109
quam collecta fuerint, electio protinus electo est notificanda

adepti Cæſareo uterentur titulo, quod variis legum & privilegiorum exemplis apud *Goldaſt. tom. 1. conſt. Imp.* cernere licet; ipſe Ludovicus Imperator, auctor præallegatæ ſanctionis 114
regium titulum ſumpſit, ſed poſteà, cum Romæ coronatus eſſet, Cæſareum; pari ratione quoque ejusdem in Imperio ſucceſſor Carolus Quartus, aliique electi plures, ſive anteceſſores ſive ſucceſſores; & omnium clariſſimè hæc quondam nominum uſurpata diſtinctio, ex Piſana proſcriptione vel declaratione banni Imperialis contra Robertum Apuliæ Regem emiſsâ 115
apparet; in ejus enim ſubſcriptione Henr. Septimus Imperator regni ſui & Imperii annos (non habebat autem patrimoniale regnum, ſed tantum Romanum electione acquiſitum) apertè diſtinguit hac formula: *Actum Piſis in præſentiâ noſtrorum Principum & Baronum ac populi multitudine copioſâ. 7. Cal. Maji Regni noſtri anno quinto, Imperii verò anno primo*: eodem nempè proſcriptionis anno Romæ ſolen- 116
ni ritu coronatus fuerat, cum regium titulum jam per aliquot annos obtinuiſſet, & ſic teſtibus hiſtoriis, legibus atque privilegiis, qui legitimâ electione ad jus adminiſtrationis Imperii perveniſſent, aut planè non ante coronationem Pontificiam Cæſareum vel Imperatorium titulum ſuſcipere conſueverunt, licet uterentur Regio Romano; verum poſterior 117
ætas jam à Maximiliani primi Imperatoris tempore Cæſaris & Imperatoris nomina, intermiſsâ etiam Pontificis coronatione; neque enim ab illâ usque ætate Imperatorem niſi ſolum Carolum Quintum à Pontifice coronatum legimus, his, qui actu præeſſent Imperio, rectè aſſeruit; cur enim, cum jus adminiſtrandi Imperii habeant cum tot reſervatis maximis, careant Imperatoris vel Cæſaris titulis, atque ita ad hæc usque tem- 118
pora inſcribere diplomatibus, mandatis, legibus, privilegiis, edictis & quibuscunque literis ſoliti ſunt, Erwöhlte Römische Kaiser / zu allen Zeiten Mehrer des Reichs / quibus titulis Imperatorum Cæſarumque poſt Carolum

Quintum Divi Ferdinandus I. Maximilianus Secundus, Rudolphus Secundus, Matthias, Ferdinandus Secundus, & Ferdi-
119 nandus Tertius, dum viverent, usi sunt, hodieque invictissimus Imperator noster Leopoldus utitur; unum tamen hoc non est prætereundum, quòd in vitâ Imperatoris electi Reges Romani Cæsareo Imperatorioque nomine hodienum abstineant, usque dum aliquando post obitum Imperatoris administratio-
120 nem Imperii pleno jure consequantur. Verum his duo objici possunt: 1. quod Lex Ludoviciana non obliget Pontificem, quia inter Pontificiam sedem & Imperium controversia esse videtur de jure Pontificis in Imperatorem & Imperium; ergò Lex Imperii non poterit Pontifici aut Sedi Romanæ præjudicare. 2. Quod observantia anterior pro Pontifice militet, dum Reges Romani & ipse Ludovicus Quartus Imperator Regio titulo ante, Cæsareo post Coronatio-
121 nem pontificiam usi fuerunt. Sed responderi potest haud difficulter, quod si vel maximè Lex in Imperii controversiis inter Imperatorem & Pontificem circa ipsum Imperium haud videatur præjudicare Pontifici, tamen attendendam esse rationem legis, jure gentium subnixam, quòd sc. Imperator quà talis non recognoscat superiorem, & quòd Imperium non sit feu-
122 dum Pontificis; itaque cujus Imperii supremum jus Pontifex nunquam habuit, certè nulla probabili ac stringenti ratione habuisse demonstratum unquam est, nec solidè demonstrari potest, ejus Imperii libertatem & independentiam à Pontifice Imperator auctoritate Electorum Ordinumque cæterorum utique lege declarare potuit salvam; quod quidem Lu-
123 dovicus Quartus Imperator constitutione suprà relatâ præstitit, cujus adeò legis Ludovicianæ si non auctoritas per se, ratio saltem in defectu Dominii supremi, quod Pontifici nullo jure firmo unquam est assertum, satis fundata, prætensiones nexus feudalis & subjectionis plenissimè excludit. Neque ab observantiâ sequiorum temporum contrario usu jam

jam sublata argumentandum est ad possessionem vel quasi anteriorem, præsertim cum res meræ facultatis fuerit, & priscis Re- 124
gibus Romanis actu imperantibus nullâque lege præpeditis arbitraria, num titulum Cæsareum citra coronationem Pontificiam sumerent, quod cum hodiè in morem indubium concesserit, latius deducere superfluum puto. Atque hæc ad argumentum præsentis tituli pertinere visa sunt, proxima erit consideratio conditionum vel capitulorum, sub quibus jus Imperii ab Electoribus conferri solet, quæ capitulatio, ut vocatur, quia coronationém præcedit, ex ordine rerum titulo proximo congruè declarari poterit.

TITULUS VII.
DE
CAPITULATIONE CÆSAREA vel REGIA ROMANA.
SUMMARIA.

Num. 1. *Capitulationis nomen unde?* 2. *Capitulatio quid sit, & quot punctis hæc materia constet.* 3. *usque* 12. *Capitulationis origo investigatur.* 13. *&* 14. *Capitulatio est publica conventio, & habet vim legis fundamentalis* 15. 16. *&* 20. *Capitulatio corporali juramento obfirmatur.* 17. *juramentum corporale clausulæ aliàs æquivalentes, velut* bey Königlichen oder Fürstlichen Würden / bey dem Wort der Warheit ꝛc. *in gravissimis negotiis publicis haud planè supplent vel excludunt.* 18. *Juramentum Capitulationis confirmatorium exigentibus id Electoribus debet præstari, non tamen absolutè est de capitulationis substantia.* 19. *Regis Romani electi minor ætas non dispensat à juramento.* 21. *usque* 25. *Capitulatio à Rege Romano electo & Electoribus consensu firmatur.* 26. *&* 27. *Capitulationem an & quatenus soli Electores cum Rege Romano possint stabilire?* 28. *Electi ætas ad admini-*

 stran-

strandum nullâ lege universali determinata est. 29. *Iosephina Capitulatio requirit in Rege Iosepho circa administrationem decimumoctavum annum cæptum.* 30. & 31. *Iosephina Capitulatio respectu administrationis quid disponat?* 32. *Capitulationis lege quatenus Imperio & Statibus obstringatur Rex?* 33. *usq;* 37. *monita Statuum circa capitulationem quid operentur?* 38. *Capitulatio perpetua quid emolumenti afferat?* 39. 40. & 41. *Capitulatione suprema potestas non confertur Regi sed electione declaratur collata, restricto tamen exercitio ad formam conventionis.* 42. 43. & 44. *Capitulatio nec ex plenitudine potestatis, nec absolutione vel dispensatione infringi potest.* 45. 46. & 47. *Capitulationis articuli conventi per beneficium ætatis minoris etiam Impuberis, dummodo aliqualis jam fuerit usus rationis, retractari nequeunt* 48. *usque* 51. *Capitulatio num valeat tantum in vitâ Regis, cum quo est conventa, & num etiam successores Imperii obliget?* 52. *Capitulatio designati successoris per se non obligat antecessorem adhuc vivum & imperantem.* 53. *Capitulatio una ex alia recipit declarationem, & si sint contrariæ, posterior prævalet.* 54. *Capitulatio Imperatoris adhuc vivi præfertur Regiæ posteriori* 55. 56. & 57. *Capitulatio non tollit Imperatoriam vel Regiam majestatem.* 58: *Electi Imperio non vacante Regis potestas ad eventum mortis Imperatoris in exercitio refertur.* 59. & 60 *Capitulationes constant prologo, articulis conventis, & epilogo.* 61. & 62. *Rex Romanus capitulationi consentit liberè, quod* 68. *declaratur*, 63. *usque* 66. *Potestas suprema electo confertur ante capitulationem, non verò facultas auspicatò administrandi.* 67. *Capitulationi Iosephi Regis speciales sunt literæ reversales.* 69. *usque* 80. *Capitulatio an tantum in vim pacti, an verò etiam in vim legis obliget?* 81. *usque* 100. *Capitulationis Cæsareæ Leopoldinæ articuli summatim referuntur.* 101. *Capitulationum epilogus tria solet complecti.* 102. *Capitulationis servandæ promissio generalis*

neralis est. 103.*Capitulationis clausulæ obfirmatoriæ cur præter juramentum electi Regis adjectæ.* 104. *&* 105. *Capitulatio quo sensu prior sit vel posterior juramento.* 106. *&* 107. *Capitulationis perpetuæ forma à Collegio Electorali concepta & cum Principibus deliberata.* 108. *Ius adcapitulandi quid sit?* 109. *usque* 112. *Ius adcapitulandi anobstet perpetuæ capitulationi.* 113. *&* 114. *Capitulatio perpetua quatenus differat à personali.* 115. 116. *&* 117. *Ius adcapitulandi necessarium quandoque esse, per exempla declaratur.* 118. *Capitulatio perpetua hodienum haud perfecta est.* 119. *usque* 124 *Capitulationis perpetuæ controversia inter Electores & Principes in quo consistat?* 125. *&* 126. *Capitulationis perpetuæ prologus Electoralis non videtur Principum Statuumque juribus adversari, nec veritati.* 127. 128. *&* 129. *Capitulationis perpetuæ epilogus Principum non tollit vel minuit jus adcapitulandi Electorum.* 130. *usque* 133. *Capitulationis perpetuæ mutatio sine consensu totius Imperii haud foret permissa.* 134. 135. *&* 136. *Urbium Imperii consensus in formandâ capitulatione perpetuâ, quia comitialis materia est, requirendus.* 137. 138 *&* 139. *Capitulatio perpetua, quà talis non mutaret intrinsecè statum Imperii Romano-Germanici nec Imperatoris supremam tolleret potestatem.* 140. *usque* 144. *Capitulatio perpetua ad salutem Reip. non est absolutè necessaria, licet ad bene esse referri possit.*

ELectionis peractæ certiorationem & acceptationem sequitur conventio de conditionibus administrandi Imperii, quæ quia diversis capitulis consistit, vulgò obtinuit, capitulatio- 1
nis nomen non satis quidem latinum, sed usu tamen maximè receptum, convenire verò solent electus Imperator, vel Rex Rom. ab unâ, & Electores nomine Imperii ab alterâ parte; ut 2
adeo capitulatio hæc nihil aliud sit, quàm pactum publicum inter electum Cæsarem vel Reg. Rom. & Electores de administratione

ſtratione Imperii conventum; & hoc quidem pactum recepto more jurejurando obfirmatur, conſtatque prout in formâ concipi publicarique ſolet tribus partibus, prologo ſc. articulis conventis ipſis & epilogo, ut infrà dicetur, ubi varia conſideranda ſunt: 1. Hujus pactionis origo. 2. Natura & qualitas. 3. Perſonarum paciſcentium conditio & poteſtas. 3. Pactionis effectus. 5.
3 Specialiter Capitulationis perpetuæ deliberatio: Originem Capitulationis Imperatoriæ, alii referunt in Conradi I. tempora, cui primo Ordines Imperii certis conditionibus ſupremam poteſtatem contulerint, ita poſt *Cuſpin. Carpzov.* ſentit *de Leg. Reg. Germ. c. 1. ſect. 8. n.* 43 44. Alii ad Henr. IV. Capitulationis Principia redigunt, ut *Hortled.* apud *Goldaſt. p. 12. pol. Imp.* cui *contradicit. l. c. Carpz. n.* 48. *& fin. allег. cap.* hanc rem ſic explicat, ut primordia Capitulationis Imperatoriæ Imperio Conradi, augmentum v. ſequentibus temporibus annu-
4 merandum cenſeat. Ego ſicut arbitror, Cuſpinianum ad tam antiqua teſtem non eſſe ſatis idoneum, ita nihil cauſæ invenio, cur repugnem aſſertioni, quæ per ſe probabilis videtur, quòd nimirum proceres Imperii Conradum primum ex novâ familiâ electum, legibus quibusdam vel conditionibus adſtrinxerint, ſecun-
5 dum quas imperium deberet adminiſtrare, eamque rem veroſimile eſt etiam poſtea in morem abiiſſe; nam & in regnis electivis aliis id plerumque ſervari ſolet, ut reges ſi non ſcripta aliqua regni Lege, ſaltem voluntate Ordinum aut populi tacitâ pactione primùm, poſteà exemplis firmatâ, ſe jurejurando devinciant ad
6 commoda regni procuranda; quod ſanè etiam in Imperio ſic obtinuiſſe atteſtatur *ſpecul. Suev. c. 21.* his verbis: Als man den König küſſet/ſo ſoll er dem Reich Hulde ſchweren. Verum hoc ipſum juramentum ad pauciſſima & ad generalia tantum capita bonæ adminiſtrationis relatum fuiſſe contextus ſequens oſtendit, hoc tenore: Und ſoll man in dem Eid vier Ding nennen: Das erſte iſt/daß er das Recht ſtärcke/und Unrecht kräncke/ und daß Er des Reichs Vorſtand an ſeinem Recht/und das Reich allzeit mehren ſoll/ und nichts ärmer machen: Ex quibus

bus

bus patet, de quatuor hisce capitibus, nempe 1. De justitiæ admi-
nistratione. 2. De defensione Imperii, 3. De studio augendi Im-
perii. 4. De conservatione partium ejus, solitos fuisse Imperio
jurare veteres Reges vel Imperatores Romano-Germanicos,
atque ita horum juramentum ab officio boni Principis, quod 7
olim se observaturos Octavium Augustum & Trajanum jurasse,
ipse *Carpzov. d. l. 8. n. 2. 3. & 5.* refert, parum aut nihil differe
videtur. Vereor etiam, ut vel hac generali formâ ita in continuo 8
usu fuerit id jusjurandum, ut præcisæ necessitatis crederetur; nam
Carolus Quartus tantæ hujus rei in Aur. Bullâ probabiliter ali-
quam fecisset mentionem, si peractâ electione necessariò de-
buisset electus Rex Romanus, priusquam coronationis actus
susciperetur, devinciri lege cujuscunque capitulationis, quem-
admodum de confirmatione privilegiorum Electoralium,
ut sine mora statim post electionem fieret, sollicitè disposuit in
A. B. tit. 2. §. & quia de antiquâ. mentionem verò rei tanti 9
momenti, Capitulationis dico Cæsareæ vel Regiæ Romanæ, à
qua magnum Imperii interesse pendet, prorsus omisit, verosimi-
li argumento, eam tunc vel non obtinuisse, vel saltem
non fuisse necessariam; quicquid sit, ad usque Carolum 10
Quintum veterum Imperatorum formulæ capitulationum
non extant, probabili ratione ulteriori, quod nullæ fuerint
pacto nominatim stabilitæ vel conventæ, meminit equi-
dem Goldastus in Reichs-Satzung. *rubr.* deß erwählten
Römischen Königs und Käisers Articul *p. m.* 315. Capitu-
lationis Maximiliani I. sed nullam exhibet; nam quam *p.* 240.
& 241. proposuit, Carolina est, nempe Caroli Quinti Imperato-
ris, non Maximiliani Primi, cujus si eadem fuisset Capitulatio,
nulla causa erat, cur Electores tàm curiosè, uti teste Sleidano
de stat. Relig. l. 1. p. 26. fecerunt, per aliquot dies post electio-
nem Caroli Quinti de hoc negotio tanquàm novo deliberarent, 11
planè ipsemet Carpzovius diligens Capitulationum scrutator
in fine *comment. d. Leg. Reg. Germ.* primam refert Carolinam
istam, resque hæc etiam convenit Saxoniæ Electoris voto apud

Sleid. d. l. p. 25. qui cum Carolum Hispaniæ regem eligendum censeret, sententiam favore publico Imperii sic temperavit, ut certis conditionibus in administratione imperatoriâ adstringendum assereret, quod ipsum per majora comprobatum, &
12 effectu observatum est. Itaque ut rem in summam contraham, uti antiqua est obligatio Cæsarum jurata pro salute Imperii, sive eam cum *Carpzov. loco præcit. Limn. jur. publ. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 17. *& Herm fasc. jur. publ. c.* 9. *quæst.* 6. ad originem Imperii Romano Germanici, sive cum aliis ad Henr. Quarti tempora referre malimus, ita formam conventionis specialem & ad tot jura publica nominatim & expressè conceptam, à Caroli Quinti demum ætate originem traxisse jamque in morem publicum abiisse negandum non est; id quod etiam Dn. Rhetius rectè
13 asseruit *lib.* 1. *Instit. Iur. publ. tit.* 4. §. 38. & hæc de origine. De naturâ & qualitate Capitulationis secunda ex præmissis quæstio est, neque dubium, quin hæc conventio publica sit, sive respectu personarum puta Electorum nomine Imperii velut stipulantium ab unâ, & nomine Regis Romani electi promittentis ab alterâ parte, sive ratione objecti & capitum conven-
14 torum, unde subnatam intelligimus legis fundamentalis naturam; cum enim inter tantas potestates atque de tantis rebus & juribus Capitulatio conveniri soleat, à quibus salus Imperii quàm maximè pendet, mirandum non est, eam legibus non vulgaribus in Imperio, sed fundamentalibus, sine quibus status Reip. Romano Germanicæ consistere non posset, annumerari, usque adeo ut legati ac plenipotentiarii, quos vocant, cùm capita pacis Germanicæ Osnabrugis & Monasterii antehac conventa, insigni vinculo obfirmare vellent, eadem Capitulationi Cæsareæ inserenda invicem convenerint, uti videre est ex *Instr. Pac. Cæsareo-Suec. art.* 17. §. *pro majori* 2. *& Instr. Cæ-*
15 *sareo-Gall.* §. *pro majori.* 112. Constat præterea hanc pactionem publicam, quò strictior sit obligatio juramento obfirmari solere, sic formulam jurisjurandi, quod Carolus V. Imperator

in

in Aquisgranensi Ecclesiâ præstitit, Capitulationi ejusdem subjectam cernimus; in cæterorum Imperatorum vel Re- 16
gum Romanorum, quotquot extant, Capitulationibus, semper ad finem §. Solches alles und jedes besonder. vers. inmassen wir dann. expressam mentionem corporalis juramenti pro observantiâ punctorum Capitulationis præstiti insertam legimus. Hinc duo licet notatu digna colligere; (1) quod in 17
gravissimis negotiis Reip. clausulæ, bey Königl. oder Fürstlichen Würden / item bey dem Wort der Warheit / quæ alias pro æquivalentibus juramento haberi solent, non sufficere videantur pro assecuratione publicâ ad excludendum corporale juramentum, præsertim adstipulante consvetudine? namque & tales clausulæ insertæ sunt Capitulationibus, & Reges Romani nihilominus ante coronationem, corporale, de quo diximus, præstant juramentum. Observandum tamen (2.) 18
quamvis exactum ab Electoribus id juramentum omninò præstandum sit suffragante consuetudine tot exemplis firmatâ, tamen non esse de substantiâ Capitulationis, quasi illa per se sine tali juramento consistere non posset; nihilominus enim, Rex Romanus promittens vel paciscens obligaretur, & strictiùs quidem quàm in pacto vel stipulatione simplici, maximè propter clausulas adjectas, quæ eum quasi in vim juramenti adhuc viderentur obligare, etiam corporaliter juramento nullo præstito, neque eâ in re minor ætas excipitur recenti testi- 19
monio Capitulationis Josephi Augusti Regis Romani, quæ in §. Solches alles und jedes. vers. inmassen wir dann. non minus, quàm cæteræ Capitulationes expressam corporalis juramenti facit mentionem. Habet igitur ex deductis Capitula- 20
tio naturam pacti publici, utriusque partis paciscentis, nimirum Regis Romani electi & Electorum Principum consensu subnixi, habet etiam qualitatem intrinsecam legis fundamentalis; nam nisi de tantis rebus & juribus ita conveniretur, publicus status, præsertim hac rerum facie, vix salvus esse posset;

21 cæterum de his ipsis Capitulis infrà plura. Tertia consideratio
ex suprà relatis est personarum paciscentium, hæc sunt Rex ele-
ctus & eligentes Principes: Regem dico electum; nam omnes
Capitulationes sub Regio nomine sunt conceptæ, exceptis li-
22 teris reversalibus Ferd. I. quæ Capitulationis vicem subeunt;
is enim solus in Capitulatione Cæsareo nomine utitur: ratio
differentiæ forsan ex ordine temporis desumenda est, quòd
Ferdinandus Primus anteà Rex Romanus coronatus, non
priùs Capitulationis, tunc quoad formam rei novæ, legi-
bus obstrictus fuerit, quàm post resignationem Imperii à fratre
Carolo Quinto factam. Igitur tunc jam actu Cæsar nullis an-
te pactis obligatus literas dedit reversales, quæ vice Capitu-
lationis sunt, & titulo in his usus est Cæsareo; ad rem ipsam au-
23 tem quod attinet, ex formulis Capitulationum colligenda re-
gula est: Reges Romanos non verò jam Cæsares de Capitu-
latione pacisci, quanquam hoc non sit absolutæ necessitatis,
valeantque sine dubio pacta administrationis Imperii cum
Cæsare conventa post coronationem tùm juris ratione tum
exemplo literarum reversalium Ferd. I. ut adeo Capitulationis
ordo ante coronationem sit de consuetis, non verò de substan-
tialibus hujus negotii. Quod si ratio inscriptionis tituli, quæ Cæ-
sareæ & Regiæ Romanæ capitulationis nomen continet, red-
denda sit, haud difficulter responderi posse puto, hanc differen-
tiam ab usu desumptam respicere proximum effectum; etenim
licet omnes capitulationes regulariter quoad formam con-
cessionis sint regiæ, tamen quæ conveniuntur eo casu, quo
24 quis juxta Aur. Bullam vacante Imperio eligitur, Cæsareæ non
immeritò dici possunt propter jus administrandi Imperii ele-
ctione jam actu quæsitum & titulum Cæsareum, cum cingen-
dus, ut dici solet, habeatur pro cincto, coronatione mox acqui-
rendum; sic invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi Capitu-
latio Cæsarea est & inscribitur, licet conceptione Regium ti-
tulum habeat. **Wir Leopold von Gottes Gnaden Er-**

wählter

wöhlter Römischer König ꝛc. & ſic in aliis. Igitur, ut paucis 25
dicam, Rex Romanus electus, ſive tempore, quo vacabat Im-
perium, ſive in vitâ Imperatoris nondum coronatus, eſt pars
una paciſcens de hoc tanto negotio. Pars altera ſunt Electores,
de quorum equidem poteſtate ſcrupulum antehac motum le-
gimus, utrum ſoli legibus Capitulationum devincire electum
regem debeant; eſt tamen verior ſententia, quæ hanc faculta- 26
tem ſolis illis tribuit ſub eo temperamento, quod in prologo
& epilogo formæ Capitulationis perpetuæ eſt expreſſum, nem-
pe capitulationis pactione nihil contra leges fundamentales,
jura Statuum, aut receſſus Imperii, introduci debere vel ſubſi-
ſtere; nam & ab initio certum eſt, Electores ſolos Carolum 27
Quintum novâ publici vinculi formâ obſtrinxiſſe, & rurſus in-
dubium, leges fundamentales cæteraſq; Imperii conſtitutiones
ac jura Statuum pactionibus illis regiis non infringi, ſed ſtabiliri
& conſervari oportere, quia & is ſcopus haud dubius fuit Ele-
ctoralis Collegii in primo illo Carolinæ Capitulationis exem-
plo. Itaq; ut in principali negotiò electionis ſoli electores totum
imperium repræſentant, ſic & in formatione capitulationis tan-
quam re conſequente, dummodo earum rerum, quæ Status
concernunt legibusque fundamentalibus ſubnituntur, con-
ventio hæc publica nil quicquam minuat, tollat vel abroget.
Ætas electi nullâ publicâ lege univerſali determinata eſt, circa 28
adminiſtrationem eligentium etiam Eccleſiaſticorum, non
magis expreſſa, quanquam hos, quòd Archiepiſcopi ſint, extra
diſpenſationem majores eſſe oporteat, ſed ſecularium Electorũ
ætas minor eſſe non debet octodecim annis completis ex *A. B.*
tit. 7. cui exemplo accedit proximè Joſephina capitulatio *art.*
47. ubi & Auguſtiſſimi Joſephi regis initia adminiſtrationis 29
Imperii hac metâ circumſcribuntur, octodecim nempe anno-
rum, niſi quod hæc diverſitas ſubſit, ut principium anni decimi
octavi conſideretur, nec completio requiratur, per verba d. *cap.*
art. 47. Biß wir das 18te Jahr unſers Alters erreicht und
Dd 3 ange-

angefangen haben. Quæ meta tamen posita tantùm legitur quoad vicarios Imperii, ne his, antequam Rex Romanus decimum octavum ætatis annum attigerit, post mortem Imperato-
30 ris in administratione Imperii præjudicet, non v. respectu Imperatoris, cui per totum vitæ tempus Rex Romanus ingerendo se rebus Imperii adversari non debet, sed quò minus Imperator, si velit, Josepho Regi maximè post decimum septimum ejus ætatis annum completum, in administratione Imperii quid committat, isque etiam recipiat, obstare nihil videtur; nam
31 literæ reversales, quæ prærequiruntur *d. l. Cap. Joseph.* referuntur clarè ad casum Imperatoris jam mortui, non ad casum, quo is vivus quid committeret, vel Rex Romanus eo volente nec repugnante administraret, quò præter regulam juris communis, ut quod quis per alium facit, ipse fecisse videatur, etiam exemplum capitul. *Ferd. IV. art.* 47. pertinet. Certè Imperator noster invictissimus Leopoldus, ut conventa auctoritate majore firmaret, subscripsisse legitur capitulationi filii Josephi Regis, ceu testatur *Cap. Joseph. d.* §. Solches alles. vers. Dessen zu wahrer Urkundt / ubi tenera ætas Josephi Regis pro
32 causâ subscriptionis relata fuit. Capitulationis effectus est vinculum sive obligatio, quâ Rex electus obstringitur Imperio ad publicam administrationem secundum formam conventionis, atque ita Imperio ac singulis Statibus hinc jus quæritur, ut serventur leges fundamentales, ut jura & privilegia singulis competentia, quæ potior punctorum capitulationis pars est, confirmentur ac sarta tecta habeantur, eâque de causâ, cum
33 totius Imperii intersit & singulorum Statuum, leges capitulationum rectè conveniri, & si hoc tantum negotium Electorali Collegio competat, Principum Ordinumque cæterorum monita ad varios articulos exhiberi solent, qualia apud Sprengerum *in Iurispr. publ.* & novissimè apud Dn. Fritschium *ad capitul. Iosephinam* reperiuntur. Hæc monita etsi non imponant necessitatem collegio Electorali, ut capitulationi

tioni inferantur, tamen quo minus circa unum vel alterum articulum cæteri Status in casu dissensus protestentur, impediri non posse, experientia hactenus docuit, quæ protestatio non illud quidem efficit, ne capitulatio valeat in vim pacti quoad articulos, quibus est contradictum, sed quod contradictione tali non obstante adhuc valeat pro lege fundamentali, difficile videtur assertu propter *art.* 8. *Instr. pac.* §. *gaudeant*, ubi nomothesia generalis & suprema in Imperio alligatur consensui universorum Ordinum, quæ res etiam formulis prologi Cæsarei & Electoralis circa capitulationem perpetuam satis apparet conveniens, momentum hujus puncti ab eo pendet, utrum capitula, in quibus est dissensus, legibus aliis Imperii adversentur necne, priori specie pro lege non valere per præmissa expeditum videtur; posteriori quod ad legem generalem novam attinet, adhuc eadem ratio concludit, sed quò minus pro circumstantiis saltem in vim privilegii similia obtineant, nihil est quod solidè objici possit ex *d.* §. *gaudeant.* dum de generali legislatione disponit, non de his, quæ ad modum privilegii consensu superillustris Collegii Electoralis firmati referri possunt; & sanè extant hinc inde in Capitulationibus casus speciales, quos ad leges generales, earumque comunem observantiam minùs rectè revocaverimus: planè his dissensionibus ac difficultatibus liberaret Rempublicam provida perpetuæ Capitulationis sanctio; tunc enim monita statuum superflua forent, nisi forsan ex reservatione Augusti Collegii Electorum casus occurreret novus, cujus intuitu arctius Rex electus pro publicâ salute vel utilitate veniret obligandus. In eo assentiri non possum *Dn.* *Rhetio d. tit.* 4. §. 37. asserenti: Capitulationem Regi & Imperatori Romanorum potestatem Imperatoriam & Regiam tribuere, cum constet, hanc potestatem saltem quoad exercitium Capitulatione restringi, electione autem juxta legem Ludovicianam suprà relatam & juxta ipsam Aur. Bullam argumento confirmationis privilegiorum Electoralium, imo juxta ipsas Capitula-

34 35 36 37 38 39

40 Capitulationum formulas in prologis conferri, nec argumentari licebit à Capitulationis ordine, quod sc. administrationem publicam Imperii præcedat, ad collationem potestatis; nam lege Bullæ Carolinæ necessariò etiam confirmatio privilegiorum Electoralium præcedere debet Imperatoriam administrationem, & tamen per illam non est electo Regi vel Cæsari,
41 sed per electionem attributa protestas; quod si amplissimi viri sententiam *d. l.* eam esse accipiamus; non proprie potestatem Regiam vel Cæsaream Capitulatione tribui, sed potestatis competentis testimonium, nihil est, in quo contradicamus, nisi saltem in his, quæ juxta præmissa majestatem tituli Cæsarei, quo in Capitulationibus uti regulariter insuetum est, concer-
42 nunt. Cæterum obligatio ex capitulatione tùm firma est, ut nec de plenitudine potestatis tollenda sit, quoniam Rex vel Princeps paciscens jure gentium obstrictus censetur ad observantiam pactorum præsertim juramento obfirmatorum, ejus generis verò pacta & promissiones non posse tolli vel de plenitudine potestatis, rectè censuerunt *Abb. in c. per tuas. col.* 11. *de arb. Curt. Sen. cons.* 43. *in fin. Crav. cons.* 241. *n.* 13. *Reink. de Regim. sec. & Eccles. lib.* 1. *class.* 3. *c.* 12. *n.* 17. *&* 18.
43 Hoc amplius contra Capitulationem nulla valet absolutio, nulla dispensatio per verba consuetæ appendicis *d.* §. Solches alles und jedes. ibi: **Uns auch dawider einigen Behülff oder Außnahm.** dispensationes, absolutiones, &c. **nicht zu statten kommen sollen** / idcirco pontifex non posset absolvere Imperatorem vel Regem à vinculo Capitulationis & si de facto tale quid contingeret, attendendum non
44 esset; tales sanè clausulæ ad præcautionem in negotio tanti momenti addi solent, non quod tantum nefas commissum iri credatur, & prælucet exemplum Honorii Tertii Pontificis, qui Hungariæ Regem potiùs absolvit à juramento contrario, ut servaret pacta regni, quòd improbum esse rectè censeret his, quæ fide Regiâ promissa essent, propter jusjurandum subse-

cutum

cutum contravenire, *c. intellecto. x. de jure jur.* Nec magis contra Capitulationem ætatis beneficium allegari potest, quia quod ad puberem ætatem attinet, propter eam juramentum excluditur, *auth. Sacramentum puberum. C. si adv. vend.* quod v. ad impuberem etsi jure civili hujus ætatis juramentum non valeat, *d. auth. sacramenta puberum.* diversum tamen est in 46
publicis actibus Regum Principumque; hi enim prædeliberari solent à Consiliariis, ut non possit esse justa allegatio lapsus ætatis, & propterea juramentum ab impubere Rege vel Principe præstitum, dummodo usus rationis per ætatem non plane fuerit incapax, obligat, juxta *Covarruv. ad c. quamvis. de pact. in 6. p. 3. §. 1. n. 5.* Quod maximè in Capitulationis ma- 47
teriâ asserendum est, propter clausulas renunciativas beneficiorum juris, d. §. Solches alles und jedes. in verb. Geist- und weltliche Rechte 2c. nicht zu statten kommen sollen. quæ clausula, quia juramento totius Capitulationis subnititur, merito regem renunciantem & jurantem jure Canonico, vel saltem jure gentium validè obligabit, ne aliàs tam momentosi actus ad publicum detrimentum infirmentur. Ardua 48
porrò hujus argumenti, quo de effectu Capitulationis loquimur, quæstio est: num valeat tantum in vita Imperatoris vel Regis, qui de eâ cum Electoribus convenit, an v. etiam posteà? Et cum pacta hæc propriè tantum ad regimen paciscentis ac jurantis Regis pertineant, nihil video, cur dicendum sit illis successores obligari; aliàs concedendum esset, capitulationes 49
singulas, quotquot extant, esse perpetuas, atque sic jam haberemus Capitulationem perpetuam, neque unam, sed multas, quibus etsi subinde in novis Capitulationibus subsequentibus diversa addi soleant, tamen hæc non mutarent qualitatem Legis perpetuæ, si modò obligationis vinculum ex conventis punctis ad successores Imperii referendum esset; etenim & in formandâ Capitulatione perpetuâ facultatem novorum Capitulo- 50
rum, si ita Reip. profuturum videatur, ipsimet Electores sibi

reservant, argumento satis efficaci, naturæ perpetuæ Capitulationis novorum quorundam in futurum adjectionem, si ita
51 Reip. expedire appareat, minimè adversari. Ergo capitulationes prædecessorum Imperii successores haud aliter obligant, nisi quatenus capita conventa, in formulis novarum conventionum
52 fuerint repetita. Et per inversum pacta cum designato successore Imperii inita non obligant antecessorem adhuc in vivis agentem, & propterea Regia Romana Capitulatio non adstringit Imperatorem, nisi forsan quoad ratihabitionem, ne, quantum in ipso est, patiatur Regem à Capitulis conventis resilire, directè autem, quòd principaliter ipse pactus non sit, nec præmiserit nec juraverit eadem capita, quæ ad Regem, non ad Imperatorem referuntur, se impleturum, haud tenetur, quanquam in multis capitulationes conveniant, quâ specie materialiter quidem ad eadem, verum non ex regiâ, sed suâ capitulatione obli-
53 gatus intelligitur Imperator. De eo ambigendum minimè, quin capitulatio una ex aliâ recipiat declarationem; nam & ita in legibus obtinet, ut una ad aliam declarandam referatur, *l. non est novum.* 26. *cum l. sequ. ff. de ll.* imò etiam pars una legis ad aliam, *l. regula.* 9. §. 5. *ff. de jur. & fact. ignor.* Atque uti in dubio evitanda correctio legum est, *l. sancimus.* 27. *C. de test. l. præcipimus.* 32. § *fin. C. de appell. l. si quando. pr. C. de inoff. test.* & uti in apertè contrariis lex posterior valet, *l. f. inf. de*
54 *const. princ.* Sic etiam in capitulationibus, quæ nostræ sunt leges regiæ, se res habet; igitur ut quæque recentior capitulatio est, sic alteri prævalet; veruntamen hoc sano sensu accipiendum est, nempe de capitulationibus Regum Romanorum, qui ad regimen Imperii actu pervenerunt, alioquin recentior potest esse capitulatio, quamvis non ex eâ, sed priori aliquâ Cæsareâ respublica administretur, uti hodiè contingit exemplo Cæsareæ capitulationis Leopoldinæ, quæ administrationi Imperii pro
55 regula est, licet Josephina regia sit posterior. Insignis insuper quæstio est de capitulatione, utrum Majestatem Cæsaream

ream vel regiam reverà tollat? Loquor nempe in sensu po-
litico, num potestas suprema Reip. Romano-Germanicæ per
capitulationem Regi vel Cæsari Romano adimatur? Qui
hanc quæstionem cum Bodino & Hippol. à Lapide affirmant,
obloquuntur origini & scopo capitulationis; neque enim vel
in electione Caroli Quinti, cujus primam in formâ, quæ hodiè
servatur, cum aliis asserui capitulationem, vel ante ea tempora,
Electores Regibus vel Cæsaribus electis, aliam, quàm supre-
mam politicam potestatem attributam voluêre, eo maximè 56
argumento, quòd cujus potestatis exercitium quibuscunque
pactis restringerent, eam utique in substantiâ verè collatam
agnoverint, ne restrictio ridicula vel supervacanea foret; ri-
dicula, si quam electione contulissent potestatem, eandem
mox subsecutâ capitulatione prorsus planè sustulissent; su-
pervacanea verò, si eligendo ne dedissent quidem; ast ve-
rò alterutrius assertionem religioni meritò nobis ducere de- 57
bemus, cum tot tantique Principes prudentissimorum Con-
siliariorum subsidio firmati, totius Imperii nomine hæc tanta
negotia peragant. Ergo verissimum est capitulationum legi-
bus nec verè & propriè tribui supremam potestatem politi-
cam Regibus vel Imperatoribus nostris, neque etiam colla-
tam adimi, benè tamen probari & in exercitio restringi, ut
suprà jam distinxi, salvo semper discrimine electionis, num
vivo Imperatore regnante, an Imperio vacante suscepta & per- 58
acta sit, cum priori casu summa illa potestas quoad exerci-
tium, ad eventum mortis Imperatoris referatur, etsi quando-
que volente Imperatore aut impedito Rex Romanus, ut multis
exemplis fecit Ferdinandus primus, Imperii negotia admini-
stret; posteriore verò statim competat jus ex electione, & à tem-
pore coronationis, ut post dicetur, auspicatò administrandi fa-
cultas. Atque sic gravioris notæ scriptores juris publici hodiè sen-
tiunt, quos inter sunt *Carpz. de leg. Reg. Germ. c.* 11. *sect.* 4.
n. 5. *&* 6. *ac sect.* 5. *n.* 18. *Limn. lib.* 1. *de Iur. publ. c.* 12. *n.* 73.

Grot. lib. 1. de Iur. bell. & pac. cap. 3. num. 16. Herm. in fasc. jur. publ. Cap. 9. quæst. 6. Dn. Rhet. loc supr.
59 *cit.* Nunc singulas partes capitulationum sigillatim considerat uri sumus, constant verò, quâ quidem formâ publicatæ sunt, omnes prologo, articulis conventis ipsis & epilogo; prologus complectitur mentionem Regiæ Romanæ potestatis electione collatæ & susceptæ, sed sub punctis conventis ordine subsequentibus. Ergò tunc jam præsupponuntur duo, nempe electionem ritè peractã, & electi consensu firmatam esse, verbis capitulationum in prologo consvetis: Als wir durch ordentliche Wahl zu Ehr und Würde des Römischen Königlichen Namens und Gewalt erhoben/ ꝛc. Deren wir uns auch Gott zu Lob/ dem heiligen Römischen Reich zu Ehren. ꝛc.
60 beladen. quibus subnecti solet confessio publici pacti: Daß wir uns demnach auß freyem Willen mit denselben (des Reichs Chur-Fürsten oder deren Legaten) vor sich und sämptliche Fürsten und Stände des heiligen Römischen
61 Reichs Gedings- und Pactsweiß ꝛc. verglichen. Ex quibus colligere licet diversa notatu digna: (1.) Regem Romanum peractâ & susceptâ electione consentire liberè articulis suæ capitulationis, neque his obstringi per modum legis, nempe ab initio & ante capitulatorum conventionem, quo sensu rectè *Dn. Multz. in repræsent. Majest. Imper. p. 1. cap. 12.* §. 7. negat Imperatorem ad puncta suæ capitulationis obligari in vim legis sc. in ipsis capitulationis tractatibus, quando ait *ibid. n.* 38. *articulos istos non per dictatoriũ præceptũ aut legem Electo præscribi ut velit nolit eos recipere cogatur eorumque obser-*
62 *vantiam juratò promittere*; id quod utique etiam suadent verba capitulationum consveta modò relata: Auß freyem Willen/ gedings- und pacts-weiß verglichen quæ verba Rex Romanus in capitulationis suæ præloquio cum publico Imperii consensu
63 præmittere solet. Apparet (2.) potestatem regiam supremam reverà collatam esse ante capitulationem, licet Dn. Multzius *l. c.* censeat capitulationis puncta *electo per modum conditionis,*

sine

fine quâ non, proponi, ut si velis ad majestatem adspirare, ante omnia promittere debeat ; se capitulationi satisfacturum. Sed præterquam quòd hæc non videantur benè convenire verbis ipsius Multzii, paulò ante relatis, ipsa series verborum prologi contrarium demonstrat, quibus fit mentio electionis peractæ ac susceptæ, posteà verò subsecutæ liberæ conventionis circa articulos administrationis Imperii ; quare in hoc cautius videtur distingui potestas vel majestas ab administratione Regiâ vel Cæ- 64
sareâ ; illa enim Capitulationem præcedit per argumentum ex verbis consueti prologi desumptum, hæc subsequitur, atque sic malim juxta capitulationes inde à Caroli Quinti temporibus extantes asserere, potestatem Regiam Romanam electione & susceptione ante Capitulationem esse stabilitam ; administrationem verò more majorum non ritè vel auspicatò ante Capitulationis conventionem, imò etiam ante coronationem suscipi. Colligere licet (3.), etsi electus vi formulæ conventio- 65
nis paciscatur liberè, sc. per se & absolutè loquendo, pactionem tamen esse necessaraim secundum quid, nempe quoad Imperii administrationem ; atque adeo, quamvis nullâ lege scriptâ electus compellatur ad consensum articulorum capitulationis, tamen ex consuetudine multis exemplis jam firmatâ, de modo & conditionibus regiminis idem cum Electoribus convenire debet, priusquam actu administret ; quod si ad ex- 66
tremum inter se dissentirent electus & Electores, horum esset maximè, ubi electus capitulis consuetis, quæ ad remp. conservandam, Principumque & Statuum Jura ac privilegia tuenda pertinerent, consentire nollet, Imperio, ne sine capite foret, aliter prospicere, atque sic jus supremæ potestatis ex dissensu extremo Capitulationis magis resolutum, quàm hujus negotii consensu, (quippe cum id electione contigerit) datum intelligeretur. Et sanè multis capitulationum exemplis jam obfirmatum est, ut nec fastigio Cæsareo indigna inseri capitulationi- 67
bus petantur, nec digna quæque ad remp. & Statuum jura

conſervanda pertinent, recuſentur, ſicque omnia inter electum Regem & tantos Electores bonâ gratiâ per pactiones ſtabiliantur. Illud ſpeciale eſt in Auguſtiſſimi Regis Joſephi capitulatione *art.* 47. ut ſi contingat, eum invictiſſimo Imperatori patri, cujus vitam divinum Numen bono publico in longos annos ſoſpitet, ſupervivere, ad literas reverſales, ante adminiſtrationem Imperii ſit obſtrictus, quod ita minoris ætatis intuitu eſt conventum. Colligendum ac notandum eſt [4], liberam capitulationis conventionem intelligi, dum, ut ſic loquar, eſt in fieri, ſive in tractatibus ipſis, ſecus poſt conſenſum utrinque perfectum, atque ſic quod in privatis cauſis inter privatos obtinet, nimirum contractus, qui ab initio ſunt voluntatis, ex pòſt-facto eſſe neceſſitatis, hic quoque locum invenit in publicâ electi Regis Romani cum Electoribus conventione regimen & adminiſtrationem Imperii reſpiciente, neque puto, quòd tantum per modum pacti promittentem hæc obliget, ſed etiam per modum legis, licèt poſterius hoc neget *Dn. Mulz. d. §. 7. n. 37. & ſequ.* eo præcipuo argumento, quòd nulla vi imperativâ electus teneatur ad obſervantiam articulorum capitulationis, ſicque *obligatio non oriatur propter poteſtatem ſuperioris in inferiorem, ſed ex placitorum fide.* Deinde quòd capitulatio ab Imperatore ſit ſubſcripta, cum leges ſubſcribi ab ipſis, quibus ponuntur, moris non ſit, item quòd in capitulationibus legantur verba Geding- und Pacts-weiß dieſer nachfolgenden Articulen vereiniget ꝛc. rurſus, quòd ſi capitulatio haberet vim legis, non à ſolis electoribus conciperetur, ſed ab univerſis Principibus & ordinibus Imperii. Denique quòd *in Inſtr. Pac. art. 8. §. gaudeant. verſ. habeantur.* formatio perpetuæ Capitulationis ad comitia relata fuerit, cùm jam antè vel ex verbis præcedentibus ejusdem articuli conſtaret, non niſi in Comitiis univerſalibus de lege condendâ agi poſſe. Sed hæ rationes tanti ponderis non videntur, ut capitulationem Cæſaream vel Regiam Romanam ex numero verarum legum excludant: nam (1) confeſſione publicâ conſtat,

68

69

70

71

ſtat, capitulationem referri inter leges fundamentales Imperii noſtri, idque etiam ſuprà jam deduxi, ſed leges fundamentales κατ' ἐξοχὴν inter leges veras referri dubio caret. (2.) Ele- 72
ctores in negotio capitulationis repræſentare totum Imperium, conſtat ex formulis prologi ad finem, ibi: Vor ſich und ſämptliche Fürſten und Stände des heiligen Römiſchen Reichs vereiniget und verglichen: Cum igitur totius Imperii, h. e. corporis Principum & Statuum ſuprema ſit poteſtas & facultas ſtatuendi, quibus conditionibus regimen publicum vacans de novo conferatur, ejusque voluntatis declaratio collegii Electoralis ſententiâ fieri ſoleat, nihil cauſæ eſt, cur non electum conſentientem & promittentem dicamus obſtringi vinculo duplici legis & pacti; legis, quòd totum Imperium 73
Collegio Electorali more recepto repræſentatum dare utique potuerit leges, ſub quibus electus ſupremam poteſtatem exerceat; pacti vero propter conſenſum, eumque non ſimplicem, ſed juramento firmatum; quòd ſi electio vivo & regnante Imperatore contigerit, manifeſtè patet, voluntate Imperatoris & Ordinum conſentientium, quæ res ipſius Imperatoris Collegiique Electoralis nomine Ordinum paciſcentis ſubſcriptione apparet, Regem Romanum electum verè ob- 74
ligatum eſſe jure legis, ſed & ob conſenſum & promiſſionem ſuam jure pacti. Atque ita ſe res habet (3.) in omnibus re- 75
gnis electivis, ut Proceres & Ordines ſtatuere poſſint, quibus conditionibus electus regimen publicum exerceat, quos ſi exprimant in actu electionis, vel inter auſpicia regni, ne dubitandum quidem eſt, quin habeant vim legis, quia & à poteſtate publicâ proveniunt, & voluntatis ſufficiens ſit expreſſio; cur ergo alius in capitulatione Imperii noſtri nomine conventâ dicendum ſit, non apparet. Huc pertinet 76
(4.) exemplum veteris legis regiæ, quæ pro vera lege habita rectè eſt §. 6. *Inſtit. de jur. nat. & gent. l. 1. pr. ff. de conſt. princ.* & tamen per eandem ſuprema poteſtas in priſcâ Republ. Romanâ Principi collata *dd. text.* Confirmatur (5.) eadem ſenten-

sententia ab inconvenienti contrariæ opinionis; nam si vi pacti tantùm vel contractus obligatur Rex Romanus ex suâ capitulatione, sequitur, quòd possit contrario pacto Capitulationis conventio facilè remitti, cum nihil tam naturale sit, quàm unumquodque iterum dissolvi, sicut colligatum est. *l. nihil. 55. ff. de reg. jur. l. Stichum 95. §. 4. ff. de sol.* Ergò Imperium de Capitulationis legibus si tantum valerent in vim pacti, certum esse non posset, quin contrario pacto aliquando iterum tollerentur, quod cum Capitulationum formulis adversetur in epilogo, ibi: **Uns auch darwider einiger Behelff oder Außnahme ꝛc. nicht zu statten kommen sollen** / apparet vinculum meri pacti non sufficere pro salute Reip. Et cum (6.) in Statu Reip.
77 Romanæ veteris absolutè monarchico Principes non dedignati sint legibus se alligatos profiteri ac submittere legibus Principatum, id est, jure legis obstringi voluisse etiam ut Principes. *l. digna vox. 4. C. de ll.* quid mirabimur, si in statu Reip. modernæ mixto per Capitulationes obligentur Cæsares vel Reges Romani ex pacto ob consensum, & simul in vim legis? Idque satis evidenter (7.) probatur ex insinuatione capitulationis, quæ per art. fin. ut infrà sequitur, fieri debet Imperii judiciis supremis, sc. ut pro normâ legis observetur. Imò (8.) pars juramenti est Consiliariorum Imperialium Aulicorum capitulationis inter alias Imperii leges observantia, eaque etiam cum aliis legibus publicis semper adesse jubetur Consilio Imperiali. **Reichs-Hofr. Ordn.** tit. 7. in form. jur. **Der Reichs-Hofraths-Räth.** & §. **So sollen auch unsere Käiserl** quæ certè non fierent, nisi Capitulatio haberet vim veræ legis. Ad
78 rationes contrarias difficile non est respondere; ad 1. enim dici potest: facultatem nomotheticam residere penes Ordines Imperio vacante, eosque repræsentari per Electores in negotio capitulationis, adeoque conditiones ab Electoribus propositas, in quas ipse electus consenserit, pro argumento esse & vinculi legalis & pactitii. Ad [2.] nihil impor-

importat subscriptio, quâ confirmatur vinculum pacti, obligatio autem legalis adeò hinc non excluditur, ut potius firmetur, quia Imperatoris Electorum, & Statuum Imperii subscriptiones 79
leguntur in recessibus Imperii, quibus tamen jure conventionis & legis obstricti manent; nec deest, quod ad 3. rationem contrariam regeratur; verba enim pactionis non excludunt vinculum legis. Ad [4.] respondetur, Electores non suo tantum, sed totius Imperii nomine electum Regem Romanum Capitulatione devincire. Quintæ & ultimæ rationi in contrarium allegatæ satisfit per negationem consequentiæ; neque enim apparet, quid momenti habeat facta perpetuæ capitulationis formandæ ad comitia remissio, ad excludendum vinculum legis in capitulationibus non perpetuis; atque adeò pon- 80
deratis omnibus, communis assertio stabilita manet, quòd nimirum capitulatio pro verâ lege, eaque fundamentali, habenda sit; illud sanè haud negandum, diversam conditionem esse Legis nostræ Regiæ, Capitulationis nimirum à legibus vulgaribus, quæ subjectis civibus vel rusticis pro formâ & vitæ regulâ feruntur, quia non privati homines, sed supremus Reipubl. nostræ Princeps capitulatione obstringitur; in modum tamen veræ legis, quia obstringentium hæc potestas sit voluntas eum nomine Imperii obligandi, quæ res sufficit ad veram legem, ut quondam in lege Regiâ veteri populi Romani potestas & voluntas.

Secunda Pars capitulationis Principalis complectitur 81
materiam objectivam sive articulos conventionis ipsos, horum explicatior deductio vix præsenti argumento, quo eorum declaratione, quæ Cæsarem sive in electione sive in promissione administrationis Imperii, maximè concernunt, occupatur animus, satis convenit. Delibabimus igitur suprema capita ex Capitulatione Cæsareâ moderna, singulorum considerationem exquisitiorem locis suis reservantes; ac primi articuli dispositio ponti-

ficem respicit ; solet nempe de protectione Ecclesiæ sive sedis
82 Romanæ, quæ hoc nomine intelligitur, conveniri; retuli suprà Caroli magni & Ottonis Primi Imperatorum exempla, quorum ille Desiderium regem Longobardorum, hic Berengarium Ducem, qui regium titulum usurpaverat, in gratiam sedis Romanæ devicit, à quâ veteri origine titulum advocati Ecclesiæ, de quo in Capitulis art. 1. disponitur, provenisse satis probabile est, Evangelicæ autem religionis Electores, Regem Romanum vel Imperatorem nolunt sedis Romanæ protectioni devinctum, ceu
83 demonstrat inserta huic art. 1. eorundem protestatio. Secundi articuli materia est legum fundamentalium, quæ referuntur, Aurea Bulla, pacis Religiosæ & Profanæ sanctio, Instrumentum pacis Germanicæ, studiosa protectio ac manutentio, tùm
84 cæterarum Imperii constitutionum observantia. Tertius articulus Statuum jura ac privilegia complectitur, quorum ibi repromittitur confirmatio atque defensio. Quartus Investituram Montis ferrati, & vicariatum Imperii Duci Sabaudiæ per Italiam competentem obfirmat. Quintus Electorum & Legatorum Electoralium in Aulâ Cæsareâ prærogativam
85 determinat. Sextus Electorum & Statuum Imperii collegiales ac circulares conventus approbat. Septimus fœdera privatorum & seditiones subditorum contra magistratus prohibet. Octavus protectoria exterorum Regum vel Principum in Status Imperii vel provinciales interdicit, abusus Bullæ Brabantinæ coërcet, decem Alsatiæ civitatibus Imperialibus libertatem attribuit, ac Statibus quibusdam Imperii gravatis contra vim militarem externam, auxilium pollicetur.
86 Nonus Statuum mediatorum fœdera vetat ejusdemque ferè argumenti est cum septimo. Decimus Imperatoris fœdera sine Electorum ac Statuum consensu Imperii nomine haud ineunda statuit; ubi tamen notabilis exceptio de casu publicæ salutis & utilitatis, quasi tunc Electoralis consensus sufficiat [quâ tamen de re monita Principum Statuumque exhibita] subjuncta

juncta est. Undecimus agit de puncto restituendorum juxta 87
Instr. Pac. recessum execut. Noribergensem, arctiorem modum exequendi, ad effectum perducendo. Duodecimus de bonis Imperii alienatis vel in alios translatis recuperandis. Decimus tertius de bello publico contra exteros sine consensu Imperii vel collegii Electoralis [quæ alternativa tamen eadem habet monita cum art. 10.] haud suscipiendo, item de
fortalitiis quoad territoria Statuum. Decimus Quartus spe- 88
cialiter de bello Italico & Burgundico disponit, in quo Imperator se arma belligerantium nulli juncturum repromittit. Articulus decimus quintus viam facti excludit in causis inter Imperatorem & Status controversis, jurique ac legibus Imperii vult esse locum. Decimus sextus expeditiones & hospi-
tationes militares per territoria Statuum inhibet. Decimus 89
septimus de pensitationibus feudorum sive taxis, quas vocant, consuetudinariis non iterandis prospicit. Decimus octavus, primæ instantiæ, de non appellando, non evocando ac similia forum ac justitiam concernentia privilegia confirmat, sublatis abusibus casuum reservatorum contra privilegia, vulgò der Ehhaffts-Fäll / ac prohibitis insuper temerariis mandatis in causis subditorum contra magistratus, collectas vel id genus
jura concernentibus. Decimus nonus curiæ Romanæ abusus 90
perstringit concordatis Principum adversos & appellationes
in causis civilibus ad nuncios pontificum improbat. Vigesi- 91
mus monopolia vetat ac irritat. Vigesimus primus cum quatuor sequentibus, vectigalia sine collegii Electoralis unanimi consensu nec concedenda nec extendenda, contrà verò quæcunque de facto sub nomine accisiarum vel quo alio imposita onera tollenda statuit, ubi tamen articulo 22. circa finem civitatibus Imperialibus jus legitimarum accisiarum reserva-
tur. Articulus vigesimus sextus liberum justitiæ exercitium 92
in Camerâ adstruit. Vigesimus septimus bona perduellium sive crimen læsæ Majestatis committentium Statibus ac Domi-

nis territoriorum jus fisci habentium præ fisco Cæsareo adjudicat. Vigesimus octavus Status Imperii inauditâ causâ & sine consensu Electorali in bannum non declarandos sancit, ubi tamen casus notorii criminis excipitur saltem quoad processum, non verò quoad communicationem & consensum Electoralem. Vigesimus nonus collectis Imperii, præsertim civitatum, ordinariis præcavet, ne porrò in alios transferantur.
93 Trigesimus & duo sequentes articuli proximi de feudis Imperii disponunt, ut debitè conserventur ac renoventur, & si aperta fuerint, sine consensu Electorali non iterum novo feudali
94 nexu concedantur. Trigesimus tertius & trigesimus quartus de re monetariâ satagunt, tollendisque ejus abusibus nec monetarum privilegiis nisi cum consensu Electorum conferen-
95 dis. Trigesimus quintus de conservando regali jure cursus publici, vulgò postarum, statuit. Trigesimus sextus successionem Imperii Romano-Germanici excludit, & regni electivi qualitatem obfirmat. Trigesimus septimus actum coronationis regiæ ac Cæsareæ, & Electorum in eo officia stabilit. Trigesimus octavus legibus fundamentalibus, & constitutionibus Imperii, ne contra eas mandata vel commissiones decernantur præcavet. Trigesimus nonus maturationem expeditionum promittit Electorum & Statuum legatis in Aulâ Cæsareâ, nec non requisitionem sententiæ Electorum vel Statuum in cau-
96 sis arduis. Quadragesimus de Consilio Imperatoris secretiori, Aulico & Militari, ut plurimum ex indigenis Germanis constituendo, de ordine & præcedentiâ, quam vocant, Consiliariorum, de jure Electoris Moguntini in Cancellariis Imperii, item de conditionibus ad personam Præsidis vel Vicepræsidis re-
97 quisitis cavet. Quadragesimus primus de Ordinatione Imperiali Aulicâ, de personis ac salariis Præsidis & Assessorum Legem proponit. Quadragesimus secundus secretius sive Status consilium Imperatoris & Aulicum, quod justitiæ est, ratione functionum discernit, & remedium etiam revisionis vel sup-

ſupplicationis contra ſententiam Aulicam firmat ac declarat. Quadrageſimus tertius conceptionem libellorum vel ſcriptorum judicialium ad alterutram linguam 98
Latinam vel Germanicam reſtringit. Quadrageſimus quartus de diplomatibus illuſtrium dignitatum, nobilitatum, Palatinatuum non niſi in Cancellariâ Imperii expediendis & nemine niſi ſub conditionibus legitimis in ordinem Principum vel Procerum Imperii recipiendo diſponit, inſuper & jus territoriale & inſignia antiquarum familiarum illuſtrium contra novas dignitates præſervat. Quadrageſimus quintus de 99
taxis ſive ſportulis in Cancellariâ Imperii, pro diplomatum, privilegiorum aliarumvè conceſſionum expeditione perſolvendis, item de officio Taxatorio, Taxampt/ diſponit. Quadrageſimus ſextus officia hereditaria & Aulica eorumque ſubofficiales diſtinguit, ut hereditarii ſubofficiales in actibus Imperii publicis velut Comitiis, Cæſareis coronationibus, &c. Aulici in aliis adhibeantur, atque præferantur. Quadrageſimus de- 100
nique ſeptimus & ultimus (hunc enim numerum articulorum nulla adhuc Capitulatio exceſſit) Conſiliariis Senatus Aulici & Aſſeſſoribus Cameræ Capitulationem Cæſaream præcipit inſinuari ad notitiam, eum ſcilicet in finem, ut pro normâ obſervetur. Atque hic tenor ſummarius eſt Capitulationis Leopoldinæ, cui & Joſephina recentior, & præcedentes plures, paucis exceptis ſunt conformes, verùm quia de tam arduis ſingulis materiis, quarum multæ jura Statuum territorialia vel privilegiaria, aliæ comitialia, reſpiciunt hoc titulo exquiſitè 101
differere, ſalva lege methodi, non licet, remitto explicatiorem conſiderationem ad ſua loca, & jam accedo ad capitulationum epilogum, qui habetur in conſuetâ appendice: Solches alles und jedes/ wie obſtehet ꝛc. & continet tria: 1. repromiſſionem ſub clauſulis regiæ fidei & veritatis, ſervandi articulos conventos; 2. mentionem juramenti hoc intuitu jam reapſe præſtiti; 3. renunciationem remediorum juris, quæ quacunque ſpecie vel prætextu contra conventionem articulorum alle-

102 gari possent. Ex primo membro apparet, repromissionem observantiæ capitulationis, generalem esse ad omnes casus, sive per se sive per alios quid contrà fieret, aut fieri procuraretur, excludendos conceptam per verba: Solches alles und jedes/ wie obstehet rc. steth/vest und ohnverbrochen zuhalten/ deme treulich nachzukommen/ darwider nicht zu seyn/ zu thun noch zu schaffen gethan werde/ in einige Weiß oder
103 Weg/ wie die möchten erdacht werden. Apparet ulterius verba regiæ dignitatis & fidei, capitulationi juratæ addi; neque id superfluè prorsus factum existimari debet, quamvis corporale juramentum de servandâ capitulatione â Rege Romano sit præstitum; sapienter enim Electores in rebus tanti momenti devinciendum Regem electum censent vario vinculorum genere, quò magis capita conventa serventur. Ex secundo colligere licet juramenti hujus ordinem ad capitulationem;
104 nam certo respectu prius est & posterius: prius nimirum capitulationis articuli conveniuntur, cum his ipsis juramentum promissorium Regis electi posteà accedat; at post juramentum jam corporaliter, ut loqui solent, præstitum Capitulatio ad formam authenticam redigitur & subscribitur, quoniam scilicet
105 in ipsâ appendice finali jam fit mentio juramenti præstiti, ergò ratione conventionis juramentum hoc regium est posterius, ratione perfectionis verò & subscriptionis prius. Clausulam beneficiorum juris renunciativa, quæ & ipsa in fine capitulationis invenitur, jam suprà expendimus. Atque hæc habui, quæ de Capitulatione personali, qualis hactenus obtinuit, pau-
106 cis proponerem. De perpetuâ v. & constante capitulatione formandâ, quæ res ultimam partem hujus tituli complectitur, non unâ vice antehac mentio injecta, præcipuè verò in *Pacific. Germ. art.* 8. §. *habeantur* provisio extat remissoria ad deliberationes Comitiales, atque in his ferè jam perpetuis Comitiis de capitulatione perpetuâ non deliberatum tantùm est, sed forma in Collegio Electorali jam conventa, eam ante multos annos

annos in comitiis hisce agitatam exhibet *Dn. Mulz. in repraes. maj. Imp. d. c. 12. §. 12. post n. 78.* Principes nec minus de 107
tam arduo negotio consultaverunt, sed cum Electoribus non prorsus hactenus convenerunt. Monita eorundem, ad perpetuam Capitulationem refert pariter d. l. Dn. Mulz fuitque discrepantia maxima in prologo & epilogo capitulationis perpetuæ; cardo rei vertitur in jure novorum capitulorum, quo- 108
rum adjiciendorum facultatem, si ita Reip. expedire visum sit, statusque publicus deposcat, Electores sibi reservare voluerunt, etiam post capitulationem perpetuam; contra Principes hæc talia non solius collegii Electoralis arbitrio submittere; jus hoc recentiores quidam vocare solent adcapitulandi; sanè si superioris seculi capitulationes Imperatorias cum novissimis conferamus, apparet, varia prioribus adjecta fuisse, multumque jam ex adcapitulatione publicis hisce conventionibus accessisse incrementum; quo fine igitur perpetua capitulationis forma introducenda sit? Certè enim si solis Electoribus 109
est adcapitulandi facultas, nulla distinctio videretur relinqui capitulationis perpetuæ à personali, in quâ eadem pro statu Reipublicæ novarum cum electo Rege conventionum, penes Electores est potestas; ergò superfluam diceres perpetuam capitulationem, imò nomine magis quàm re perpetuam, si posteà etiam locus sit novis adcapitulationum legibus; ni- 110
hilominus tamen negandum minimè est, è re publicâ videri, capitulatione perpetuâ communi consensu etiam perfectâ clausulam adcapitulandi reservari, ad commodum Imperii; vix enim omnes casus ita comprehendi possunt, ut non ex subseqente eventu quicquam sit addendum, tùm quòd natura semper novas deproperet edere formas, ut ait feudista. 2. *F.* 24. tùm quod inprimis conditio Imperii, vices, quibus & aliæ res mortalium sunt obnoxiæ, suscipiat; expedit igitur 111
novas conventiones regias ad salutem publicam pertinentes non ita præcludi perpetuâ lege, sed Electoribus, qui hactenus novorum

novorum capitulorum regiæ administrationis, Imperii nomine auctores fuerunt, non minus quàm anteà reservari, ita tamen, ut in effectu adcapitulandi, non contracapitulandi, si ita
112 loqui liceat, facultas sit; nam & hoc personalium capitulationum statu haud dubium est, conveniri nihil debere, quod Principum cæterorumque Ordinum Imperii juribus ac privilegiis sit adversum, quia & repugnaret primævus ac Principalis capitulationum scopus, qui collimabat ad jura Imperii Procerum atque Ordinum conservanda, is verò obtineri minimè potest, si contrapaciscendi, vel ex pactis cum rege electo conventis, juribus Principum Statuumque derogandi jus atque potestas Electoribus adscribatur, quemadmodum igitur perfectâ capitulatione perpetuâ adcapitulandi ratio salvâ Republicâ excludi penitus non posset, nec Electoribus post varia Caroli Quinti Imperatoris tempore regiis conventionibus adjecta capitula nova, justè videretur adimi, ita novæ adcapitulationes minimè debent adversari Principum aliorumque Ordi-
113 num Imperii juribus. Ex quibus sequitur, capitulationem perpetuam non in hoc differre à personali, quòd illi nihil prorsus quocunque casu possit novâ conventione adjici, sed, quòd saltem regulariter capitulis jam conventis sit acquiescendum, ut electo rege non sit opus capitulationis formam denuo concipere, sed jam conceptâ universique Imperii consensu in perpetuum
114 stabilitâ liceat uti; nam hactenus is fuit capitulationum status, ut cum personales essent, morte cujusque Imperatoris vel Regis Romani intercidisse viderentur, saltem sensu suprà declarato, quoad successorem Cæsarem vel Regem præcisè obligandum; ast alia foret ratio capitulationis perpetuæ, quæ integro suo tenore maneret firma, ita ut capitulis ejusdem nihil adversum, nisi forsan communi consensu Imperii, statui vel admitti posset, quòd si tamen manifestè casus aliquis novus occurreret, qui obligationem regis ex conventione posceret, necessariò adcapitulandi, h. e. novum illum articulum regiæ

pactioni

pactioni addendi facultas esse deberet, ut jam dixi, eaque res adeò est certa, ut vel ex monumentis publicis luculenter de- 115
monstrari possit; etenim si habuissemus perpetuam Capitulationem ab ætate Caroli Quinti Imperatoris adusque electionem Ferdinandi Quarti Regis Romani, necessaria utique fuisset adcapitulatio octavi Electoratus, quippe de quo in priore tempore, cum bellum Germanicum & pacificationis studium, latuissent, nec de Octavo Electoratu introducendo ulla cogitatio animos subiisset, nec mentio nec dispositio esse potuisset, 116
& tamen, quò magis domus Electoralis Palatina secura redderetur, servatum iri octavum Electoratum, regia conventio jurata etiam novum hunc articulum complecti debuit, adeoque capitulatio fuit necessaria, idque non minus, si vel maximè jam tunc præextitisset Capitulatio perpetua, quàm hoc casu, quo anteriores capitulationes fuerunt personales; simile argumentum præbet Capitulatio Augustissimi Regis Romani Josephi *art.* 47. qui materiam continet administrationis Imperii per vicarios, ad usque ætatem cœpti anni decimi octavi Regis Josephi, is sanè articulus totus novus est, ut rectè 117
ibid. annotavit Dn. Fritschius, necessarius tamen propter teneram ætatem regis electi, qui adcapitulando jungeretur, si vel maximè jam habuissemus tunc perpetuam capitulationem, & sic in aliis multa negotia emergere poterunt ardua, quæ novam formam desiderent conventionis cum Rege electo; sed 118
ut ad schema perpetuæ capitulationis præallegatum revertar, adhuc hodiè imperfectum est, quamvis inter collegia Electorum & Principum res hæc diu multumque deliberata fuerit in Comitiis adhuc durantibus, sicut constat ex actis publicis ac *d. l. p.* 68. ad verba: Und Chur-Fürsten vor sich und sämptliche Fürsten und Stände des heiligen Römischen Reichs. ac testatur Fritschius, qui & ibidem subjicit: in plerisque articulis futuræ perpetuæ Capitulationis Cæsareæ utraque collegia jam convenisse, maximus tamen circa prologum & epilogum

119 Capitulationis motas fuisse difficultates; apparet verò ex formulis prologi atque epilogi, controversiam hoc in puncto principalem fuisse circa ipsum jus adcapitulandi, num solis Electoribus relinquendum sit, vel Principibus etiam & Statibus Imperii cæteris suo modo communicandum? prius assertum ab Electoribus est, in formâ Electoralis prologi capitulationis perpetuæ, ad Epilogum sese referentis, sicut ostendunt formulæ apud *Fritsch. d. l. sub num. II. & III.* adjunctæ. Po-
120 sterius à Collegio Principum adstruitur; Tantæ partes disceptantes in eo conveniunt, capitulationem perpetuam Recessui Imperii Comitiorum per tot annos continuatorum inserendam esse; de modo connexionis, an nimirum sic fieri debeat, ut ab initio mentio fiat capitulationis ab Electorali collegio formatæ, & à Principibus Imperii cæterisque Statibus approbatæ, ceu volunt Electores per verba initialia sui schematis, an verò simpliciter & absque illâ mentione, id quod Principibus arridet, juxta initium suorum monitorum ad capitulationem per-
121 petuam apud *Mulz. d. l.* discrepant. Quod ad epilogum attinet, Electores suâ confessione adcapitulandi facultatem restringunt ad leges fundamentales & constitutiones Imperii, ita, ut non nisi his Principumque & Statuum juribus salvis, adcapitulatio in futurum ex legitimis causis permissa sit, uti con-
122 stat ex Moguntini epilogi Schemate apud *Fritsch. d. Num. III.* Sed Principes hac declaratione non contenti requirunt insuper, adcapitulationem novam Electorum ita fore firmam ac jure subnixam, nisi in proximis posteà comitiis aliud sancitum fuerit, ceu constat ex appendice monitorum perpetuæ capitulationis; atque hic est status Capitulationis perpetuæ controversus, de quo si Dn.
123 Mulzium audiamus *d. c. 12. §. 12. sub init. dicendum, frustra hodiè ampliùs disputari, an Electores capitulationis materiam ad Comitia referre debuerint, cùm à tempore prima capitulationis Carolinæ Electores soli eam conceperint; cui reliqui serò & demum Rudolphi Secundi tempore contradicere*

re cœperint, ex Lund. tom. 2. act. publ. lib. 3. p. 639. Verum 124
licet personalis capitulationis conceptio serò forsan nunc demum in quæstionem vocetur, propter contraria exempla anteriora, nescio tamen, cur Electorum solitaria conceptio capitulationis perpetuæ accuratè opponatur relationi ad comitia; ipsimet enim Electores lubentes volentes materiam perpetuæ capitulationis non tantùm ad comitia referendam agnoverunt, sed relatam etiam per multos annos deliberarunt, cumque Principum collegio, ut antè retuli, consiliis publicis communicarunt disceptaruntque, & tamen tam jus formandi concipiendique, scilicet ut Princeps Statusque consentirent, quàm in futurum adcapitulandi sibi solis, salvis nimirum Imperii legibus, asseruerunt. Quin & controversiam hanc nec personalis capitulationis intuitu prorsus esse de medio hodiè sublatam, ostendunt Principum Statuumque ad recentiores capitulationes monita; sed de hac re & Electorum jure jam prius dictum est: quod verò reliquam attinet capitulationis perpetuæ controversiam; probabilior videtur esse Electorum causa in prologo, cæterorum Principum in epilogo; nam prologus Electo- 125
ralis schemati perpetuæ capitulationis præmissus nihil continet, nisi quod veritati indubiæ est conforme; videlicet illud Schema à collegio Electorali conceptum & à Principibus universis ac Statibus (ex præsupposito scil. si de articulis ipsis, uti jam est magna ex parte, plenè esset conventum,) fuisse approbatum; neque hæc res censeri debet cæteris Principibus aut 126
Statibus detrimentosa, quia, postquam de capitulatione perpetuâ in Comitiis placuit deliberari, ea forma, quæ à collegio Electorali concepta est, meritò haberi poterit pro voto hujus collegii curiato, cui si Principes & Ordines reliqui consenserint sub certis monitis, hocque exprimatur in prologo, & sic futuro recessui Imperii aliquando inseratur, nihil est quod vel justitiam vel causam lædat cæterorum Ordinum, vel veritati adversetur. Rursus quia epilogus, prout in monitis Prin- 127

cipum ad Schema perpetuæ capitulationis in fine exhibetur apud *Mulz d. c.* 12. *p.* 168. circa adcapitulanda futuris casibus habet clausulam vel conditionem non suspensivam, sed resolutivam, ita quidem, ut Electoribus pro bono publico emergente casu novo, liceat Regem Romanum novo articulo obstringere, qui validus sit, dum proximis posteà comitiis communi Statuum consensu aliud conclusum decretumque non
128 fuerit, circa adcapitulationem reservatam jus Electoribus non obstante epilogo Principum videtur salvum esse; nemini enim dubium est etiam post capitulationem perpetuam planè perfectam, communi Imperatoris & Ordinum consensu Comitiali posse aliud adcontrarium statui, sicut videmus non uno exemplo factum in aliis legibus utcunque fundamentalibus anterioribus, quibus ob emergentem novam causam communi placito posteà fuit derogatum, ut in octavo Electoratu, termino restitutionis bonorum Ecclesiasticorum & similibus
129 aliis contigit; neque contrà movere debet clausula epilogo ad mentem Principum inserenda de non mutandis articulis perpetuæ capitulationis, sine communi Statuum consensu, quia in hoc consistit ratio perpetuæ capitulationis, ut cum communi Statuum consensu pro constanti normâ obligandi regem sit introducta, articuli ejus non pro singulis electionum vicibus mutationi sint obnoxii, sed valeant & observandi sint, quousque aliud placito Ordinum universorum (majoribus scil. in eodem negotio salvis & pro universorum consensu more Comitiali habendis) firmatum sancitumvè fuerit per regulam, *l. nihil tam na-*
130 *turale c.* 35. *ff. de reg. Iur.* Hæc etsi consentanea sint & conformiter dicantur naturæ perpetuæ capitulationis, majus tamen momentum habere videntur circa consensum Electoralem, quàm jus adcapitulandi. quia ex præmissis hoc Electoribus planè est salvum, licet sub conditione resolutivâ referatur ad proxima comitia; adcapitulatio enim solius Collegii Electoralis consensu subnixa etiam post capitulationem perpetuam intelli-

intelligeretur pura esse, quamvis sub contrario placito comitiali posset resolvi, quemadmodum & in privatis causis cernimus hoc sic obtinere, ut quæ sub conditione resolutivâ contracta fuerint negotia, intelligantur esse pura, velut in lege commissoriâ, *l. 1. ff. de leg. commiss.* Quòd sanè eò magis in ad- 131
capitulatione considerandum est, cùm contrarius eventus comitialis, à quo pendet existentia resolutiva conditionis dissentientibus Electoribus vix contingere possit; at longè aliter se res habet in mutatione perpetuæ capitulationis, quæ consensum Ordinum comitialem absolutè requirit, nec priùs valet, quàm Status legitimè consenserint; pro præsenti autem rerum statu, dum nondum planè perfectâ capitulatione perpetuâ singulis electionum vicibus concipiuntur peculiares formæ, aliud obtinet; ibi enim liberius videtur esse Electoribus ar- 132
bitrium regiæ conventionis, quia non tantum nova capitula prioribus adjicere possunt, sed etiam contraria ex ratione, quòd morte prioris Regis vel Imperatoris secundum præmissa interciderit anterior capitulatio, ut sic nullâ capitulatione perpetuâ adstrictis, novas aut contrarias prioribus inire conventiones cum novo Rege, modò hæ legibus Imperii de cætero non adversentur, nihil sit, quod impediat; qualia etsi reliquis Ordinibus fortè dissentientibus non in vim legis valerent, tamen in vim pactionis publicæ ex usu sustineri videntur. Atque 133
hæc res perpetuæ capitulationis concernit substantiam, quæ perpetua esse non potest, nisi sit citra communem consensum contrarium immutabilis; quâ de causâ suppositô eô, quod perpetua capitulatio formanda sit, epilogus hac parte non videtur in controversiam vocandus. Ex suprà dictis verò con- 134
stat, Capitulationis perpetuæ negotium adhuc imperfectum esse, quia inter Electores & cæteros Principes nondum planè conventum est, urbium verò Imperialium consensum etiam requiri argumento esse poterit, non tantum vulgaris regula; quod omnes tangit, ab omnibus esse probandum, sed maximè etiam negotii hujus qualitas, quippe cum comitiale sit, ad

comitia per Instrumentum pacis remissum, & in comitiis etiam
135 hactenus deliberatum; accedit, quod urbes quoque Imperiales monita ad capitulationes personales inter Status alios unà exhibuerint, veluti ad capitulationem ipsius invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi sub rubr. Der sämptlichen Stände monita ad capitulationem, wie solche endlich dem Chur-Maintz. Directorio übergeben mens. April 1658. *vid. Spren-*
136 *ger. jurispr. publ. pag.* 139. *& seq.* Quò & pertinet Electoralis prologus in Schemate perpetuæ Capitulationis, ibi: so ist selbige (perpetua Capitulatio) vom Chur-Fürstl. Collegio abgefasset/ und mit gesampter Fürsten und Stände Einwilligung in diesen Reichs-Abschied gebracht 2c. *apud Dn. Mulz. d. c.* 12. *p.* 140. & informâ prologi Cæsareæ Commissioni exhibitâ, ibi: hat man sich communi Statuum consensu auf nachfolgende Articul erst erwehnter beständiger Wahl-Capitulation verglichen 2c. *apud Dn. Fritsch. ad cap. Reg. Ioseph. p.* 71. Quibus pro coronide hujus materiæ duo adhuc subnectimus per dis-
137 cursum: 1. An, si negotium Capitulationis perpetuæ perficeretur, status publicus hinc in substantiâ mutetur, ita sc. ut post hanc legem regiam perpetuam suprema potestas non amplius sit penes Imperatorem. 2. Posito, quod capitulatio perpetua in statu imperfecto remaneat, utrum hinc respublica capiat detrimentum, vel saltem Principes Imperii Proceres cæterique Status in juribus suis periclitentur? Mihi neutrum videtur: prius ideò non,
138 quod nihilominus electio procedat ut prius, per quam adeò juxta Ludovicianam constitutionem summa in electum potestas æquè transfertur, quamvis posteà idem ante auspicium administrationis certo modo repromittat, sese Imperium administraturum; Deinde promissio eadem adhuc fit jure conventionis liberæ; licèt enim capita promissionis haud varient, dum tamen pacti vim habent, consensus ab utraque parte liber exigitur; tertiò Imperator vel Rex Romanus non plus promittit per formulam Capitulationis perpetuæ, quàm personalis; ergo per
illam

illam non magis amittit majestatem veram, quam per hanc; con- 139
stat autem ex prædeductis, capitulatione personali majestatem non amitti, ergò nec capitulatione perpetuâ. Consideremus 140
denique, si capitulatio perpetua ad perfectionem non deducatur, utrum hoc Reip. detrimentum afferat? haud dubiè existimatum, ad rempublicam pertinere capitulationis perpetuæ formam, quòd Lege fundamentali *Instr. Pac.* cautum fuerit inter alia publici juris capita, proximis comitiis de hoc negotio consultari & statui, quod eousque Principes eorumque legati 141
comitiis adhuc durantibus arbitrati sunt observandum, ut inter pericula belli Turcici ante triginta annos securitatis publicæ & capitulationis perpetuæ materias alternis vicibus ad publicas deliberationes referri voluerint atque obtinuerint; Verum ut negari non debet, capitulationem perpetuam de numero eorum esse, quæ publicè prodesse possunt, vel ad bene esse Impe- 142
rii, ut loqui solent, pertinent, sic absolutè necessariam non rectè asseremus; stetit enim Imperium hâc publicâ formâ absque Capitulatione perpetuâ per tot secula, & jura Principum Ordinumque ex aliis legibus fundamentalibus, partim etiam ex privilegiis stabilita sunt; nec tàm refert personali vel perpetuâ ca- 143
pitulatione obstringi Regem, quàm bene ac prudenter capitaque conventa ipso rerum usu sanctè servari, adeoque sive statum publicum Imperii per se sive jura Principum vel Ordinum singulorum perpendamus, à capitulationis conditione personali vel perpetuâ momentum præcipuum non pendet; verum tamen 144
est, ad tollenda dissidia Electorum atque Principum præstare videri perpetuam personali capitulationi, sed si jus adcapitulandi conferamus, nec perpetuâ quidem conventionis formulâ materia omnis discrepantiæ præclusa penitus est, studiaque partium, ut in aliis, sic in hoc quoque negotio publicarum deliberationum scopum impedire videntur. Et hæc habui, quæ de nobilissimâ materiâ paucis proponerem.

TITU-

TITULUS VIII.

DE CORONATIONE CÆSAREA vel REGIA ROMANA.

SUMMARIA.

N. 1. & 2. Coronatio in regnis electivis obtinet, & quid sit in genere? 3. Coronatio in regnis successivis non propriè, sed similitudine aliquâ locum habet. 4. Coronatio in Imperio nostro quid sit? 5. Coronatio ab electione quot modis differat? 6. Coronatio olim triplex fuit Germanica Lombardica & Romana, quæ duæ posteriores in desuetudinem venerunt. 7. & 8. Coronatio hodiè duplex est, Cæsarea & Regia Romana, & quomodo distinguantur? 9. Usque 13. Promotio Regis Romani in Cæsarem juxta Capitulationes antiquiores intelligenda de coronatione Romanâ Pontificiâ 14. 15 & 16. coronationis Cæsareæ nomine in nonnullis capitulationibus haud intelligi Romanam Pontificiam. 17. Coronationi Caroli Quinti Pontificiæ Germanici Electores plerique non adfuerunt, sed alii Principes Italiæ præstiterunt officia. 18. 19. & 20. Ferdinandi Primi inauguratio Cæsarea post regiam coronationem non fuit facta à Pontifice, sed convocatis Electoribus Francofurti. 21. Coronatio Cæsarea in novissimis capitulationibus à Regiâ Romanâ non discernitur. 22. Coronatio Cæsarea triplici sensu accipi potest. 23. usque 35. inclus. Cæsarea coronatio an & quo sensu in desuetudinem venerit nec ne? 36. Coronatio ex Aur. Bullâ ad Coloniensem Electorem relata. 37. & 38. Coronandi jus sub controversiam vocatum, stabilitum est translatione, quæ hodiè capitulationum legibus confirmata. 39. & 40. Coronationis locus ordinarius est Aquisgranum, ut electionis Francofurtum & Noriberga prima Curia. 41. Aquisgranensium protestatio ratione loci in coronatione Ferdinandi Quarti. 42. Rex Romanus recens electus cooptari solet in Canonicum Aquisgranensem. 43. Coronationis tempus est arbitrarium. 44. Capitulationis placita contrario pacto partium paciscentium haud derogante juri tertii tolli possunt. 45. usque 48. Coronationis solennia in processu, actu, & post, quæ & quam varia sint. 49. 50. & 51. juramentum de servandâ capitulatione præstatur prorsus ante actum coronationis. 52. Ferdinandus Quartus tria juramenta regium statum concernentia & quartum ratione privilegii Ecclesiæ Aquisgranensis

nensis præstitit. 53. 54. & 55. Iuramenti à Ferdinand. Quarto in actu coronationis præstiti capita sex. 56. usque 63. Lundorpii sententia de Cæsarum vel Regum Romanorum juramento subjectionis Pontifici debitæ examinatur ac refellitur. 64. Juramentum, quod Ferdinandus IV. post coronationem præstitit, tolerabilius est præstito in coronatione. 65. Iuramentum Ferdinandi Quarti ratione privilegiorum Aquensium consideratur. 66. Solennia convivii Cæsarei vel Regii Romani post coronationem, remissivè, 67. 68. & 69. Coronatio tribuit solennem quasi possessionem Imperium ritè administrandi. 70. usque 74. Imperator an & quæ negotia publica rectè peragat ante coronationem. 75. Necessitatis casus indifferenter sunt excepti à regulâ administrandi post coronationem. 76. & 77. Coronationis effectus est publica notitia personæ Imperatoris vel Regis Coronati. 78. usque 85. Coronationis Germanicæ effectus hodiè est tituli Cæsarei collatio. 86. Ferdinandus primus cur in literis reversalibus usus sit Cæsareo titulo contra exempla aliarum capitulationum. 87. & 88. Carolus Quintus Imperator post pontificiam coronationem nec titulum electi Imperatoris mutavit, nec majorem, quàm antè, habuit potestatem.

NOn dubium est electionis & capitulationis actus subsequi solere coronationem Cæsaream vel regiam, quam materiam huic titulo assignavimus. Lex Aur. Bullæ requirit medio tempore, quod sc. inter electionem & coronationem intercedit, Electoralium privilegiorum confirmationem, *tit.* 2. §. & *quia*, sed cum hæc confirmatio hodiè pars sit capitulationis 1
certoque articulo inserta, non est, ut de eâ jam plura dicamus, coronatio verò ipsa non tantum in Imperio, sed omnibus regnis electivis regulariter obtinet, cui explicandæ, quod ad generalem notitiam attinet, non multis immorabimur, initium sit à de- 2
finitione, quâ coronatio dici potest *publicus actus, quo rex throno impositus solenni ritu administrationis regiæ capit auspicia*; neque enim tanto fastigio dignum visum est, privatim assumi regales infulas, sed demonstrari populo novum regem, qui sanctus & inviolabilis habeatur, quemq; fas sit inter auspicia regni ex acclamatione civium & subjectorum, quibus imperaturus sit, prima signa amoris velut libamenta consensus popularis percipere, hoc est illud publicis vocibus sæpè geminatum repetitumque votum, v. g. Vivat Leopoldus, vivat Josephus, idemq;

3 in ſimilibus: diſpar quidem ratio in regnis ſucceſſivis, ubi regii filii vel Principes ſucceſſuri, jam antea plerumque innotuerunt. ſed nihilominus & in his non deſunt exempla impoſitionis throni vel ſimilis alicujus celebritatis, quâ conſtet captam poſſeſſionem vel quaſi poteſtatis regiæ, jamque ſucceſſori ut legitimo regi parendum.
4 Quod ſi de Imperio noſtro loquamur, coronatio reſtrictè definiri poteſt: *actus publicus, quo Rex Romanus vel Cæſar electus coronam Imperii capiti impoſitam ſolenni ritu accipit & ſub veſtitu ac inſignibus Imperialibus*
5 *publico conſpectui ſiſtitur*. Ex quibus apparet, coronationem quoad formam triplici modo differre ab electione; requirit enim Cæſaris vel regis coronandi præſentiam, ſecus verò electio; deinde requirit inſignium Imperii, velut gladii, pomi, ſceptri, coronæ, item amictus Imperialis adhibitionem, ſecus electio; tertiò non inter ſolos Electores eorumvè legatos in conclavi, ſed in ſacello & publico conſpectu peragitur, ſecus electio; quibus addi poſſet quarta differentia, ſed ea reſpectu effectus eſt, quòd ſcil. electio ſupremæ poteſtatis Regiæ vel Cæſareæ in Imperio jus tribuat, coronatio vero hujus juris ſolennem præbeat demonſtrationem; verum de hac re infrà opportuniùs, hæc interim de
6 coronatione generaliter. Ad diviſionem progredior, ubi vulgò ex hiſtoriis innotuit, ac publici juris ſcriptores communiter tradere ſolent, fuiſſe olim coronationem Regum Romanorum vel Cæſarum triplicem, Germanicam, Lombardicam & Romanam, pro triplici ſcil. Regno, Germaniæ, Lombardiæ & Romanæ urbis cum vicinis regionibus, ſed Lombardica & Romana coronatio in deſuetudinem venerunt, probabiliter eâdem ratione politicâ, quâ res Imperii Romæ & in Italiâ ſucceſſu temporum à noſtris Imperatoribus magis, quàm à prædeceſſoribus omiſſæ & neglectæ fuerint, videlicet propter majores difficultates; & quòd Imperatoria corona non niſi Cæſaribus armatis, qui armorum apparatus poſteris diſplicebat, tribui
7 conſueviſſet. Hodie adhuc duplicem coronationem agnoſcere ſolent

solent ex capitulationibus Cæsaream & Regiam, *vid. Dn. Rhet. Instr. jur. publ. l. tit.* 4. §. 43. cui sententiæ & nostri tituli convenit inscriptio; verum res hæc est declaranda plenius; neque enim ut olim respectu regnorum triplex fuit coronatio, ita hodiè duplex est, sed coronatio Cæsarea à Regiâ Romanâ in hoc 8
tantùm differt, quòd juris administrandi Imperium quasi possessio actu ipso obveniat coronato Cæsari, non similiter Regi Romano; qui igitur vacante Imperio eligitur Rex Romanus, infulas Imperii sive publicæ administrationis initia ex coronationis actu statim ritè capessit, quo sensu Aurea Bulla Caroli Quarti intelligenda videtur, dum passim mentionem facit Regis Romani in Cæsaream promovendi, ut *tit.* 1. §. *Princeps verò.* & §. *præterea.* it. *tit.* 2. §. *præstito* &c. Quæ enim supersit alia Regis Romani electi in Cæsareum promovendi ratio, nisi per coronationem? sed uti hoc minus dubium, quòd promotio Regis 9
Romani in Cæsarem sit coronatio, ita non sine scrupulo esse videtur, quænam coronatio illa sit; quâ Rex Romanus in Imperatorem promoveatur? An quæ peragitur juxta legem Aureæ Bullæ in Germaniâ, an verò quæ à Pontifice Romano vel nomine ejus? Pro coronatione Germanicâ Bullæ præsumptio militat, quòd Legislator Carolus Quartus non aliam intellexerit, quam de quâ, ubi & per quem peragi debeat, ipse statuerit: pro Pontificiâ contra facit, priscus usus, dum Imperato- 10
res nostri Cæsareo & Imperatorio titulo abstinere plerumque consueverunt, nisi essent à Pontifice vel nomine sedis Romanæ coronati, quod ipsum exemplis Henrici septimi, Ludovici Bavari, Ruperti Palatini & aliorum apparet, licet non desint exempta, quæ in contrarium allegari possint. Quàm maximè 11
verò eadem sententia ex capitulationibus Cæsareis probari videtur, in quibus coronatio Cæsarea & Regia Romana invicem clarè discernuntur, ut in capitulatione Caroli Quinti & Rudolphi secundi, item Matthiæ, Ferdinandi Secundi & Ferdinandi Tertii Imperatorum, nec non Ferdinandi Quarti

Regis Romani, verba quæ hanc rem concernunt art. 30. Carol. Capitul. ita habent: Und nachfolgend / so wir die Königliche Cron / wie obstehet / empfangen haben / uns zum besten befleissigen die Käiserliche Cron auch in ziemlicher gelegener Zeit zum schiersten zu erlangen; in capitulatione verò Mathiæ & sequentibus modò relatis hoc tenore dispositum est, wir sollen und wollen auch die Römische Königliche Cron / wie uns erwehltem Römischen König wohl geziemet / empfangen / wenigers auch nicht uns zu Empfahung der Käiserlichen Cron beförderen; ubi quilibet videt, distinctam poni coronationem Regiam Romanam & Cæsaream, jam vero hæc intelligi non potest de coronatione Germanicâ,
12 saltem in exemplis illorum, qui electi sunt Reges Romani Imperio vacante, quâ specie indubium, haud distingui ipso usu Regiam coronationem à Cæsareá, electumque in interregno Regem in Germaniâ coronatum, pòst iterum ibi locorum coronandum non esse ut Imperatorem, neque ullo exemplo constat, quô quis Rex Romanus vacante Imperio electus & in Germania coronatus, posteà novo actu in Germaniâ coronam susceperit, ut Cæsar, sed hoc si contigit, in Regibus Romanis vivo Imperatore electis contigit, ut in Ferdinando primo post resignationem Imperii à Caroli Quinti legatis factam, quâ de re
13 infrà. Ex præmissis verò consequens est, in capitulationibus nomine Cæsareæ coronæ intelligi pontificiam, quæ sc. à Pontifice Romano vel ejus nomine capiti Cæsaris imponitur; nam quia coronatio Germanica Cæsarea haud potest dici in capitulationibus subintellecta, & tamen distincta ponitur à regiâ Romanâ, nulla verò alia datur, erit ergò Romana Pontificia, quam
14 capitulationes vocant Cæsaream. Verum hoc argumentum non indifferenter stringit quoad omnes capitulationes, quia tenor omnium, non est unus idemque in hoc articulo; nam literæ reversales Ferdinandi Primi, quæ habentur loco capitulationis ejusdem art. 27. solius faciunt mentionem Cæsareæ coro-

coronationis, his verbis: Uns auch zum besten befleissigen/ die
Käiserliche Cron in ziemlicher gelegener Zeit ꝛc. zum schier-
sten zu erlangen. In Maximiliani Secundi Capitulatione, ut 15
apud Carpzovium post *comment. Legis Regiæ Germanorum*
exhibetur, nulla invenitur de coronatione dispositio: Rudol-
phi II. capitulatio equidem distinctam expressionem habet
Cæsareæ coronationis ac Regiæ Romanæ, *art*. 30. sed verba ibi-
dem hoc tenore subjecta: Und alle und jede Chur-Fürsten
Ihr Ampt zuversehen/ zu solcher Crönung thun erfordern;
quibus sc. Imperator promittit, se ad actum coronationis Cæ-
sareæ requisiturum omnes & singulos Electores, ut sua præstent
officia, haud æquè patiuntur interpretationem de coronatio-
ne Romanâ Pontificiâ; nam primò præcipuum officium, quod 16
est electoris consecrantis atque coronantis in actu Romanæ
pontificiæ coronationis, quippe, quæ à pontifice peragitur, vel
nomine & jussu ejus ab aliquo Cardinalium, haud dubiè cessat;
deinde ad coronationem Romanam Pontificiam requiri Ger-
manicos Electores, ut sua præstent officia, minus convenit, cer-
tè in coronatione Caroli Quinti Bononiæ à Clemente Septimo 17
peractâ, non legimus, Electores Germanicos præter Philippum
Comitem Palatinum prælatorem pomi Imperialis consueta fe-
cisse officia; Sceptrum enim, non Marchio Brandenburgicus, sed
Montferratensis, gladium non Saxoniæ, sed Urbini Dux, coronã
verò Dux Sabaudiæ Imperatori prætulisse leguntur, *apud Gol-
dast*. in politischen Reichs-Händeln / *l*. 2. *c*. 3. idq; & in pro-
cessione ante coronationem & posteà apparuit, neq; de ullis mi-
nisteriis Electoralibus ibi fit mentio. Planè Ferdinandus primus
Imperator, cum eandem clausulam repromissoriam de convo-
candis Electoribus ad actum Cæsareæ coronationis literis rever-
salibus *d. c*. 27. inseruisset, unde iisdem verbis retentis ad ca- 18
pitulationem Rudolphi Secundi transsumpta fuit, huic suæ
promissioni non per coronationem Pontificiam, sed Electora-
lem Germanicam satisfacere voluisse videtur, dum novam
inaugurationem Cæsaream Francofurti ad Mœnum convocatis

19 Electoribus suscepit, quem totum actum *Thuanus lib. 21. histor.* ita descripsit: *In Germaniâ cum Septemviri ex constituto cum Ferdinando Francofurtum convenissent, eodem quoque legati, quos dixi, Arausionensis, Seldius & Hallerus 6. Cal. Martii, qui dies Matthiæ sacer est, venere cum Caroli mandatis, ejus nomine Imperatoriam dignitatem ejuraturi & in Ferdinandum Romanorum Regem jus suum translaturi; is dies, quòd fatalis ac faustus Cæsari fuisset, delectus erat, siquidem eo Gandavi natus posteà ad Ticinum victor, deinceps Bononiæ à Clemente Imperatoriam coronam susceperat, & Aquisgrani deinde fratrem in Regem Romanorum inaugurari curaverat, acceptis Caroli mandatis post deliberationem cum certis conditionibus Septemviri ejus voto annuissent, supererat ut veteri more ac ceremoniâ inauguratio perageretur, itaque erigitur in foro tabernaculum ligneum, ad quod per gradus ascendebatur stragulis ac tapetibus aureis & holosericis, quo Ferdinandus die condictâ, imperialibus ornamentis amictus, magno stipatu venit, solioque præparato consedit, ibi Septemviri postquam agminatim concitato cursu, magnâ equitum turbâ comitante & prælatis de more vexillis ter circum Imperatoriam sellam equitârunt magno clangore intereà tubicinibus Ferdinandi & Septemvirorũ concinentibus ex equis desiliunt, ordineq; sedentem Cæsarem adeunt, & in genua provoluti jurejurando fidem addicunt, hoc facto novus Cæsar ad Carolum fratrem scri-*
20 *bit* &c. Ecce insignem actũ coronationis vel novæ inaugurationis Cæsareæ, à Regiâ Romanâ coronatione distinctæ. Quinimo
21 novissimis capitulationibus invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi & Augusti Regis Romani Josephi Cæsareæ & Regiæ coronationis distinctio omissa est, quod demonstrant verba *art. 37. Leop. capit.* Wir wollen auch die Römische Königliche Cron förderlichst empfangen/ u. bey allẽ denselben das thun/ so sich derhalbẽ gebüret/ quæ eadem verba in Josephinâ capitulatione
22 art. 36. posita reperiuntur. Secundum hæc igitur apparet, Cæsaream

ream coronationem dupliciter accipi posse, vel de Romanâ Pontificiâ, quâ ultimus Cæsarum, qui Romæ coronatus fit, Fridericus Tertius est. ultimus, qui in Italiâ, Carolus Quintus, videlicet non Romæ, sed Bononiæ à Clemente Septimo Pontifice coronatus; vel de Germanicâ coronatione Regiæ Romanæ contradistinctâ, cujus exemplum in Ferdinando primo Cæsare retuli; fuit enim Ferdinandus Primus jam antè coronatus ut Rex Romanus, ceu patet ex literis ejus reversalibus jam relatis ad finem princ. ibi: Und als erwehlten und gecrönten König/ quæ verba non de aliâ quàm regiâ Romanâ coronatione accipienda esse, totus contextus ostendit, & simul relatus ex Thuano locus; his accedit significatio tertia, dum Cæsarea 23
coronatio vocatur, quâ vacante Imperio Rex Romanus electus insulas Imperii solenni ritu juxta l. Bullæ in Germaniâ accipit. Quodsi igitur quæstio moveatur, an Cæsarea coronatio in desuetudinem venerit, haud dubium est, primâ acceptione vocis affirmativè respondendum; nec enim hodiè post Leopoldinam capitulationem Imperator ad suscipiendam coronam à Pontifice obstringitur, nec ante Matthiam Imperatorem ejus rei, quòd nimirum Electores accipiendæ coronæ pontificiæ electum regem obligaverint ubique occurrunt certa monumenta; contrarium enim haud obscurè demonstrant Ferdinandi Primi literæ reversales, & Rudolphi Secundi capitulationum tabulæ, quas paulò ante allegavimus; illud interim liquet, quisquis fuerit sensus anteriorum capitulationum, Leopoldinâ jam hoc introductum, ut electus rex adstrin- 24
gatur ad solam regiam coronationem, quæ ipsa est in casu vacantis Imperii Cæsarea, de quo tertio ordine dicendum; priores verò capitulationes Caroli Quinti, Matthiæ & Ferdinandorum subsecutas, quæ distinguebant Cæsaream coronationem à Regiâ & utriusque suscipiendæ vinculo electum regem obstringebant, Leopoldinâ capitulatione, cui Josephina hac in re 25
prorsus convenit, sublatas esse, ut nec in vim pacti nec legis amplius valeant; itaque non tantùm ad Romanam & Longo-
bardicam

bardicam coronationem suscipiendā electi vacante Imperio Re-
ges Romani ulterius haud obligātur, sed nec ad Cæsareā à regiâ
distinctam; est enim tali casu regis coronatio ipso effectu Cæsa-
rea, quia electus uti ex vi electionis supremū Imperii jus acqui-
rit ex suprà dictis, ita ex vi coronationis auspicia legitimæ admi-
26 nistrationis capessit. Sed quid in rege Romano vivo Imperatore
electo, annon hic saltem celebri exemplo Ferdinandi I. suprà
relato, ubi ad Imperiū posteà pervenerit, novâ coronatione vel
inauguratione opus habeat. Quod haud abs re videri posset, ut
initium ritè constet Cæsareæ administrationis, quod & Rudol-
27 phina capitulatio d. *art.* 30. similiter approbare videtur; verùm
ex Josephinâ capitulatione hodiè aliud dicendum, cum ea pa-
riter ut Leopoldina solius regiæ coronationis *d. art.* 36. faciat
28 mentionem. Ex quibus sequitur Cæsaream coronationem
hodiè nullam superesse, nisi eo sensu, quo diximus, Rege Ro-
mano tempore vacantis Imperii electo, coronationem haberi,
vocarique posse Cæsaream eodem argumento, quo suprà de
electione & capitulatione idem est assertum, quod cum ita se-
29 se habeat, non animadverto, quid causæ fuerit Dn. Rhetio *d. t.*
4. §. 44. impugnandi Limnæum ad *Aur. Bull. c.* 26. §. 4. *obs.* 9.
asserentem, coronam Imperialem ab Aulâ recessisse; intelligit
enim sine dubio Limnæus coronam Imperialem non Regi Ro-
mano, qui in interregno electus est, conferri suetam (quam Cæ-
saream voco) sed à regiâ distinctā, quod verissimum esse ex ha-
ctenus dictis liquet; nam & ipse Dominus Rhetius Romanam
coronationem in desuetudinem venisse inficias ire non poterit,
quia idem Imperator Carolus V. qui novissimus suscepit coro-
nam Lombardicam, quam nec Dn. Rhetius hodiè amplius in
usu esse adstruit *d. l.* §. 43. novissimus quoque Romanā adeptus
30 est, licet non Romæ, sed Bononiæ; Ergò Romana quoque di-
cenda erit tanto tempore recessisse ab Aulâ; quòd si Germani-
cam Imperialem à regiâ distinctam coronam intelligamus, hanc
31 sanè ex deductis non obtinere asserendū est; at si de eâ, quæ Re-
gi Romano vacante Imperio electo imponitur, sermo sit, nec
ipsum

ipsum Limnæum, nec quenquam alium, eandem in dubium vocare constat. Igitur cum sensu prædicto Imperialis corona ab aulâ recesserit, ac posteriore, de quâ nemo dubitat, adhuc obtineat, Limnæi sententia salva videtur; crediderim tamen, & allegatos à Limnæo *d. l.* & ipsum Dominum Rhetium, 32
si idem velit, eatenus rectè sentire, quòd videlicet Imperator, etiam si nec usu hodierno, nec novissimis capitulationum legibus ad hoc obstringatur, tamen coronam Romanam adhuc petere possit, quia hæc res videtur meræ facultatis, cui à Caroli Quinti tempore citra actum contradictorium præscriptum minimè est; ast verò eam coronationem superfluam haberi, quando electio & coronatio Germanica jus & auspicium totius Imperii Romano-Germanici tribuit, omissâ licèt coronationis Romanæ ceremoniâ; atque adeò distin- 33
ctæ sunt quæstiones, an Romana coronatio Cæsarea hodie in usu sit, & num Imperator ad eam suscipiendam modernis capitulationum legibus obligetur; an verò, si velit eandem, jure petere adhuc possit? Priores duæ quæstiones sunt negandæ ex præmissis, posterior affirmanda. Ex quibus tres 34
conclusiones colligendæ sunt: (1) quòd Imperator hodie invitus non debeat coronam à Pontifice petere, quia scilicet nec usus nec capitulatio eum amplius ad hoc obstringit. (2) quòd Imperator, si velit, haud sit præclusus, quin jure eam coronam adhuc possit petere. (3) quòd hæc tamen petitio necessaria non sit, sed & plenum jus Imperii electio Cæsarea, & auspicium hujus juris coronatio subsequens Germanica tribuat, quâ de re circa coronationis effectus infrà plura. Quibus suppositis asserendum est, eam hodie tantum Imperatoriam vel Cæsaream coronationem haberi, quæ Regi Romano vacantis Imperii tempore electo confertur, quales fuerunt Caroli Quinti, Matthiæ, Ferdinandi Secundi, & invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi coronationes, eam verò regiam Romanam propriè censendam; quæ vivo 35

& regnante Imperatore peragitur, quales fuerunt Ferdinandi Primi, Aquisgranensis, Maximiliani Secundi, Rudolphi item Secundi, Ferdinandi Tertii, Ferdinandi Quarti, & novissimè Josephi, Regum Romanorum coronationes. Ergo hoc saltem sensu de Cæsareâ & Regiâ Romanâ coronatione, quæ hodienum superest, & in Germaniâ celebrari solet, di-
36 cendum est, & primùm de coronante vel consecrante; is juxta legem Aureæ Bullæ est Elector Coloniensis; ita enim habent verba *Bullæ tit.* 4. *Secundò à Coloniensi Achi-episcopo, cui competit dignitas, nec non officium, Romanorum Regi primùm diadema regium imponendi*; diadematis vero nomine, etsi per se non corona, sed ligamen regium insigne, quo caput more prisco cingere consuevere Reges, intelligatur, haud tamen dubium est, cum ejusmodi ligamina legibus Romano-Germanicis haud fuerint usitata, certè corona, non verò ligamen tale inter insignia Imperii à tot seculis asservetur, in eo Aureæ Bullæ textu denotari coronam, quæ solenni ritu capiti Romani Regis imponi solet, idque munus Archiepiscopo & Electori Coloniensi lege eadem attributum; verùm Archiepiscopi Moguntini non paucis exemplis ab antiquo coronationis Cæsareæ vel Regiæ actus peregisse, in historiis referuntur, atque adeò Coloniensi à Moguntino jus coronationis Imperatoriæ vel Regiæ solitarium ratione loci præ-
37 cipuè sub controversiam vocatum, quæ scriptis ab utraque parte emissis, de quibus vid. Lundorp. *part.* 7. *sive contin.* 3. *act. publ. c.* 127. *& c.* 142. ita tandem compositione amicabili sopita est, ut Aquisgrani & in cæteris Coloniensis diœceseos partibus, Coloniensi, in diœcesi verò Moguntinâ, Archiepiscopo Moguntino prærogativa Cæsareæ vel Regiæ Romanæ coronationis competat, in cæteris autem locis & extra diœceses Moguntinam atque Coloniensem alternatio obtineat, ceu refert idem Lundorpius *p.* 8. sive *con-*

contin. 4. *act. publ. cap.* 64. & pariter Sprenger. in *Iurispr. publ. p.m.* 181. 182. *&* 183. eaque transactio novissimis capitulationum legibus Leopold. art. 37. & Joseph. art. 36. specialiter confirmata est. Secundùm hanc itaque distin- 38
ctionem locorum & temporum alternationis Moguntinensis & Coloniensis Archiepiscopi & Electores sunt consecratores legitimi, qui Cæsari vel Regi Romano electo coronam solenni ritu imponunt, eaque est Germanica coronatio, quam Aurea Bulla disertis verbis vocat primam, d. tit. 4. ibi: *Primum diadema Regium imponendi. & tit.* 25. vel ut alii numerant 28. §. *invenimus*; ibi: *& prima coronatio.* dubio procul ad indigitandum esse alias coronationes, quæ alibi peragi debeant, velut in Italiâ & Romæ; sed hæ eædem sunt, quæ hodie in desuetudinem abierunt, secundùm priùs dicta. Hæc verò, quæ super- 39
est, Germanica coronatio, ex lege *Aureæ Bullæ d.* §. *invenimus.* Aquisgrani regulariter celebranda est, ubi tres nominantur civitates Imperiales, Francofurtum, Aquisgranum & Norimberga, quarum prima locus ordinarius electionis, secunda coronationis, tertia primæ curiæ Imperialis vel Regiæ, perhibetur, idque jam Caroli Quarti ætate ab immemoriali tempore sic observatum traditur, porroque servandum statuitur, nisi tamen legitimum intervenerit impedimentum, *text. d.* §. *invenimus. in fin.* Ast 40
multa Cæsarearum Regiarumvè electionum, coronationum & primarum curiarum exempla extant, quibus extra illa loca publici hi actus fuêre celebrati; ea verò exempla ad impedimentorum exceptiones referenda videntur, quâ specie civitates jam nominatæ, ne suis juribus vel privilegiis quid præjudicii detur, sæpius sunt protestatæ, & in actu quidem coronationis Ferdinan- 41
di Quarti, tùm Canonicos, tùm civitatem Aquisgranensem sibi jura, ne quid hinc præjudicii paterentur,

protestatione sibi reservâsse scribit *Lundorp. p. 7. sive contin. 3. act. publ. c. 125. p. 46.* his verbis: Ermeldte Canonici des Stiffts / wie auch Verordnete und Gesandten gemeiner Stadt Aachen / haben auch folgends von der Königlichen Majestät und Churfürsten gebetten / daß ihnen Urkund mitgetheilet werden möge / daß das jenige / so der Crönung halben allhier zu Regenspurg vorgangen / berührtem Stifft / auch Königlichem Stuhl und Stadt Aachen an altem Brauch / Herkommen / Recht und Gerechtigkeit
42 nicht præjudiciren solle. Mirum sanè videri illud possit, quòd Rex Romanus recens coronatus inter Canonicos Aquisgranenses Ecclesiæ S. Mariæ more antiquo soleat recipi, quo intuitu ipsa hæc Ecclesia certa percipit emolumenta; quâ de re exemplum præbet Ferdinandi Quarti coronatio, qui se, ne quid mori prisco decederet, in eum Canonicorum ordinem cooptari, haud difficulter assensus, mandavit cum Canonicis emolumentorum respectu transigi, ceu refert in contextu immediatè præcedenti Lundor-
43 pius *d. l.* Tempus coronationis nullâ lege certum est definitum, adeoque arbitrarium consensu Regis coronandi & Electorum determinandum, capitulationes tamen electum obligant hanc rem accelerare; ita *Leopold. capit. art. 37. & Josephina art. 36.* mox circa initium hæc verba habent: Wir wollen auch die Römische Königliche Cron förderlichst empfangen; eadem conventio arbitraria & ratione loci obtinet, si Aquisgranum civitas minus idonea videatur propter incidens aliquod impedimentum, ita videlicet, ut in alia quâdam urbe Imperiali coronatio peragatur; sic in Leopoldinâ capitulatione *d. art. 37.* ex pacto placuit Colonia, in Josephinâ *d. art. 36.* Augusta Vindelicorum, licet Leopoldina
44 coronatio non Coloniæ, sed recentiore consensu Francofurti peracta fuerit, insigni argumento, posse etiam puncta conventa capitulationem consensu partium paciscentium, si nul-

nullius tertii hinc jus lædatur, resolvi, ut sic non minus in
publicis quàm privatis causis servetur regula, *l. nihil tam
naturale. 35 ff. de reg. jur.* Venio ad actum coronationis
ipsum, qui variis concelebratur solennitatibus, eæ con- 45
siderari possunt vel in accessu ad templum, vel in ipso
templo & coronandi actu, vel posteà in recessu; solennita-
tes primi ordinis sunt Principum Procerumque in Aulâ
Regis coronandi congregatio, qui condicto die, horâ
& locô veniunt, Regemque ad templum ordine comi-
tantur, quos inter tamen non sunt Ecclesiastici Electores,
aliivè his assistentes, dum separatim in illud sacellum sese
conferunt, Regemque expectant, & advenienti obviam
procedunt; quòdsi Imperator Rege in vitâ ejus electo ad-
sit, tunc in palatio Regio congregati, unà cum eo ad
Imperatorias ædes progrediuntur, simulque Imperatorem
& Regem ad templum deducunt; in templo & ipso co 46
ronationis actu hæc solennia observantur, preces à con-
secratore & adstantibus funduntur, exuitur Rex veste
Electorali, quâ incessit, & consuetum regium vestitum as-
sumit, fusis precibus, oleo, quod vocant, consecrato
ungitur, gladio Caroli Magni, qui à tot seculis fertur
superesse, accingitur, eique in dextram sceptrum, in sinistram
pomum aureum Imperii insignia traduntur, & ad extremum
Imperialis corona capiti imponitur Regis, isque in throno re-
gio sub Imperiali habitu coronatus considet: quo actu fi- 47
nito equestris dignitas fortibus ac illustribus viris haud ra-
rò conferri solet; deinceps peractâ coronatione post tur- 48
bam aliam ordine receditur, sic, ut Principes seculares
postea Electores eorumve Legati, inde Imperator, si adsit, &
Rex novus coronatus, ultimo loco Electores, Principes ac
Proceres Ecclesiastici subsequantur, quibus de solennitati-
bus vid. *Nopp. in Chron. Aquisgr. circa coronat. Carol. V.
Spreng. in jurispr. publ. pag. 177. & seq. Lundorp. pag. 7.*

sive contin.3. act.publ.pag.39.usque 46. Ubi ad Aulam Imperialem rediêre, Electorum officia hereditaria exercentur, de quibus disponit Aurea Bulla *d.t.25. aliis 28. à Princ.* usque ad §. *sicut autem.* Summa hæc est, ut Archimareschallus Imperii, Dux Saxoniæ, cum baculo & mensurâ argenteâ adequitet acervum avenæ coràm ibi positum, & mensuram ex avenâ impleat, baculumque argenteum in acervo figat mensuram subofficiali tradat ac recedat; Archicamerarius Marchio Brandenburgensis manibus abluendis aquam in pelvibus argenteis; Archidapifer Comes Palatinus (hodiè Dux Bavariæ) in patinis argenteis cibos, Archipincerna verò Rex Bohemiæ in scypho argenteo potum Imperatori vel Regi Romano porrigat vel apportet. *Vid. Lundorp. d. l. p.47.* Ea verò vasa argentea singulorum Electorum debent esse ponderis duodecim marcarum argenti, & compendio cedunt sub-

49 officialibus, sic disponente *Aureâ Bullâ d. l.* Mitto autem ea, quæ has solennitates concernunt, & considero tantùm diversa juramenta, quæ à Rege electo præstantur, in quibus primò referri potest juramentum de capitulatione servanda, quod totum actum coronationis præcedit, sicut ex novissimâ electione Josephi constat, qui juramentum de servanda capitulatione in actu certioratæ electionis, & sic ante initium coronationis præstitit; rem ita refert *Fritsch. in annotam. ad*

50 *capitul. Joseph. p.*180. & 181. Chur-Mayntz bedanckte sich gegen Jhro Käyserl. Mayt. daß sie ihnen in das conclave zu kommen / belieben lassen wollen / und truge ferner vor / wie daß sie auß hochwichtigen Ursachen bewogen / für gut befunden / einen Röm. König und künfftigen Käyser zu erwählen / auch solche Wahl ordentlich vorgenommen / und einhelliglich auff Jhr Maytt. Josephum, den König in Ungarn / außgeschlagen wäre; nachdem aber solcher ohne Vorwissen Jh. solches nicht acceptiren wolte / baten Sie die Herrn Churfürsten und Gesandten / umb die Kayserl. Ein-

wil-

williguug / worauff als die Kayserl. Maj. eingewilliget / und Se. Königl. Maj. auch die Wahl acceptirt, bedanckten sich gegen Selbige Chur Mayntz im Namen seiner Mit-Churfürsten und Gesandten / und fiengen zugleich die Gratulation an / welche hernach von denen Hn. Churfürsten und Gesandten einem jeden absonderlich erfolget ist. Wie nun alles dergestalt geschehen / hielte Chur-Mayntz Ih. Königl. Maj. das Juramentum der zuvor verglichenen Capitulation vor / welches sie auch mit obged. Cron (ist ex toto contextu die Ungaris. Cron gewesen) vor dem Haupt und mit Legung der Finger auf das / auf dem Altar im conclavi gelegene Evangelien Buch leiblich geschworen. Hactenus Frit- 51
schiana relatio, ex qua liquidò apparet à Josepho Rege præstitum capitulationis juramentum eodem contextu notificationis de electione, & consequenter ante totum actum coronationis Regiæ Romanæ, quod juramentum cum more majorum etiam præstiterit Ferdinandus IV. juxta appendicem capitulationis ejusdem, hoc pariter primum & prorsus ante coronationem datum censeri debet; sed prætereà Rex idem 52
Ferdinandus & in coronationis Regiæ Romanæ actu aliud quod secundum, & post hujus coronationis complementum, adhuc aliud, atque adeò tria juramenta præstitit, quibus si addamus sacramentum confirmatorium privilegii Canonicorum Aquisgranensium, erunt quatuor Ferdinandi juramen- 53
ta; primum, quod capitulationem respicit, mitto, quippe de quo genere superiori titulo dictum sit, tria reliqua *loc. præcit.* literis consignavit Lundorpius; ex his secundum sex continet capita, videlicet de fide catholica, de Ecclesiarum & ministrorum tutelâ, de Regni justâ administratione ac defensione, de recuperatione partium amissarum & argumento, de justitiâ æquali ac miserabilium personarum defensione, denique de debita subjectione &

reve-

reverentia erga Pontificem & Ecclesiam Romanam; hæc capita singula in stipulatum prius deducta sunt à consecratore
54 Archiepiscopo Moguntino, quam rem Lundorpius *ibid. pag.* 42. ita describit: Und seynd Ihr Majestät altem Gebrauch nach von dem Ertz-Bischoffen Churfürsten Consecratorn deutlich mit diesen Worten angeredet und befragt worden: Vis sanctam fidem catholicam & Apostolicam tenere & operibus justis servare? Darauff Ihr Königl. Maj. geantwortet/ Volo; und zum Zweiten: Vis Ecclesiis, Ecclesiarumque ministris fidelis esse tutor ac defensor? antworteten Ih. Maj. Volo; und zum dritten fragte Mayntz: Vis regnum à Deo tibi concessum secundum justitiam Prædecessorum tuorum regere & efficaciter defendere? Antworteten Ihre Maj. Volo, zum vierten fragte weiters: Vis jura Regni & Imperii, bona ejusdem injustè dispersa recuperare? Antworteten Ihre Maj. Volo; ferner zum fünfften fragte: Vis pauperum & divitum, viduarum & orphanorum æquus esse judex & pius defensor? Antworteten Ihre Maj. Volo, letztlich zum sechsten befragte: Vis sanctissimo in Christo Patri & Domino Romano Pontifici & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ subjectionem debitam & fidem reverenter
55 exhibere? Antworteten Ihre Maj. Volo. Hæc omnia igitur capita Ferdinandus Rex in coronatione Regiâ Romanâ stipulanti consecratori Archiepiscopo non tantùm promisit, fide publicâ, sed mox etiam, & antequam Regia Romana corona ipsi imponeretur, jurejurando confirmavit; ita enim in contextu pergit Lundorpius *d. l.* Hierauff Ihr Majestät zum Altar getretten/ und haben solche Wort/ wie dero Vorfahren von Alters auch gethan/ mit leiblichem Eyd und diesen Worten auch bevestiget: *omnia præmissa, in quantum divino fultus fuero adjutorio, fideliter adimplebo, sic me Deus adjuvet & sancta Dei Evangelia.* Ecce insigne exemplum juratæ à Rege Romano subjectionis Pontifici

fici & Ecclesiæ Romanæ debitæ; sed vereor, ut hæc res circa caput subjectionis Pontifici aut Ecclesiæ Romanæ debitæ, antiquitati plenè sit conformis; nam Fridericus I. Imperator ne Romæ quidem toleravit publicam illam picturam, in quâ depictus erat Rex Germanorum procidens ante pedes Pontificis & petens coronam, cum hac inscriptione: 56

Rex venit ante fores, petens prius urbis honores,
Mox homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Hæc nimirum pictura adventu Friderici detracta fuit; & cum 57
posteà Hadrianus Quartus Pontifex in epistolâ ad Imperatorem missâ, exprobrâsset ei accepti per beneficium regni velut oblivionem vel ingratitudinem, gravissimè Cæsar indignatus est, & Papam assentientibus Germaniæ Episcopis compulit, uti beneficii vocabulum, quod in jure feudali & per usum illorum temporum significabat feudum, veteri more pro benevolâ vel beneficâ actione interpretaretur, ceu demonstravit Goldast. *tom.* 1. *const. Imp. pag.* 267. & ex Ottone Frisingensi *Conring. ad Lampad. de jurisd. Imp. Rom. Germ. lib.* 3. *c.* 2. §. 8. deduxit. Tantum abest, ut hic Imperator ul- 58
lam subjectionem Pontifici vel Ecclesiæ Romanæ debitam agnoverit. Accedit, quòd in formulâ juramenti priscâ ex *Spec. Suev.* superiori titulo adductâ, quâ Reges Romani Imperio devincti fuerunt, nullum verbum de subjectione Pontificis vel Ecclesiæ Romanæ, sed contrarium potius disertis verbis in constitutione Ludovici Bavari Imperatoris habeatur, quæ communi consensu Principum ac Pro- 59
cerum Imperii tàm Ecclesiasticorum quàm secularium sancita fuit, hoc tenore, ut refert Aventinus *libr.* 8. *Chron. pag.* 497. Zum andern der Käyser hat keinen Obern auff der Welt / ist der nechste nach GOtt / hat seine Gewalt ohne alle Mittel von GOtt; & infrà: Von solches wegen als ein Fürst von den sieben Churfür-

sten erwählet wird / so hat er von Stund an vollen Gewalt. Darff nirgend hin weder zum Pabst noch anderswohin schicken / darff des Pabsts Bestättigung nicht / der Pabst hat mit solchen Sachen gar nicht zu schaffen / seine Crönung ist nur ein Wolstand; & infrà: Wer anderst als von denen Obern mit Recht erkandt ist / lehret / sagt / thut / soll in Ungnad des Heil. Römischen Christlichen Reichs und des Käysers Acht und Ober-Acht gefallen seyn. Hæc *d. l.* Aventinus, quibus conveniunt, quæ habent *Goldast. lib. 3. Const. Imp. p. 411. & Apolephtes* in Historischen Er-
60 quickstunden / *pag.* 550. Quòd si igitur ex hac constitutione Ludoviciana & communi Principum Ordinumque Imperii Ecclesiasticorum & secularium ejus temporis expresso consensu certum est, uti est, Imperatorem neminem præter Deum nec Pontificem ipsum habere superiorem, & verò Reip.
61 Romano-Germanicæ forma in hoc hodiè mutata non invenitur, nec Pontifici hoc seculo, quàm ætate Ludovici Imperatoris, major competit ullâ ratione in Imperatorem vel Regem Romanum potestas, certè non licèt capere, quo jure novissimis temporibus Imperator aut Rex Romanus electus Pontifici & Ecclesiæ Romanæ juramento debitæ subjectionis obstringatur, aut quo fundamento prætextum antiquitatis huic rei Lundorpius
62 addat *d. l.* Neque subterfugium quærendum est in voculâ: *debitæ*, quâ res ita declaretur, ut si nulla debeatur Papæ aut sedi Romanæ subjectio, neque jurejurando Rex electus videatur esse devinctus; nam verba ejusmodi in tantæ coronationis actu non præsumuntur esse superflua vel frustanea, & si vel maximè subjectionem in Ecclesiasticis subintelligeremus, præterquam quòd ne hæc quidem omnium Catholicorum certa sit judicio assertio, verba saltem ambigua manent, quæ possunt prætextibus priscis in Imperio novum dare fomentum; accedit, quod

quòd nec alii Reges Christiani orbis, quorum in Ecclesia- 63
sticis par ratio est, hâc speciali formulâ juramenti Pontifici & Ecclesiæ Romanæ sese patiantur obstringi; ast hæc jam mitto & arbitrio eorum, quorum est Reip. prospicere, ne quid in jure supremi Capitis detrimenti capiat, relinquo.
Planè tertium juramentum, quod referente Lundorpio, 64
Ferdinandus Quartus Rex Romanus, post peractam coronationem Regiam Romanam præstitit, superiori longè mitius est, ut patet ex ejus formulâ *d. l. pag.* 45. ab eodem auctore exhibitâ; quanquam enim & hic summi Pontificis & Romanæ Ecclesiæ specialis fiat mentio, tamen nullum ibi verbum de subjectione, sed tantum de honore condigno & canonico, quæ res & per se præsertim in personâ Principis Romano-Catholici intuitu antiquitatis sedis Romanæ tolerabilis, & cæteris etiam Pontificibus vel Episcopis atque Ecclesiis ex ipsâmet illâ jurisjurandi formâ communis est.
In quarto juramento concernente protectionem & 65
Privilegia Ecclesiæ Aquensium Canonicorum B. Mariæ, nihil occurrit notabile, nisi expressio fidelitatis, ea verò manifestè nullam obligationum inducit clientelaris obsequii, sed solius defensionis promptam veramque sollicitudinem, cui rei, quia non pertinet ad coronationem Regiam Romanam, nisi ex accidenti, & propter antiquum ritum peractâ coronatione servari suetum, pluribus non insisto; Neque de festi- 66
vo convivio, quod coronationis actum subsequi solet, de regioque ac Cæsareo apparatu, mensarum magnificentiâ, situ, ordine, magnorumque hospitum numerosâ præsentiâ & splendidâ pompâ, dicendum ex re arbitror, qui volet, hæc apud præcit. auctores, præsertim *Lundorp. d. pag.* 47. *&* 48. invenire poterit.

Superest, ut de coronationis effectu aliqua subjiciamus, & licet Carpz. coronationem Germ. de qua loquimur, ad solenni-

tatem potius extrinsecam pertinere, magisque honoris & ce-
lebritatis causâ peragi afferat, *de L. R. Germ. c. 11. sect. 10. n. 12.*
67 non est tamen existimandum, coronationem planè superfluam,
& sine omni effectu legitimo esse; nam (1) electi Reges Ro-
mani vel Imperatores, uti ex electione jus, sic ex coronatione
quasi possessionem juris sive facultatem auspicatò Imperium ad-
ministrandi consequuntur. Ita enim placuisse videtur genti-
bus in regnis electivis & priscis Romanis, nec non Germa-
niæ, ut Reges, Principes, Magistratusque electi non sine
ritu solenni & publico, auspicia caperent administrationis re-
68 gni vel Imperii; cum Cn. Servilius & Cajus Flaminius Romæ
olim Consules creati essent, & alter collega Flaminius Consula-
tum sine auspiciis consuetis iniisset, graviter hac de re conquesti
sunt Patres in Senatu, ac *duos*, inquiunt, apud *Livium libr.
22. histor. circ. init. se Consules creâsse, unum habere;
quod enim illi justum imperium, quod auspicium esse magi-
stratus, id à domo publicis privatisq; penatibus, Lati-
nis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis ritè in
Capitolio nuncupatis secum ferre, nec privatum auspicium
sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo no-*
69 *va atque integra concipere posse.* Quodsi apud Romanos
olim nefas habitum fuit, à Consule etiam ritè electo, qui ta-
men temporalis & anniversarius magistratus erat, iniri Consu-
latum sine consuetis auspiciis, quidni multò magis apud
Christianos Principes, & in populo Christiano id hodie ser-
vetur, ut electi Reges vel Imperatores non sine precibus, ce-
remoniis, votis publicis in coronationis actu fusis, celebra-
tisque regni Imperiive delati capessant auspicia, atque sic
non tantum ritè dicantur electi, sed & ritè suscepisse publi-
70 cam administrationem. Hinc Imperator ante coronationem
non comitia indicere, non leges ferre, non bellum decerne-
re, non pacem cum hoste Imperii facere, non fœdus Imperiale
scrire, non feuda regalia conferre, aut similia majoris mo-
menti

menti negotia Imperii publica, quatenus ad ipsum pertinent, ritè peragere videtur; quanquam facultas in aliis, quæ mi- 71
nus dubium habent, si Rex electus in interregno vel ante coronationem, jure regio quicquam suscipere vel peragere velit, non prorsum esset præclusa, quo numero maximè sunt privilegia, & nominatim Electoralium privilegiorum confirmatio, quam electus statim post electionem, & sic ante coronationem ex lege Aur. Bullæ facere debet *juxta tit. d. Bull.* 3. Et de hoc 72
genere argumenti universa quæstio est concessionis privilegiorum, utrum à Rege electo nec dum coronato facta subsistat? Subsistere per multa censuit Cynus *ad l. fin. C. de quadr. præscr.* quorum summum fundamentum est regiæ potestatis per electionem collatio, consentit *Innocent. ad c. venerabilem. n.* 2. *X. de elect.* & *Luc. de Penna ad l. un. n.* 6. *C. de reis post.* quam sententiam antehac secutus sum in *disp. Altdorff. de privil. ac dispens. th.* 3. & licet Lucas de Penna sibi contrarius 73
minùs rectè asserat *in l. un. n.* 5. *C. de aur. coron.* privilegia ab Imperatore nondum coronato haud rectè tribui, tamen in cæteris distinctio ejus inter negotia justitiæ & alia insignia vel majora, ut ea possit Rex electus, ante coronationem, non 74
verò hæc ritè peragere, rejicienda non videtur, neque contraria sunt: electione jus totum Imperii tribui, ejus tamen administrationem, in magnis præsertim negotiis, quæ non consueverunt inauspicatò peragi, commissam demum susceptamque videri post coronationem, quæ omnia tamen ex præmissis intelligo de Germanicâ Cæsaris vel Regis Romani coronatione, non de aliâ, quæ extra Germaniam Mediolani, Romæ vel alibi fiat; & sicut electio Germanica jus omne tribuit electo, quod in Germaniâ vel extra in Imperio competit, ita coronatio Germanica ubivis locorum administrationis legitimæ auspicia, proptereaque Imperator feuda etiam Italiæ Principibus ac vasallis Imperii rectè confert, licèt in Italia coronatus non sit. Deinde casum necessitatis 75

planè excipiendum arbitror, quòd veroſimile non ſit, ſi Reſpublica poſtulet, v.g. pacem, fœdus, vel tale quid fieri nomine Imperii, citò & priuſquam feſtivitas coronationis potuiſſet celebrari, tunc nihilominus cum damno publico conſueta auſpiciorum ſolennia eſſe expectânda; igitur illud vulgatum: *Neceſſitas non habet legem*, in publicis quoque valet, & neceſſitas Imperatorem electum, cui etiam ante coronationem non poteſtas juris, ſed auſpiciorum ritè adminiſtrandi ſolennitas deeſt, jam tunc ad quælibet Imperii etiam maxima negotia peragenda, tacito omnium pro republicâ conſenſu interprete, habilem feciſſe & con-
76 ſecrâſſe exiſtimanda eſt. Secundus coronationis effectus cenſetur publica notitia perſonæ Imperatoris vel Regis, dum electus throno Imperiali vel Regio impoſitus ſub coronâ aureâ in publico aſpectu comparet, quâ ex re electio & commiſſio Imperii quaſi renovatur ad authoritatem electo ſtabiliendam, ejuſque perſonam omnibus ac ſingulis
77 notam faciendam, ut loquitur Carpzov. *d. ſect. II. n.* 12. Sanè non illius tantum civitatis, in qua coronatio peragitur, ſed aliarum quoque urbium & multarum Imperii partium homines confluere ſolent ad coronationis actum, atque adeò dum turbæ præſentis conſpectui electus ſub infulis Imperialibus Regiisque ſiſtitur, univerſæ civium ac ſubditorum Imperii multitudini ſiſti videtur, oreque omnium ex acclama-
78 tione & votis eorum, qui adſunt, percipere gratulationes. Tertius coronationis effectus eſt tituli Imperatorii vel Cæſarei collatio, ſed hæc olim attributa fuit coronationi Pontificiæ, non Germanicæ, adeoque coronati etiam in Germania, non Cæſareum titulum, ſed Regium ſibi ſumpſerunt, priuſquam Pontificiam coronam acciperent; exempla ſuprà retuli in Henrico Septimo, Ludovico Bavaro ſive Quarto, & Ruperto Palatino, Romanis Imperatoribus vel Regibus, qui Cæſareo titulo vel planè non vel ſaltem non, ante coronationem Pontifi-

tifi-

tificiam usi sunt ; Extat hac de re dispositio Speculi Suevici cap. 17. hisce verbis : Die Teutschen kiesen den Kö- 79
nig/das erwarb ihnen der König Carle (Carolus Magnus) als das Buch sagt/ (quo nomine intelligi credo librum decretalium Pontificis in c. venerabilem. X. de elect.) wann er (der König) geweyht wird/ und auff den Stuhl zu Aach gesetzt wird/ mit derer Willen/ die ihn erwählt haben/ so hat er Königlichen Gewalt und Nahmen/ und ihn der Pabst geweihet hat/ so hat er völligen des Reichs Gewalt und Käyserlichen Namen. Sed erratum quondam in hoc fuisse, ex præmissis, & ipsâ Ludovici Imperatoris constitutione, abundè constat; si enim jus omne potestatis Imperatoriæ, ut rectè vult constitutio, electione confertur, & coronatio Pontificis ritus est minimè necessarius, certè per eandem nequit dici Imperatori obvenisse plena potestas cum titulo Cæsareo ; planè ut inter initia Imperii no- 80
stri ac diu pòst Cæsarea potestas ac titulus coronationi Pontificiæ adscriptus non est, per superiùs deducta & ea, quæ habet Conringius *d. l.* ita haud dubiè hodiè jam à Maximiliani Primi ævo, & potestate & titulo Cæsareo publicè usi sunt nostri Imperatores, quamvis à Pontifice coronati non fuerint, equidem Carolus Quintus, ut antè retuli, à Clemente 81
Septimo Pontifice coronam Bononiæ accepit, quem actum describit Goldastus in Politischen Reichshandlungen *lib.* 2. *cap.* 3. & celebratum refert die 24. Febr. 1530. Sed Imperatorem eundem jam antea post coronationem Aquisgranensem Cæsareo titulo usum, demonstrant tùm publicæ constitutiones Imperiales, quæ ab anno 1521. & sequentibus usque ad trigesimum illius seculi Codici constitutionum Imperii, sub ejus nomine sunt insertæ, tùm literæ ad Clementem Septimum & collegium Cardinalium missæ, quas exhibet Goldast. *tom.* 3. *const. Imp. p. m.* 492. & 493. Atque sic etiam 82
ante

ante ipsum avus antecessor Imperii à Pontifice non coronatus sub titulo Imperatoris electi literas dedit ad Leonem decimum, à Goldasto relatas *d. tom.* 3. *p. m.* 485. 486. & 487. Imò
83 in publicis variis negotiis pace fœderibus &c. hos Imperatores Pontificiâ inauguratione vel non, vel nondum coronatos sub titulo Cæsareo cum Pontifice convenisse, tabulasque pactorum utrinque subscriptas fuisse constat, nec uno loco formulas refert Guicciardinus historicus, quæ exempla secuti deinceps alii Imperatores nostri, ad hæc usque tempora post coronationem Germanicam, meritò utuntur Cæsareo titulo, ut docent leges Imperiique constitutiones, rescripta, privilegia, edicta, aliaque acta publica; quin ipsimet Pontifices, licèt à se non coronatis, Cæsarum electorum titulos attri-
84 buunt in literis suis; quale exemplum literarum Julii Secundi Pontificis ad Imperatorem Maximilianum Primum refert Goldast. in Polit. Reichs-Handlung. *p.* 2. *c.* 3. & Clemens Nonus cum intercederet pro Comite Nadasti ad invictissimum Imperatorem nostrum sub eadem inscriptione literas dedit, ut de justitiâ tituli Cæsarei seclusâ coronatione Pontificia, dubitare hodie non liceat, scilicet si electus vacante Imperio fuerit coronatus, adeoque duo erunt necessaria ad titulum Cæsareum, electio vacante Imperio facta, & subsecuta coronatio Germanica, quam hoc casu Cæsaream dicimus; etenim ante coronationem Germanicam neminem Electorum sibi Imperatorium vel Cæsareum titulum sumere, demonstrant omnes capitulationes, in quarum inscri-
85 ptione electi etiam vacante Imperio se non Cæsares, sed Reges Romanos electos vocant, Cæsareum verò decus ac titulum demum post coronationem habent; nec his contra-
86 rium est Ferdinandi primi exemplum in literis reversalibus suprà relatis, quibus utitur Cæsareo titulo; nam Ferdinandus Primus jam antea anno 1531. Aquisgrani coronatus fuit; igitur cum pòst resignatione fratris Caroli Quinti Imperium vacaret,

caret, is jam electus & coronatus successerat in jus, sicut quilibet Rex Romanus vivo Imperatore electus, non per coronationem statim, sed ubi aliquando vacaverit Imperium, Cæsareum jus ac titulum ipso actu acquirit; itaque electus nec dum co- 86
ronatus, aut coronatus vivo alio Imperatore, Cæsareo titulo interim abstinet. Illud constat, Imperatorem etiam coronatum hodie uti Cæsareo nomine sub respectu electionis, erwählter Römischer Käyser / quæ res tamen haudquaquam præbet argumentum minoris potestatis, quasi Imperator coronatus à Pontifice majus jus habeat vel in Germaniâ, vel in partibus Italiæ, & ipsâ urbe Româ; totius enim Imperii jus ut ele- 87
ctione Germanorum Principum confertur, ita per Germanicam coronationem, &, ut sic dicam, inthronizationem, ejusdem solennis confertur possessio, vel quasi cum titulo Cæsareo; nec sanè Carolus Quintus Imperator, postquam à Clemente Septimo Pontifice coronatus fuerat, majorem sibi vel in Italiâ vel Germaniâ Imperii nomine asseruit potestatem, adeò ut ne titulum quidem mutaverit, sed post annum 1530. & post 88
Pontificiam coronationem, titulo electi Imperatoris in constitutionibus, edictis, rescriptis, privilegiis &c. usus sit ut antè, insigni documento, istam coronationem nullum gradum addere aut momentum, sive ad jus Imperii supremum electione jam collatum, sive ad facultatem auspicatò administrandi, utpote Germanicâ coronatione jam acceptam; atque hæc de titulo & materiâ hac dicta sufficiant.

TITULUS IX.

DE IURIBUS CÆSAREIS IN GENERE.

SUMMARIA.

Num. 1. Reservatorum jurium nomen est recentioris ævi. 2. Frid. I. Imperator auctor habetur tit. quæ sint regal. in usib. feud. 3. Cæsarea jura differunt ab illis, quæ Cæsari non qua Cæsari competunt. 4. Regalia quid sint? 5. & 6.

 Afflict.

Afflict. sententia, quòd constitutio regalium à Friderico principaliter ad Regnum Siciliæ edita sit, reprobatur. 7. *&* 8. *Regalium distinctio in majora & minora refertur ac refellitur.* 9. *&* 10. *Regalium distinctio in majestatis & fisci regalia examinatur ac rejicitur.* 11. *Regalia plura Statibus communicata.* 12. *usque* 16. *Regalium communicatio ad Status diversa.* 17. *&* 18. *Reservata Cæsarea in genere definiuntur ac declarantur.* 19. *Regalia quatenus differant à reservatis.* 20. *Imperii Romano-Germanici veteris quoad regalium exercitium diversa conditio à moderno Statu.* 21. *&* 25. *Jura majestatis an & quomodo differant à reservatis ?* 22. 23. *&* 24. *Reservata discernuntur in absoluta & respectiva.* 26. *Reservata non confundenda cum comitialibus juribus.* 27. *&* 28. *Imperatori ex supremâ potestate jura regalia reservata censentur, quæ non constat ademta esse.* 29. *Regalium ademptio unde probetur ?* 30. *Regalium omnis communicatio aliquo modo quid de supremâ potestate videtur diminuere.* 31. *Jura regni vel Imperii an prorsus indistinctè nequeant abdicari vel transferri.* 32. *usque* 38. *Juramentum de non alienando an & quatenus reddat alienationem partium regni vel Imperii ipso jure nullam ?*

POtestatis supremæ translatio in Imperatorem Regemque Romanum electum variis juribus exseritur, ea vulgò no-
1 mina diversa & præprimis nomen reservatorum acceperunt; sed neque in veteri Principatu neque in Imperio Romano-Germanico per multa & illa utique secula, quibus Principibus & Statibus Imperii tot jura publica, quæ posterior ætas attulit, nondum fuêre communicata, aut non æquè radicata, reservatorum nomen innotuit; olim sanè regalia dicta sunt,
2 quæ Imperatori Regibusque Romanis jura publica competerent, ferturque Fridericus Primus Imperator ea jura colligi mandâsse, de quibus *in usib. feud.* titulus extat: *quæ sint regalia* vel (corrupto nomine) *regaliæ*. Hinc *Isern. Alvar. Afflict.*

Afflict. aliique feudorum interpretes titulum istum & constitutionem Friderico Imperatori attribuunt, ut Cujacius vel nomen ejus superscribendum haud dubitaverit; cœterum 3
quoniam & alia jura Imperatoribus Romanis erant vel esse poterant, hoc charactere regalia, secernuntur, quòd iisdem sub respectu Cæsareo vel Regio-Romano conveniant; habuit v. g. Fridericus Primus Imperator jura in Regnis Siciliæ & Neapolitano, item in Ducatu Sueviæ & Franconiæ, sed hæc non fuêre jura Cæsarea vel Regia Romana, uti nec alia, si qua Fridericus habuit ex privatis causis, hinc igitur regalia respectu Originis suæ sunt *jura publica* 4
Imperatori vel Regi Romano quà tali competentia. Neque enim deferendum est opinioni per *Afflict.* relatæ ad *rubr. quæ sint Reg. num. 5. vers. sed in contrarium.* quasi 5
sc. regalia hujus constitutionis tantùm pertineant ad Regnum Siciliæ, quia hoc prorsus sine fundamento scribitur, & nullum verbum hac de re in textu extat, quin potius contrarium apparet tùm ex dispositione antecedente ac consequente, quæ non ad Regem Siciliæ quà talem, sed Imperatorem vel Regem Romanum referenda, eaque jura, ut post dicetur, ex Romanis potissimum Legibus Principi vel Cæsari asseruntur, ut planè appareat, quæ & constans est interpretum sententia, Imperii Romani, non regni Siciliæ in *d. c. quæ sint regalia* jura publica declarari; quanquam ad reges exteros extendi posse constitutionem de regalibus haud negaverim, quæ & Afflicti est *d. l.* opinio. Ex quo tamen 6
asserto contra regalium descriptionem præmissam nihil solidi infertur, quia scopus unicus & Principalis hujus constitutionis collimat ad Cæsarea jura, ex accidenti verò est, si in aliis regnis eadem aut similia obtineant vel ratione potestatis Politicæ supremæ ad exteros reges desumatur argumentum; Ista verò jura cum varia sint, & quædam respiciant ipsum potestatis Cæsareæ vel regiæ apicem per se, quædam autem pu- 7
blica vel fiscalia compendia, consueverunt secerni in regalia

majora & minora, quorum illa specialiter jura majestatis ap-
8 pellantur, hæc non æquè; sed non defuerunt, qui huic regalium distinctioni contradicerent; reverà enim & illa, quæ extra commoda pecuniaria exercentur, ut nomothesia, pactio fœderum similiaque, & quæ compendium publicum vel fiscale afferunt, ut collectæ, supremæ potestati, quà tali competunt, adeoque hæc non minus, quàm illa sunt ac dici debent regalia majora; accedit regula Logicorum, quod majus & minus non varient speciem, sicut si homines videamus diversos staturâ majores & minores, itaque distinctio regalium in majora & minora non esse poterit specifica, sed ad summum erit distinctio subjecti secundum accidentia, quòd quædam regalia, commoda quæ diximus, includant, quædam non, quanquam omnia supremæ potestati, quà tali,
9 competant. Nec felicior est divisio Cujacii, Boceri, aliorumque Neotericorum, qui jura, de quibus loquimur, secernunt in regalia majestatis & fisci; nam per fisci regalia in effectu intelligunt minora vulgo sic dicta, & per regalia majestatis majora; licet ergò nomina hæc concinniora, & ad ex-
10 pressionem aptiora videantur; divisio tamen per se melior vel accuratior non est, quoniam regalia, sive fisci sive minora vocentur, supremæ potestati quà tali competunt, & sic non est solida ratio, cur à regalibus majestatis penitus separentur; consideremus per exemplum jus collectarum vel tributi publici, manifesta certè apparet ejus in republicâ necessitas; neque enim militia Imperialis sine collectis vel tributis commodè conservati, nec publici sumptus promptè expendi possunt; unde, cum ad honorem & necessitatem conservandæ reip. hoc jus pertineat, meritò ad regalia majestatis referri debet, quamvis publicum afferat compendium
11 pecuniarium. Planè jurium regalium varia vel majorum vel minorum nomine insignita Principibus & Statibus Imperii sunt communicata, illa præcipuè, quæ Principatus cujusque
vel

vel territorii administrationem concernunt, de quibus suo
loco; ast non omnia communicata sunt, sed insigniora su-
premæ potestati Cæsareæ, Regiæque retenta, quæ quidem
propriè dicuntur jura reservata, de quibus titulis sequentibus
dicetur. Distinctio tamen ulterior hîc quoque subjicienda;
nam quædam Cæsarea jura prorsus non sunt communicata,
ut v. g. jus investituræ de feudis Imperii, creationis Principum, 12
privilegiorum Academicorum &c. quædam nequeunt qui-
dem dici omnimodè communicata, sed reverà tamen sunt
communicata certo respectu & secundum quid, ut est nomo-
thesia, jus mulctarum, concessionis veniæ ætatis, & similia,
quæ Principes Statusque exercent in suis territoriis, etsi non
eo modo, quo Imperatori, hæc ipsis competant, quòd scilicet
tantum ratione territorii vel in homines suæ ditionis usu so-
leant obtinere, cùm Imperator respectu totius Imperii talia
jura sano sensu habeat; unde originem probabiliter traxit 13
celebre axioma: Imperatorem per totum Imperium idem
posse, quod singuli Principes vel Status in suis possunt territo-
riis: quæ assertio non universalis, &, nisi rectè explicetur, fal-
sa est, cumprimis non procedit in illis juribus, quæ Statibus
Imperii prorsus non [illegible] communicata, qualia quædam ex-
empla modò retuli, in jure investituræ de feudis Imperii &
similibus, quæ Imperator per totum Imperium conferre po-
test, Principes autem cæteri & Status in suis territoriis non 14
possunt; & per inversum alia jura Statibus communicata
sunt penitus, quorum exercitium ipsi habent in suis territo-
riis, Imperator quà talis in universo Imperio non habet, ut
est exemplum functionis tributariæ, Landsteuer oder Scha-
tzung / & quæ id genus alia sunt. Igitur regula præmissa tan-
tùm obtinet in communicatis secundum quid, non his juri-
bus, quæ omnimodè ad Status sunt translata, ita v. g. uti Im-
perator per totum Imperium concedere potest veniam æta-
tis quibuscunque petentibus, ita Principes Imperii sui territorii

hominibus tantùm, & uti legitimare potest Imperator quoscunque illegitimos per Imperium, ita Principes alii Statusque homines tantum suos vel sibi ratione territorii subjectos,
15 idemque in similibus. Rursus sunt quædam jura Statibus non communicata, quæ tamen circa concursum Statuum exerceri non possunt, ut jus propositionis Cæsareæ in Comitiis, & omninò jus obfirmationis conclusorum comitialium in publicis Imperii negotiis, hæc sanè jura per se Imperator solus habet; neque enim Princeps aliquis vel Status Imperii consortium propositionis Cæsareæ vel conclusorum obfirmationis sive ratihabitionis sibi arrogat, & tamen quia Ordines concur-
16 runt, deliberando statuendoque de his, quæ rempublicam concernunt, jura illa comitialia sunt, non verò significatione strictiore reservata, quanquam non negaverim latiore sensu, quòd soli Imperatori competant, ad reservata Cæsarea reduci
17 posse. Secundum hæc igitur *reservata* propriè sic dicta sunt *jura publica Imperatori vel Regi Romano quà tali competentia, neque ordinibus communicata, neque à concursu vel consensu eorum universali in exercitio dependentia*; generis loco posui *publica jura*, sed ad differentiam jurium publicorum in aliis regnis vel provinciis, ad[illegible] *Imperatori vel Regi*
18 *Romano quà tali competentia*; præterea ad distinctionem jurium Statibus Imperii communicatorum, addidi verba: *neque ordinibus communicata*, tandem ut secernerem reservata propriè dicta à juribus Cæsareis comitialibus, subjunxi: *neque à concursu vel consensu eorum universali in exercitio dependentia*; nolo enim in genere dicere cum Stamlero *de reserv.* §. 3. *n.* 13. quòd reservata sine Ordinum vel Electorum consensu exerceri queant, quia sunt reservata restricta, ut infrà dicetur, quæ verè & in substantiâ reservata sunt, licèt in exercitio
19 dependeant ab Electorum consensu. Itaque sufficiet excludi consensum comitialem à reservatis strictè & propriè sic dictis, quorum adeò descriptio ex hactenus deductis satis inclarescit,

ut

ut explicatione ulteriore indigere non videatur. Ex his autem apparet, regalia differre hodiè à reservatis, ut genus à specie; nam reservata omnia ex definitione & vi supremæ potestatis regiæ competunt Imperatori vel Regi Romano, atque adeò sunt regalia, minimè tamen contrà: quæcunque regalia eadem & jura reservata sunt, quia multa Statibus communicata hodiè regalium nomine veniunt, quæ tamen reservatis annumerari verè & propriè non possunt, omnia scilicet jura, quæ Imperatores quondam per totum Imperium habuerunt, posteriori verò ævo permisere Principibus & Statibus, sive per investituras, sive per alias concessiones, sive per consuetudinem, sub genere sunt veterum regalium, hodiè vero à reservatis segregata; neque existimandum est, eandem fuisse veteris 20
Imperii Romano-Germanici faciem, quæ hodiè cernitur, cùm Imperatores in ipsis provinciis ac territoriis Principum Ordinumque Imperatoria exercerent jura, quæ temporum progressu obliterata sunt, Statibusque accesserunt incremento, & hodiè à reservatis Cæsareis solent distingui. Eâdem ratione & jura majestatis â reservatis diffe- 21
runt, quia omnia reservata haud dubiè sunt majestatis jura, vi supremæ potestatis, quæ politicis Scriptoribus majestas est, Cæsari competentia, sed non contrà, omnia jura majestatis reservata sunt; excipiuntur enim in primis comitialia, veluti jura legum ferendarum, belli, pacis, fœderum, delectuum, hospitationum, munimentorum & similia, per *Instr. Pac. art.* 8. §. *gaudeant.* ea quippe jura constat ad majestatem vel supremam potestatem civilem referri, quæ in Imperio penes Imperatorem est, & tamen hodiè ei non competunt quoad exercitium, separatim à Statuum deliberationibus, *d.* §. *gaudeant*. Et hactenus de reservatis Cæsareis in genere, tùm de regalibus ac majestatis in Imperio juribus, quid sint, quâque ratione invicem differant, diximus. Videndum nunc, quâ ratione reservata in 22
se distinguantur, cujus rei fundamentum ex præmissis repeti debet,

debet; regalia enim vel planè non communicata Principibus sunt Statibusque Imperii, vel communicata certo respectu & secundum quid, vel non tam communicata, quàm penitus & privativè translata, quæ de tertio genere sunt à reservatis planè segreganda veniunt, sed priora reservatorum nomine gaudent, quorum quædam absoluta sunt, omnem videlicet communicationem excludentia, ut priori loco
23 relata quædam, quæ certo modo vel respectu Statibus communicata, secundum quid reservata sunt, nempe secundum illum modum, quo Imperator hæc jura ut præcipua sibi retinuit; v.g. Status Imperii in suis territoriis concedere veniam ætatis, ex observantiâ & quotidianâ
24 praxi notum est, Imperator tamen & ipse absque dubio hodienum per totum Imperium jus habet concedendæ veniæ ætatis, ergò hoc jus ut universale, est de reservatis, quia hoc modo & ratione nulli Principum Ordinumvé est communicatum, simpliciter verò acceptum, quia Principes & Status in territoriis suis & homines suos illud habent atque exercent, non est de reservatis, idemque in similibus aliis, unde reservata in absoluta & respectiva haud immeritò secerni posse videntur. Quoniam verò & quæ sint reservata Cæsarea, quæque absoluta vel respectiva, ulterioris est indaginis. Si Rosenthalium sequi-
25 mur in *Synops. feud. cap. 5. conclus. 2. n. 2.* quoniam pro synonymis accipit cum regalibus majoribus vulgo sic dictis, reservata tot erunt, quot regalia majora, sive jura Imperatoria extra reditus & pecuniaria commoda, sed quia plura ex Cæsareis juribus, quæ Doctores vulgò regalibus majoribus annumerant, Principibus Statibusque Imperii communicata sunt, ut partim ex præmissis colligere licet, partim ex infrà dicendis apparebit clarius,
26 sententia illa firmo fulcro non subsistit. Hermes in *fasc. jur.*

jur. publ. c. 11. *à n.*6. *ad usque n.* 58. viginti enumerat jura reservata, sed admiscet etiam comitialia vel Statibus communicata, quâ confusione etiam alii laborant, & inter illos *Reinking. de Reg. sec. & Eccles. lib.* 1. *class.* 3. *c.* 12. Ne igitur similiter impingamus, operæ pretium arbitror regalia jura per se specialiter considerare, tùm quæ alia ex jure communi Cæsari competant, ostendere, inde sigillatim quid Imperatori retentum, quid Statibus communicatum fuerit vel non, disquirere, atque sic materiam hujus puncti reliquam distinctis titulis declarare, sed supponenda sunt ac 27
præmittenda quatuor axiomata: 1. Imperatori vi supremæ potestatis adhuc omnia jura Majestatis competere, quæcunque non sunt mutata vel translata, hoc axioma manifestâ juris regulâ nititur, mansisse sc. jura in eodem statu, in quibus mutatio vel translatio nulla contigit. 2. Præsumptionem esse pro juribus reservatis, nisi clarè constet de mutatione, quæ ut accidens non præsumitur, sed est ab allegante probanda. *l. cum* 28
tacitum. 3. *l. cum qui.* 22. *ff. de prob. l. sancimus.* 27. *C. de testam. l. præcipimus.* 32. *§. fin. C. de appell. Alex. Imol. lib.* 5. *cons.* 146. *n.* 19. *Roman. cons.* 295. *num.* 8. *Alciat. de præs. p.* 3. *Reg.* 2. *præs.* 16. *Menoch. lib.* 4. *præs.* 165. *n.* 3. & *præs.* 167. *n.* 27. Hanc verò mutationem probari 3. vel ex 29
Imperii nostri legibus, præsertim capitulationibus Cæsareis, vel ex concessionibus, vel ex consuetudine; igitur si de nullo horum certò & indubitatò constat, putà, si nec ex legibus Imperii monstrari queat mutatio regalium, nec ex privilegio aliquo vel indulto, nec notoria aut firmâ consuetudine, tunc Cæsari jus hoc vel illud regale, de quo fortè quæritur, adhuc competere, asserendum erit, salvo insuper discrimine inter exercitium sive promissionem de non exercendo & nullitatem actus, quâ de re infrà. Axioma 30
4. hoc ponimus: omnem communicationem regalium jurium Statibus factam deminuere aliquid de perfecto gradu

reſervatorum, ſecundum quem ſoli Imperatori per Imperium jura illa attribuenda, non omnem tamen, ſed ſolam privativam translationem ejusmodi jurium ad Status, in perſonâ Imperatoris eadem penitus cenſeri aboleviſſe. Itaque ſi quædam Statibus ſimpliciter communicata ex privilegio conceſſa vel per tolerantiam immemorialem permiſſa ſint, ab Imperatore & Statibus exerceri poterunt, quanquam diverſimodè, nimirum ab Imperatore, ut jura univerſalia vi majeſtatis competentia, à Statibus verò, ut jura particularia ſive ad provinciam, certa loca, territorium vel homines de territorio reſtricta & conceſſione ſubnixa, ſecundum ea, quæ ſuprà jam
31 deducta ſunt. Neque his obſtat quod dici ſolet: jura regni vel Imperii non poſſe abdicari ab Imperatore vel Rege, adeoque non in alios transferri, id enim abſolutè & indiſtinctè verum non eſt, ſed ubi Imperator vel Rex prohibetur lege, quò
32 minus alienet; in Germaniâ autem noſtrâ, præſertim ante capitulationes Imperatores de partibus & juribus Imperii liberiùs diſponere, taliaque transferre vel alienare potuiſſe, inter cætera documento eſſe poſſunt Delphinatus Galliæ & vectigalia Rheni, quæ cum antè juris Imperii fuiſſent, ætate Caroli Quarti Imperatoris translata conſtat; idemque variis & partibus & juribus Italiæ contigiſſe, negandum haud
33 facile videtur, quibus de rebus ſuprà dictum eſt. Ac licet jam olim Rex Romanus fuerit jurejurando obſtrictus, ne quid partium vel jurium Imperii alienaret, uti ex *Spec. Suec. c.* 21. apparet, tamen non eſt certum hoc juramentum ab omnibus Regibus vel Imperatoribus Romano-Germanicis fuiſſe præſtitum, & ſi vel maximè à cunctis præſtitum eſſet, hoc tamen
34 juramentum, quia verba Speculi Suevici *d. l.* non tollunt in ſubſtantiâ alienandi poteſtatem, ſed vinculo juramenti tantum adſtringunt, per ſe non redderet alienationem ipſo jure nullam, quia alienatio contra juramentum de non alienando facta nulla non eſt, licet alienans incurrat perjurium,

prout

prout de jure responderunt ac tradiderunt plures magnæ aucto- 35
ritatis Doctores; *Abbas Panorm. vol. 2. conf. 3. circ. fin. & conf. 48. num. 4. Paul. de Castro part. 1. conf. 340. num. 1. & per tot. Alex. Imol. vol. 3. conf. 16. num. 3. Jason. vol. 2. conf. 211. num. 3. Ruin. vol. 4 conf. 109. num. 26.* consentiunt *Gometz. ad l. 53. Tauri num. 58. vers. secundò principaliter. Gabriel. lib. 2. de jurejur. Commun. conclus. 1. num. 15. Guttierez de juram. confirmat. pag. 1. cap. 45. num. 4. Card. Tusch. tom. 4. conclus. 512. num. 1. & sequ. lit. J. Barbosa ad l. fin. num. 29. C. de reb. al. non alien.* Quicquid con- 36
tra sentiant nonnulli, quos inter sunt *Cephal. conf. 41. num. 10. Roll. à Valle lib. 1. conf. 6. num. 54. Menoch. conf. 63. num. 20. Seraphin. de privil juram. 158. num. 1. & 2.* Quoniam horum sententia aliter admittenda non est, quàm si ipsa alienandi potestas certò interdicta foret, quo casu si insuper juramentum datum esset de non alienando, superveniens alienatio, quoniam incideret in speciem actus per se illiciti, ipso jure non valeret, eoque etiam sensu haud dubiè intelligendus est textus. *c. intellecto. 33. X. de jurejur.* ubi alienatio partium 37
regni à Rege Hungariæ facta contra juramentum de non alienando, improbatur, velut jure non subsistens, quia Regi juratâ promissione ipsa alienandi facultas interclusa fuisse videtur, quò quidem magis est, ut in tantis negotiis si mens paciscentium appareat, eos voluisse alienationem per se invalidam esse, inclinemus, cum aliàs, si ex usu & observantiâ constaret, antecessorum Regum alienationes, non propter præstitum juramentum 38
pro invalidis habitas esse ab Ordinibus regni, credi posset, juramentum adjici pro vinculo majoris fidei, non ut per se tollat validitatem actus in substantiâ. Sed de his hactenus dictum sit, in genere progrediendum nunc ad jura Regalia & reservata in specie eâ methodo, ut Regalia ex Const. Frid. & jure civili præmittantur, tùm de reservatis Cæsareis circa Ecclesiastica, & pòst de secularibus, pro statu moderno disseramus.

Mm 2 TITU-

TITULUS X.

DE REGALIBUS EX CONSTIT. FRIDERICI PRIMI IMPERATORIS ET ALIIS EX JURE ROMANO.

SUMMARIA.

Num. 1. *Regalia ex Const. Friderici Primi Imperatoris referuntur viginti quatuor.* 2. *Armandiæ quid sint, & quæ sub illis comprehendantur.* 3. *Viæ publicæ*, Käyserliche Landstrassen / *sunt de regalibus ratione juris supremi & protectionis.* 4. *Flumina publica annumerantur regalibus.* 5. *Portus de regalibus est.* 6. *Portorium licèt vulgò confundantur, differt à pensitatione portus.* 7. *usque* 18. *ripatica quid sint, juxta diversas sententias & ex veritate declaratur.* 19. *Vectigal quid sit.* 20. *Vectigalis & percipiendi & concedendi jus de regalibus est.* 21. *Vectigalium concessio hodiè consensui Electorum alligatur.* 22. 23. *&* 24. *Monetarum jus de regalibus est, & paucis declaratur.* 25. *&* 26. *Mulctarum pœnarumque compendia sunt de regalibus.* 27. *&* 28. *Bona vacantia regalibus accensentur.* 29. *Prædia deserta inexculta in dubio conferri à Principe possunt, salvo domino priori intra biennium jure receptionis.* 30. *&* 31 *Bona vacantia ante nunciationem & incorporationem, fisci nondum sunt.* 32. *Bona vacantia transeunt ad fiscum cum onere æris alieni, sed non ultra æstimationem bonorum.* 33. *usque* 36. *Fisco incumbit onus solvendi legata de bonis vacantibus, salvâ eorum æstimatione.* 37. *Bona quæ ut indignis auferuntur, de regalibus sunt.* 38. *&* 39. *Bona ut indigno si fiscus velit auferre, & in similibus aliis, in dubio cognitione causæ & sententiâ opus est ante capturam.* 40. *Bona incestas*

nuptias

nuptias contrahentium referuntur ad regalia. 41. *&* 42. *etiam inter collaterales. n.* 43. 44. *&* 45. *Pœna confiscationis propter incestas nuptias non habet locum in sponsalibus incestis.* 46. *Pœna incestarum nuptiarum non est extendenda ad concubitum incestuosum extra matrimonium.* 47. *Ignorantia facti excusat à pœnâ incestarum nuptiarum, non verò ignorantia juris, nisi nuptiæ incestæ sint, contra jus gentium.* 48. *&* 49. *Sententia declaratoria facti, non pœnæ requiritur, in confiscatione bonorum propter incestas nuptias.* 50. *Bona condemnatorum ad mortem ac proscriptorum sunt de regalibus.* 51. *Confiscatio extra crimen læsæ majestatis, vel ubi per recentiores leges irrogatur, non habet locum, si sint ascendentes vel descendentes ad tertium gradum.* 52. *usque* 58. *Bonorum confiscatio in quibuslibet criminib⁹ capitalibus adhuc hodie locum habet, si nec ascendentes, nec descendentes, vel collaterales ad tertium gradum supersint.* 59. *Proscripti qui sint, & quomodo à condemnatis ad mortem differant.* 60. *usque* 66. *Angariarum & perangariarum jura in regalibus posita quid propriè sint, & quomodo invicem discernantur?* 67. 68. *&* 69. *Plaustrorum & navium præstationes de regalibus sunt Principis, sed à parte subditorum onera, ut alia similia.* 70. *Collatio extraordinaria ad Cæsaream expeditionem est de regalibus.* 71. *usque* 75. *Collatio ad expeditionem Cæsaream non de solofodro, quod vocant, sed pecuniariis quoque pensitationibus intelligi debet.* 76. *usque* 80. *Collatio ad expeditionem Cæsaream, an & quo sensu sit munus ordinarium vel extraordinarium.* 81. *Subcollectationes subditorum restringuntur ad necessitatem Reip. & cujusque Status competentem portionem.* 82. *Magistratuum constitutio de regalibus est.* 83. *usque* 86. *Magistratuum constitutio intelligitur etiam de feudorum regalium investituris.* 87. *&* 88. *Magistratuum constitutio accipitur de judiciis Imperii.* 89. *&* 90. *Argentariæ sunt de regalibus, & quid comprehendant.*

 91. *&*

91. & 92. Metallifodinæ generaliter omnes ad regalia referuntur. 93. Palatia civitatum sunt de regalibus. It. Palatia civitatum sunt de regalibus. 94. Palatia & prætoria quomodo differant? 95. Piscationum reditus de regalibus sunt, sed non ex jure communi. 96. usque 99. Per Piscationum reditus quid intelligatur? 100. & 101. Salinæ item regalibus accensentur & quatenus? 102. 103. & 104. Bona committentium crimen læsæ majestatis divinæ vel humanæ annumerantur regalibus. 105. In Imperatorem & Electores crimen læsæ majestatis committitur. 106. Sententiâ opus declaratoriâ facti in crimine læsæ majestatis. 107. 108. & 109. confiscatio bonorum mortuo reo ante sententiam non procedit contra heredes, nisi in crimine perduellionis. 110. usque 113. Thesaurus est de regalibus, & quo sensu? 114. Suprema & universalis jurisdictio est de regalibus. 115. Exemptio à lege positivâ est de regalibus. item 116. Regalium numero sunt jus conferendi dignitates, & 117. jus nobilitandi. Porrò 118. 119. & 120. instituendi studii universalis jus. Sed & 121. jus nundinarum concessionis, item 122. & 123. Indultum moratorii, item 124. jus dandæ veniæ ætatis, atque 125. jus arrogationis obfirmandæ, nec minus 126. & 127. jus legitimandi. item 128. jus gratiosæ restitutionis. 129. usque 132. Gratiosa restitutio plena est & minus plena. 133. usque 138. jus dispensandi de regalibus est, & Imperatori competit in nuptiis, testamentis, aliisque juris positivi articulis. 139. jus concedendæ immunitatis de regalibus est. 140. Dispositio circa religionem & personas Ecclesiasticas jure Romano de regalibus est.

REgalia superiori capite descripta, ac in genere declarata, alii pauciora numero, alii plura tradidêre; mihi id propositum est, sequi verba constitutionis Fridericianæ, *quæ sint*

regal.

regal.2.F.56. quo intuitu viginti quatuor regalia enumero, non quòd negem in pauciora contrahi posse, sed ut verba constitutionis servem, eorundemque ductum sequar. Sunt igitur dictæ 1
constitutionis regalia hæc: (1) armandiæ, (2) viæ publicæ, (3) flumina navigabilia, (4) portus, (5) ripatica, (6) vectigalia, quæ vulgò dicuntur telonia, (7) monetæ, (8) mulctarum pœnarumque compendia, (9) bona vacantia, (10) bona, quæ ut indignis per leges auferuntur, (11) bona contrahentium incestas nuptias, (12) bona condemnatorum & proscriptorum, secundum quod in novis constitutionibus cavetur, (13) angariæ, (14) parangariæ, (15) plaustrorum & (16) navium præstationes, (17) collecta extraordinaria ad felicem expeditionem regalis numinis, (18) potestas constituendi magistratus, (19) argentariæ, (20) palatia in civitatibus, (21) piscationum reditus, (22) salinarum reditus, (23) bona committentium crimen læsæ majest. (24) thesaurus in loco Cæsaris vel religioso inventus, qui in fortuitâ inventione ex dimidio, in studio factâ totus Cæsari cedere dicitur. Horum regalium, quæ alii in pauciora contraxêre, subjiciam brevem declarationem, quò magis constare per subsequentia possit, an & quæ ex illis hodienum sint de reservatis Cæsareis. Primò itaque occurrunt armandiæ, quas omissâ veterum ineptâ interpretatione, qui hoc nomine nescio quod ve- 2
ctigal ex armentis vel aliunde pendendum intellexerunt, cum Cujacio, Hottomanno, Borcholt. Rosenthalio, Vultejo, & aliis Neotericis in explicatione *d.c.un.quæ sint reg.* accipio de armorum fabricis, vel potius in universum de armorum jure, quòd Principes Romani id jus sibi solis vindicaverint. *l.un.C.ut arm.us.insc.Princ.interd.sit.Nov.* 85. Huc igitur non tantùm armamentaria, vulgò Zeughäuser / sed & delectus militares, Werbungen / exercitia item militum in armis, ac lustrationes, vulgò Musterungen / cæteraque usum armorum concernentia referri debent. 2. Viæ publicæ inter regalia referun- 3
tur, Käyserliche offene Landstrassen / quarum dispositio

& jus

hoc sensu intellecti; latiùs verò accepit ripaticum *Peregr. de jur. fisc. c. 1. n. 24.* nempe pro omni jure, quod Princeps habet in ripis, sive respectu vectigalium sive aggerum, sive juris transvehendi, sed is ab aliis refellitur, nominatim à *Bocero de regal. c. 3. n. 136.* & *Hackmann. de jur. agger. c. 5. n. 62.* quanquam si cum *Sixtino d. l. n. 8.* ripaticorum nomine generaliter intelligamus proventus & commoda, quæ tanquam vectigal Princeps occasione riparum percipit, posito scilicet, si plura sint, non videam, quid absurdi hæc sententia habeat, *Alvarot. in d. c. quæ sint regalia. n. 2.* ripatica gabellas esse ait, quas sol- 10 vunt nautæ cum navi transeuntes de unâ ripâ ad aliam; ejus opinionem probat *Bocerus d. l.* sed admiscet causam, ob id scilicet solvi hoc vectigal, quòd nautæ ripam nave appellant, & ad eam morentur consistantque, quæ circumstantiæ à sententiâ Alvaroti plurimùm differunt; nam juxta Alvarotum, si qua navis de ripâ ad ripam transit, solvi debet vectigal ripaticum, sed juxta Bocerum ita demum, si ad ripam appellatur, ibidemque nautæ alligatis navibus aliquandiu consistant & morentur; duas verò addit rationes Bocerus, ut 11 hanc assertionem probet, nempe connexionem ex textu *d. c. quæ sint regalia.* quod vectigal portus immediatè præcesserit, ita sano sensu intelligendum, ut solvatur pro receptione tuâ & commoratione navium in portu; deinde maximè nititur constitutione Caroli Magni à Cujacio relatâ in *d. c. quæ sint regalia*, quâ hic Imperator voluerit, ut quidem vectigal præstaretur, si navis ripam appulerit, non etiam si per medium flumen vel sub pontem transierit. Sed utraque ratio Boceri 12 nihil valet, prior quidem quòd nullum sit fundamentum à vectigali portus ad ripaticum argumentandi, quia Imperator Fridericus utrumque refert seorsim in *d. c. quæ sint regalia*, non ergò major ratio connexionis materiarum, quasi ripatica ex portu explicanda sint, obtinet, quàm à ripaticis ad monetas, quæ proximè sequuntur. Quod verò Caroli

9 (margin, beside first line)

Magni constitutionem attinet, non eam retulit Cuiacius *d. l.* de ripaticis, vel quasi hæc fuerit sententia Carolinæ hujus sanctionis: De navibus, quas nautæ ad ripam appellerent, ibidemque alligarent & commorarentur, debere solvi vectigal, quanquam naves per medium flumen vel sub ponte transeuntes voluerit à præstatione vectigalis esse immunes.
13 Certè idem Imperator Carolus Magnus in *Capitul. cap.* 13. *apud Goldast. tom.* 3. *Const. Imper. p. m.* 157. (quæ forsan ipsa est ex Cuiacio relata constitutione) de teloniis statuit hisce verbis: *Placet nobis, ut antiqua & justa thelonea* (ita hæc vox scripta) *à mercatoribus exigantur tàm de pontibus, quàm de navigiis & mercatis; nova verò seu injusta, ubi NB. vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontem transitur, seu his similia, in quibus NB. nullum adjutorium iteranti-*
14 *bus* (fortè itinerantibus) *præstatur, ut non exigantur.* Ex quâ lege apparet, circa ætatem Caroli Magni, aut prius tempore Longobardorum introducta fuisse vectigalia nova & injusta visa Carolo, utputà, si qua navis sub pontem transiret, quòd tunc exactum sit vectigal; item, quòd navigii funes protensi essent, annon verò hîc subintelligere possimus ipsam illam alligationem navium ad ripas vel arbores fortè riparum, ubi pro-
15 tensione funium opus est? Hæc verò res, quæ juxta Romanas leges anteriores libera erat, adeoque immunis à præstatione vectigalis, per §. 4. *Inst. de rer. divis. & l. riparum.* 5. *princ. ff. eod.* posteà immutata esse videtur, ut adeo inusitata vectigalium genera hinc emerserint, sed ea Carolo Magno visa injusta; itaque ex istâ Carolinâ lege, ripatica Boceri sensu intellecta patro-
16 cinium firmum haud inveniunt; nec sanè si rem ipsam consideremus, satis congruum videtur, ripatica ita intelligere, ut ex transitu fluminis de ripâ ad ripam solvantur à nautis, quasi vectigal quoddam ex navibus hinc deberent; cur enim non similiter ex accessu ad ripam, & alligatis ibi navibus idem præstaretur, tametsi non ex alterâ ripâ naves essent transvectæ? At con-

constans ac recepta opinio ripatica pro gabellis accipit pro 17
transitu de ripâ ad ripam debitis, quæ res commodissimè declaratur de trajectione personarum & rerum in cymbâ majore publicâ, ut quemadmodum pro transitu per pontes, ita pro transitu de ripa ad ripam mediâ tali cymbâ, ut suprà scripsi, vectigal exsolvatur, cui optimè con- 18
venit ratio legis Caroli Magni, quòd nimirum hoc modo itinerantibus adjutorium publicum scilicet ipsa transvectione de ripâ ad ripam præstetur, adeoque gabella, quam vocant, vicissim justè exigatur. Sextum regale Fridericianæ constitutionis vectigalium est, accipitur autem hoc vocabulum in significatione strictâ, prout verba legis ipsius declarant, ibi: *Quæ vulgo dicuntur telonia*, quo sensu vectigal *est publica* 19
pensitatio ob mercium importationem vel exportationem Principi solvenda d. l. cum in plures. §. pen. l. universi. 5. l. omnium. 6. l. ex præstatione. 7. l. fin. C. de vectig. quanquam latiore significatione vectigal alias quoque res præter merces complectatur. *d. l. inter publica. & l. Imperatores. 7. ff. de public. & vectig.* ubi idem denotat, quod tributum vel tributaria functio. Illud omittendum hoc loco non est, non tantum 20
jus percipiendi vectigal, sed etiam concedendi de regalibus censeri *per l. vectigalia. 10. princ. ff. d. t. de public. l. non solent. 3. & tot. tit. C. vectig. nov. instit. non posse.* quo intuitu vectigalia ad regalia majestatis refert Bocerus *d. l. n.* 183. ad fisci verò regalia jus percipiendi vectigal, quanquam hæc distinctio non satis firmo nitatur fundamento, quòd etiam ad fiscum Cæsareum quà talem pertinentia non ex concessione superioris, sed potestate Imperatoriâ supremâ, adeoque jure majestatis, non minus quàm cætera vulgò sic dicta majora regalia competant, ut suprà dixi; planè jus concedendi vectigalis 21
hodiè Germanorum legibus Imperator nonnisi de consensu Electorum exercet, *Rec. Imp. de anno* 1576. §. Weiters seynd

wir auch 116. idque per capitulationes. d. art. Wir sollen und wollen auch insonderheit. jam inde à Caroli Quinti Imperatoris temporibus dispositum reperitur; Sed est singulare in capitulationibus novissimis Leopoldi Augustissimi Imperatoris nostri & Josephi Regis Romani *d. art.* Wir sollen und wollen auch insonderheit. *Leop. Capitul.* 21. & *Joseph. art.* 20. quòd non tantùm Electorum consensus collegialis, sed & unanimis requiratur in concessione novi vectigalis vel augmento ve-
22 teris, quâ de re nunc pluribus non ago. Ad regalia referuntur 7. monetæ, *in Constit. Frid.* quo nomine haud dubiè intelligitur jus monetarium sive cudendæ monetæ, de quo est textus *l. si quis nummos. 2. C. de fals. mon.* ibi: *in monetis etenim tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus.* Est autem moneta nihil aliud, nisi nummus publicâ auctoritate pro vicissitudine rerum promer-
23 calium legitimè fabrefactus. Origo ex jure gentium descendit, cùm aliàs rerum commercia haud exerceri congruè possent, conf. *Aristot. lib. 6. Polit. & Paul. JCtus in l. 1. pr. & §. 1. ff. de contr. empt.* Sed nihilominus jus hoc ad supremas potestates in qualibet Republ. pervenit, hinc in regno Rex, in aristocratiâ Optimates, & in Republicâ strictè sic dictâ populus, ut aliarum rerum, sic & monetarum supremum jus habet ac dispositionem, eâdemque etiam de causâ à Christo Salvatore impugnata legitur Judæorum libertas ex Cæsareâ monetâ, quâ utebantur inviti, ac in Imperio præter Constit. Frid. in-
24 ter regalia insigniora referri jus monetarium, apparet ex *Rec. Imp. de anno* 1524. §. Dergleichen hat. 25. in verbis: Regalien der Müntz. nec non ex *Rec. Imp. de anno* 1551. § So haben wir. 46. ibi: Mit dem Regal der Müntz gepreget / & præcipuè ex *Rec. Imp. de anno* 1570. §. Alsdann auch. 132. ubi Maximil. Secundus Imperator jus monetæ fabricandæ, Müntz-Gerechtigkeit vocat Cæsareum regale, Käyserli-
25 ches Regal / & mox iteratâ vice, unser Regal. Jus quod 8. refer-

refertur, regale est mulctarum pœnarumque, quæ describi possunt: præstationes pecuniariæ auctoritate publicâ pro delicto irrogatæ; differunt verò mulctæ & pœnæ, quòd hæ à lege sint definitæ, illæ non, sed arbitrio judicis determinentur. *l. aliud.* 131. § 1. *l. si qua pœna.* 144. *circa fin. ff. de verb. signif. c. de causis.* 4. *vers. illis.* X. *de off. & pot. jud. deleg.* Sed annon mulctarum pœnarumque compendia jure Romano ad Magistratus pertinent, adeoque non sunt de regalibus? Minimè secundum regulam per *l. mulcta-* 26
rum. 5. *C. de mod. mulct.* quanquam casus aliqui ponuntur excepti *in d. l. mulctarum. l. prætor.* 3. §. 5. *ff. de sepulchr. viol. l. quicunque.* 8. §. *fin. circ. fin. l. de hæret. Sixtin. de reg. c.* 10. *n.* 28. Et sic plura juris loca sunt, quibus pœnæ vel mulctæ fisco vindicantur; cæterum illud hoc loco admonendum est, & mulctas pœnasque intelligi hîc particulares; nam quibus tota substantia delinquentis fisco applicatur, hæ pœnæ in articulo de bonis condemnatorum proscriptorumvè item perduellium, qui crimen læsæ majestatis commiserunt, occurrunt. Jus regale 9. positum in bonis vacan- 27
tibus consistit; ea enim sine dubio de jure communi ad fiscum Principis pertinent. *l.* 1. *& tot. tit C. de bon. vac. & cor. incorp.* vacantia verò bona intelliguntur, si hæres nullus fuerit, *l. pen. C. d. t.* sive ab initio post mortem defuncti, sive quòd hereditatem adire vel illi se immiscere nolit, *Boss. de bon. vac. n.* 20 *Sixtin. de regal. c.* XI. *n.* 6. Ergò bona vacantia propriè tantùm pertinent ad casum mortis domini, juxta *d. t. de bon. vac.* non verò ad casum, quo is in vita constitutus bona dereliquerit; tunc enim in immobilibus 28
locum habet dispositio *tit. Cod. de omni agr. desert.* & sic bona hæc vocantur deserta, sc. particularia, cùm vacantia in casu mortis intelligantur cuncta relicta per speciem universitatis; illud autem, quod dixi, de bonis desertis intelligendum est, in dubio; nam si quis verè rem aliquam, sive

mobilem, sive immobilem (nec enim hîc jura inter has res distinguunt) in Dominio suo amplius esse nolit hæc occupanti cedit. §. *quâ ratione*. 47. *Inst. de rer. divis. l.* 1. *& l.* 2. *l. si id quod*. 5. §. 1. *ff. pro derel.* adeoque tunc fiscus Principis in illâ re jure Romano regale nihil habet; In prædiis sanè, quia Prin-
29 cipis interest, ne deserta maneant atque inexculta, id juris obtinet, ut indubiis novis possessoribus tribui possint eadem culturis, domino priori, si intra biennium impensas solverit, salvo manente jure recipiendi. *l. qui agros*. 8. *C. d. t. de*
30 *omn. agr. desert.* Cæterum quod ad vacantia bona attinet, nunciatione in illis opus est & incorporatione, ut verè dici queant fiscalia, quia nondum nunciata usucapi possunt à possessoribus *ex* §. 9. *Inst. de usuc. & l. quamvis*. 18. *ff. eod.* adeoque ante nunciationem fisci esse nequeunt, quæ est juris limitatio ad præcedentia; quippe cum res fisci usucapi non possint, *d.* §. 9. *& d. l. quamvis. l. ubi lex*. 24. §. 1. *ff. d. t.* quicquid obloquatur Amaya *in d. l. pen. n.* 11. cujus subtili rationi, quòd nisi bona vacantia jam ante nunciationem essent fiscalia, sequeretur ea nullius esse, haud difficulter responderi potest, consequens hoc absurdum non esse; nam & bona hereditatis jacentis nullius interim sunt, licet ab aliis occupari legitimè non possint vel occupatione acquiri ex *l.* 1. *pr. ff. de divis. rer.*
31 *& l. denique. ff.* 13. §. 5. *ff. quod vi aut clam.* Quare puto bona vacantia ante nunciationem fisci nondum esse, imò nec post nunciationem ante jussum Principis, ut occupentur, unde fiscalibus rebus cæteris incorporata videbuntur, *l. fin. C. d. t. de bon. vac.* quòd si ante nunciationem talium bonorum quis bonâ fide nactus sit possessionem, adversus hunc fiscus ex jure postea actu acquisito, rei vindicationem rectè instituet,
32 nisi tempore excludatur. In eo cum Amayâ & Doctoribus aliis sentio, bona vacantia ad fiscum transire cum onere æris alieni, ex *l. non possunt*. 11. *ff. de jure fisc.* ita tamen, ut fiscus non teneatur ultra valorem bonorum, quamvis inven-

ventarium non fecerit ex ratione, quòd non convenia tur ut heres, quò facit *l. mulier.* 72. *Princ. ff. de jur. dot.* Nec aliud de legatorum vel fideicommissorum onere, 33 illud videlicet etiam de bonis vacantibus ad fiscum delatis deduci, asserendum est, sc. ut in ære alieno salva bonorum æstimatione, per *l. quidam.* 96. §. 1. *ff. de leg.* 1. *l. dicitur.* 14. *ff. de jur. fisc.* Sixtin. *d. c.* XI. *num.* 27. *Fachin. controv. lib.* 6. *c.* 22. *vers. cæterum re penitius*, quamvis alii contrà sentiant, inter quos Amaya *d. l. n.*18. *&* 19. miserè contorquet textum *d. l. quidam.* quasi præsupponeret, vel in herede delictum, propter quod aditâ jam hereditate, bona ad fiscum pervenirent, vel alioquin pertineret ad casum, quo bona vacare contingeret in herede heredis, ut adeò legata vel fideicommissa adhuc sint præstanda, quia utraque hæc interpretatio violenta ac divinatoria est, cum textus *d. l. quidam.* expresse 34 & generaliter obloquatur, sc. quoties lege Juliâ, quæ & Papia caducaria dicitur, bona vacantia ad fiscum perveniunt, solvenda legata & fideicommissa esse, quæ præstarentur ab herede, à quo relicta erant, sed certè lex hæc Julia pertinuit etiam ad casum, quo citra delictum heredis ex morte & quòd heres alius non esset, bona ut vacantia ad fiscum pervenissent, *arg. l. un.* §. 4. *&* §. 14. *C. de caduc. toll.* ergò nulla ratio est hunc textum restringendi ad delicta, ob quæ heredi ut indigno hereditas auferretur, nec affingendi eam circumstantiam facti, quasi de herede heredis loqueretur. Rationibus etiam contrariis: quod nimirum 35 hereditate non aditâ legata & fideicommissa evanescant ex *l. nemo* 9. *ff. de test. tut. l.* 1. *ff. de injust. rapt.* cum simil. & quod ne libertates quidem debeantur bonis vacantibus ad fiscum devolutis, *per l. quod divo.* 50. *Princ ff. de manum. vind.* benè respondit *Fachin. d. l.* nam reverà fiscus ad effectum solvendi legata

legata ex bonis hereditariis heredis instar per legem Papiam habetur, quamvis propriè loquendo heres non sit; & *text. d. l. quod divo.* non absolutè, sed tantùm ex Imperatoris Marci Antonini constitutione negat libertates deberi, bonis vacantibus ad fiscum devolutis, non tamen hinc pariter negandum est ex lege Juliâ sive Papiâ præstanda & de bonis vacantibus deducenda legata esse, cum clarè Julianus in *d. l. quidam.* & Justinianus in *d. l. un. C. de cad. toll.* hoc asserant, ea-
36 que & benignior est sententia, quam Justinianus Imperator expressè etiam adstruit in *Nov.* 1. *c.* 1. §. 4. *vers. si verò ablatam, & vers. in omnibus,* ubi non aditâ hereditate vocat post alios extremo loco fiscum ad bona hereditaria, sed cum onere solvendi legata, quod minimè facturus fuisse videtur, si fiscus ad bona vacantia jure suo pervenire potuisset sine tali onere. Verum hisce missis succedit jus regale 10. sc. in bonis, quæ
37 ut indignis auferuntur per leges, quæ species differt à superiore, quòd hîc non sint bona vacantia, sed hereditate aditâ auferantur heredibus ut indignis, ex causis videlicet legitimis, de quibus *tot. tit. ff. de his, quæ ut indign. & tot. tit. C. eod.* agitur. Et quoniam de cætero ratione æris alieni & legatorum ac fideicommissorum solvendorum eadem indubiè hic obtinent, quæ in bonis vacantibus hactenus deduxi; causas verò legitimas auferendi bona alicui ut indigno complexus est, *præter*
38 *dd. ad dict. titul.* Sixtinus *de regal. c.* 12. *per tot.* His acquiesco & si forsitan in facto dubitetur, an quis tale quid admiserit, propter quod ei ut indigno relicta sint auferenda & fisco vindicanda, velut si causam mortis defuncto præbuisse dicatur, si necem ejus non vindicâsse, si adulterio cognitam instituisse heredem, si in fraudem legis, ut incapaci legatum vel fideicommissum restitueret, fidem accommodâsse, si testamentum falsum accusâsse, & contrariam sententiam reportavisse, & qui similes casus sunt, *l. indignum.* 3. *l. Claudius.* 13. *t. cum* 18. *ff. de his quæ ut indign. l.* 1. *l. alia.* 8. *C. eod. l. non intelligitur.* 3. §. 3. *&* §. 4. *ff. de*

de jur. fisc. tunc hac de re cognoscendum sententiaque proferenda est. *l. indigno.* 8. *ff. d.t. de his quæ ut indign. l. pen. C. eod. text. in l. ejus qui. pr. ibi. & de crimine pronunciare. ff. de jur. fisc. & in l. defensionis. C. eod.* Ex quibus ap- 39
paret, in omnibus casibus, quibus fiscus bona persequitur, si sit contradictor, causam prius examini subjiciendam, nec ab executione inchoandum, adeò, ut contra juris ordinem ad capturam bonorum procedentibus in causâ fisci officialibus liceat de facto resistere, *l. prohibitum.* 5. *C. d.t. de jur. fisc.*

Regale jus XI. ponitur in bonis incestas nuptias contra- 40
hentium, quæ fisco inferuntur ex *Nov.* 12. *c.* 1. *auth. incestas. C. de incest. nupt. Nov.* 154. Quæ Novellæ licet loqui tantum videantur de incestis nuptiis inter ascendentes ac descendentes contractis, tùm quòd d. Novella 12. mentionem faciat nefariarum nuptiarum, quo nomine tales incestæ nuptiæ intelliguntur, tùm quod d. Novella 154. pœnam capitalem transgressoribus inferat, quæ in nuptiis incestis inter collaterales nimis rigida appareret, *l. si adulterium.* 38. §. 3. §. 6. & §. 7. *ff. ad l. Jul. de adult. juncta. l. si quis viduam.* 5. *ff. de quæst.* ta- 41
men generalius accipi & de cæteris nuptiis collateraliũ in gradu consanguinitatis prohibito contractis, non tantũ *d. aut. incestas* suadet, sed pervincit etiam textus *d. Nov.* 154. cujus præfatio generaliter loquitur de illicitis & prohibitis nuptiis, Justinianus autem Imperator mox in textu Novellæ ait: *si omninò hujus generis aliquid* factũ sit, vel si quis *tale aliquid* præsumserit facere contra legem, præter supplicium ei irrogari ademptionem bonorum; deinde hoc idem probatur ex *Nov.* 139. ubi Ju- 42
stinianus contra legem suam, videlicet Nov. 12. contractas nuptias specie indulgentiæ Imperatoriæ vel dispensationis permisit, minimè toleraturus, si fuisset conjunctio inter ascendentes ac descendentes, ergò Novella etiam 12. non tantum de nefariis, sed aliis etiam incestis nuptiis intelligenda est, ad effectum confiscationis bonorum. Atque ita Fridericus Pri-

mus Imperator, inter regalia retulit bona contrahentium incestas nuptias, indistinctè, & sic Dd. hoc regale intelligunt, *vid. Matth. de Afflict. in d. c. quæ sint regal. ad verba bona contra-*
43 *hentium n.* 1. Quid verò si tantum sponsalia intercesserint? Negat *Afflict. d. l. n.* 5. in sponsalibus de futuro, nisi sit subsecuta copula; ego arbitror idem in sponsalibus de præsenti dicendum; nam licet hæc quoad vinculum æquiparentur matrimonio de jure canonico, in pœnalibus tamen dispar ratio est, & jure civili discrimen sponsaliorum de præsenti ac de futuro ignotum fuit; unde quamvis consensus jure civili dicatur nu-
44 ptias facere, *l. nuptias.* 30 *ff. de reg jur.* tamen hic consensus non debet intelligi sponsalitius, sed conjugalis, quo sibi invicem conjuges jam obstringuntur ad cohabitationem, & ideo sponsalitium consensum etiam de præsenti non puto sufficere ad confiscationem bonorum, quia materia pœnalis subest, si spon-
45 si sint in gradibus prohibitis consanguinitate vel affinitate juncti, licet stricto jure defendi possit: post nuptialem consensum, quem partes contrahentes mutuâ manuum datione parocho stipulante firmare solent, & ab eo tempore pro conjugibus habentur, vel ante concubitum si incestæ nuptiæ fuerint, locum esse pœnæ confiscationis. *Sixtin. de regal. c.* 13. *n.* 31. *& sequ.* à quo tamen, quatenus verum consensum nuptialem cum sponsalitio de præsenti confundit, in hoc articulo dissentio, quòd nec stricto jure ante benedictionem sacerdotalem sponsos de præsenti existimem esse jure civili conjuges, vel pœnis subesse de incestis nuptiis, sed & casu relato humanius in puncto confiscationis actum iri censeo, si pœna hæc in mitiorem commutetur;
46 prætereà haud ambigo, quòd pœna hæc incestarum nuptiarum haud debeat extendi ad incestum extra schema matrimonii commissum eadem ratione, quia versamur in materiâ pœnali, quæ non est extendenda. *Gloss. in d. auth. incestas. Afflict. d. l. n.* 4. *Sixt. d. l. n.* 37. illud porro haud dubiè asserendum, ignorantiam facti excusare à pœnâ, non æquè juris ignorantiam,

tiam, *Sixtin. d. l. n.* 48. *& sequ.* Sed distinguendum videtur, 47
ut ignorantia incestus juris gentium sub schemate matrimonii neminem excuset à pœnâ confiscationis, juris verò civilis ignorantia saltē fœminas, vel homines alioquin legum ac forensium rerum rudes, in quibus est juris ignorantia probabilis. *d. l. si ad. ulterium.* §. 2. *junct. l. cum de indebito.* 25. §. 1. *ff. de prob. l. venia.* 2. *C. de in jus voc.* Quamvis verò ipso jure pœnam incur- 48
rant confiscationis bonorum, qui nuptias contrahunt incestas, d. *auth. incestas. c. cum secundum.* 19. *de hæret. in* 6. tamen opus est sententiâ non quidē condemnatoriâ pœnæ, quæ infertur à lege, sed declaratoriâ facti, ut suprà deductum est, & probat textus *d. l. ejus, qui. ac d. c. cum secundum.* quæ opinio verissima est, & regulariter procedit, licet quis pœnam ipso jure incurrat, *Bartol. in d. l. ejus qui. Felin. in c. Rudolphus X. de rescript.* quos secutus sum *in prax. judic. p.* 2. *c.* 12. *n.* 128. Neque aliter re- 49
cipienda est assertio *Covarruv. de matrim. p.* 2. *c.* 8. *n.* 6. *& Emanuel. Soarez. in commun. opin. verb. nuptiis incestis.* & hos referentis ac sequentis *Sixtini. d. c.* 13. *n.* 14. quàm, quòd ad confiscationē bonorum propter incestas nuptias nullâ sit opus sententiâ condemnatoriâ vel declaratoriâ pœnæ; declaratoriam enim facti requiri, & citati textus probant & Doctores communiter in delictis asserunt, quibus pœna etiam ipso jure alicui irrogatur. Sed hisce missis venio ad regale 12. quod Fridericus 50
Imp. ponit in bonis condemnatorum & proscriptorum cum relatione ad novas constitutiones, quo nomine intelliguntur novellæ Justiniani, & in hac quidem materiâ *Nov.* 134. *c. ult.* unde desumpta est *authent. bona damnatorum. C. de bon. proscript.* Statuit ibidem Imperator *in d. c. ult.* regulam negativam juris veteris correctoriam, videlicet condemnatorum ad 51
mortem bona non confiscari, quæ regula propter generalitatem, & quia in crimine læsæ Majestatis præter cæteras pœnas expresſè sancita est confiscatio bonorum, non tantùm in illis criminibus, ubi bona olim in consequentiam sententiæ confiscabantur, sed in illis etiam, quibus expressâ sanctione hæc

pœna irrogatur, locum habet, ut deduxi in *prax. judic. p. 2.*
52 *c. 12. n. 224.* licet in hoc posteriori multi contradicant; verum hæc regula in lege Justinianeâ restringitur ad casum, quo condemnato ad mortem supersunt ascendentes vel descendentes ad tertium usque gradum, unde si patrem vel matrem, avum vel aviam, proavum vel proaviam, aut si filium vel filiam nepotem vel neptem, pronepotem, vel proneptem, adhuc habeat, ad hos cessante confiscatione, bona per hanc Justiniani constitutionem pertinent; Irnerius in *d. auth. bona damnatorum.* addidit collaterales ad tertium usque gradum, sed erroneè & contra textum Novellæ in *d. c. ult.* hic tamen Irnerianus error usu receptus est contra fontem Novellæ, & sic jus fecit, ut communiter hodiè censent & post alios refert Brun-
53 nem. in *d. auth. bona damnatorum.* Non tamen pariter hujus erroris extensio admittenda est, quasi in infinitum proximi quique cognati hodiè in bonis condemnati ad mortem, uti ex aliis scribit Farin. *quæst. crim.* 35. *n.* 6. idemque in effectu adstruit Carpzov. *in pract. crim. quæst.* 135. *n.* 9. 15. succederent excluso fisco; nam hac in re jam satis ab Irnerio & communi opinione erratum, quòd cognati ad tertium usque gradum, consuetudine probante admittantur ad successionem condemna-
54 ti; ast ea, quæ errore & contra jus introducta sunt, non debemus producere ad consequentiam, *l. quod contra.* 14. *ff. d. ll.* Absque dubio etiam Frid. I. Imp., dum in constitutione, de quâ agim' bona condemnatorum ad mortem retulit inter regalia, juxta novas constitutiones, hoc idem statuit: nempe ex Novellis adhuc casus superesse, quibus bona condemnatorum ad mor-
55 tem pertinerent ad Regium vel Cæsareum fiscum, quia bona contrahentium incestas nuptias, vel crimen læsæ Majestatis committentium à bonis damnatorum ad mortem seorsim posuit ac distinxit; atqui in novellis non dantur alii casus confiscandi bona damnatorum, si ista crimina excipiamus, nisi recurrere liceat ad terminos regulæ per *d. Nov.* 134. *c. ult.* restrictæ,

restrictæ, ut scilicet, si ad mortem damnati non habeant ascendentes vel descendentes ad tertium gradum, vel ex Irnerianâ erroneâ sententiâ usu receptâ, collaterales ejus gradus, bonâ eorum ad fiscum pertineant; præter hanc rationem enim 56
non posset alius casus jure novellarum prodi, quo juxta has circumstantias confiscationi bonorum relinqueretur locus; quæ enim de hæreticis *in auth. Gazaros. C. de hæret.* habentur, recentiora sunt ætate Friderici Primi, putà à Friderico Secundo Imperatore constituta, uti cernere licet ex ejus *Constit. post consuet. feud.* Nec porrò prætextu consuetudinis, Irneriani erroris extensio defendi potest, quia consuetudo illa universalis non est, nec hac ratione satis probata; quin potius argumentum validum ex contrario præbet Caroli Quinti Imperatoris constitutio criminalis *art.* 218. quo loco inter alias istam 57
diversorum locorum consuetudinem refert, ac de plenitudine potestatis abrogat, dum liberos & conjugem Magistratus locorum excluserunt à bonis condemnati ad mortem, ergò multò minùs iisdem locis admissi sunt cognati ulteriores ad successionem condemnati, adeoque consuetudo illa non censeri debet universalis, unde rectè putat *Stephani ad ord. crim. Carol. art.* 135. *d. authenticam, bona damnatorum* in terminis, quibus loquitur, sartam tectamque conservandam esse, ei quicquam derogandum; atque sic fisci intentio fundata erit contra cognatos ulteriores damnati, nisi fortè statutum 58
vel consuetudinem localem contrariam allegent, ac plenè probent, secundum ea, quæ scripsi *in prax. judic. d. c.* 12. *n.* 208. Præterea verò & proscriptorum bona, ex Fridericianâ lege obnoxia sunt confiscationi. Proscripti à damnatis differunt, quòd è numero civium excludantur programmate publico Principis; hi igitur, quà tales, civiliter mortui censentur, nec jure condemnati erant ad ultimum supplicium, licèt fortè Cor- 59
nelius Sylla olim ad necem proscripserit cives, uti ex Ammiano refert Calvinus *voc. proscripti*, sed amittebant bona ac

civitatem eaque bona, sive expressis verbis adempta, uti vo-
lunt *Cuiac. in Comment. C. ad d. t. de bon. proscr. &*
ibid. Pacius in annal. Cod. sive in consequentiam mutati
status; nobis in Imperio sunt banniti, quorum bona con-
fiscantur, ut damnatorum ad supplicium casu suprà re-
lato; intereà verò, dum fisco attribuantur ejusmodi bona,
privatis quoque exposita sunt tanquam hostilia. *Ord. Cam.*
60 *pag. 2. tit. 9.* §. So jemand. Angariæ pro 13. & paranga-
riæ pro 14. regali ponuntur, quid verò nominibus hisce
denotetur, non ita clarum est; communiter per anga-
rias intelligunt personalia servitia, sub parangariis autem
servitia cum sumptu; sed hæc expositio nec nomina ista
per se, nec quâ ratione angariæ & parangariæ invicem
61 differant, satis declarat; est alia Cuiacii interpretatio
ad *tit. Cod. de curs. publ.* qui nomine angariarum præ-
stationem equorum ad cursum publicum, nomine par-
angariarum verò extra illum cursum, vel aliorsum
directis negotiis intelligit, cujus vestigia premunt *Perez.*
in comm. Cod. d. t. de curs. publ. num. 5. & Brunnerum.
62 *ibid.* Adhuc aliter Bocerus declarat, angarias & paran-
garias non tàm de loco vel viâ ordinariâ aut extraordinariâ,
quà cursus dirigatur, quàm de diverso equorum usu ad
cursum vel alia publica onera, *tract. de reg. cap. 3. num.*
147. & sic ad mentem Boceri, quando equi cursorii præ-
standi vel alendi ad cursum publicum, id munus angariæ fo-
ret; quando autem equi clitellarii ad onera publica de-
portanda, parangaria esset, exemplo pari, quo sic discreti
videntur ipsimet equi in veredos, qui cursorii sunt, quo-
rumque mentio fit *in l. quoniam. 12. l. non patimur. 13. & l.*
si quis. 15. C. de curs. publ. & paraveredos equos onera-
rios sive clitellarios, Zug- oder Last-Pferdt / quorum
memi-

meminit textus *l. præsidibus.* 2. *C. eod.* veredos sanè vel per se vel etiam rhedis junctos cursorios equos esse constat, quòd utraque ratione itinera celeriore cursu pera- 63 gantur; atque illa angariarum parangariarumque declaratio videtur textibus juris civilis & veritati convenientior esse; præsertim satis apertè probat Boceri sententiam *l. decu-* 64 *rionibus.* 3. *C. de silent.* ubi parangariarum ac paraveredorum immunitas pro eadem accipitur, *add. l. mancipium.* 15. *& l. quoniam.* 63. *C. Theod. de curs. publ.* cum ergò paraveredi sint equi plaustrorum vel majorum onerum, *Calvin. in Lex. voc. paraveredi*; munus parangariarum consistet in præstatione paraveredorum, neque in veredis & angariis alia ratio est, & sic Boceri assertio hac in re satis probabilis. Illud 65 sanè haud dubium est, angariarum vocabulum antiquissimum esse, & vel Persicæ linguæ acceptum referri, juxta Molin. *disp.* 661. *n. fin. &* Klock. *de contrib. c.* 1. *n.* 163. Ejus verò rei antiquus testis est Herodotus, dum Xerxem Persarum Regem in expeditione contra Græcos citissimos cursores instituisse refert, qui ex Græcia in Persidem celeri cursu abirent ac redirent, quæ res Persis ἀγγαρήιον dicatur, *histor. lib.* 8. (qui inscribitur urania) *c.* 98. *ad fin.* Esse porrò angarias & parangarias munus patrimoniale, planè pervincitur ex *l. fin. §.* 21. *ff. de mun. & hon.* item *ex l. neminem.* 11. *C. de SS. Eccles.* atque sic in- 66 dicuntur possessionibus, quanquam si quis contendat, quandoque pro re natâ & personis indici posse ad mentem Boceri *d. l. n.* 239. non videam, cur multùm repugnemus; nam & ea, quæ in publicis contributionibus aliis possessoribus quà talibus injunguntur, interdum specie capitationis personis imponuntur, sed plura de his addere extra propositum est. Regale 15. in plaustrorum & 16. in navium præstatio- 67 ne ponitur, quæ res angariis ac parangariis valdè vicina est; unde alibi naves angariari dicuntur, *l. pen. §.* 1. *ff. de vered.* sed is sensus latior est, ibidemque voce angariari idem signi-

significari videtur, quod voce cogi, uti animadvertit. *d. l. Gotofr. in not.* nostri dicerent, Schiff in Beschlag nehmen/ oder hergeben müssen; scilicet ad publicas necessitates præcipuè in bello, quarum rerum exempla nostrâ hac ætate non unâ
68 vice fuerunt obvia; ea verò omnia ex parte subditorum vel provincialium, qui debent, publica sunt onera, respectu Imperatoris verò vel Regis, cui debentur, regalia jura, uti præstationes equorum, vel aliorum etiam animalium, plaustrorum, navium, quanquam hæc res commoditatis publicæ gratiâ, optimè contrahi possit, ut scilicet & plaustrorum & navium, tùm equorum vel jumentorum subservientium præstatio iisdem imperetur pro ratione possessionum, repar-
69 tiendo & agnoscendo inter privatos onere; significatione tamen propriâ jura ista & onera plaustrorum atque navium haud dubiè distinguuntur à præstationibus equorum vel jumentorum, adeoque ab angariis & parangariis, idque etiam
70 Fridericianæ constitutioni de regalibus benè convenit. Regale XVII. in extraordinariâ collatione ad numinis regalis Cæsaris nimirum vel Regis Romani expeditionem Lex Friderici ponit, eaque collatio consistit in collectis Imperii, quæ in expeditione Cæsareâ vel Regiâ erogantur, ac in jure communi respondet *L. un. C. de superind. Hottom. & Cujac. in d.*
71 *c. quæ sint reg.* interpretantur de fodro, quod vocant. Illud civitates Italiæ terræque, ingressis cum exercitu Imperatoribus præstare consueverunt, *Otto Frising. lib. 2. c. 13. Lehmann. lib. 5. Chron. Spir. cap. 67. p. m. 539.* Accipi id nomen solet de annona militari, vulgò Proviant/sive etiam de pabulo equo-
72 rum, pecorumve aliorum exercitus, Fütterung. Sed nulla ratio est, cur collationem extraordinariam, cujus mentio fit *in d. const. Friderici,* ad fodrum restringamus; nam 1. si hac collatione Imperator Fridericus præcisè vel principaliter intellexisset fodrum, proprio & æquato nomine expressisset, ut *in tit. de pac. Constant. vers. nobis autem,* id verò omisit *in d. const.*

d. const. quæ sint regal. & generaliori vocabulo usus est collatio-
nis. 2. Expeditionis Cæsareæ successus, qui pro causa finali 73
ponitur hujus collationis, minimè tantùm in annonis militum,
vel equorum jumentorumvè pabulis consistit, sed quàm ma-
ximè etiam præstationes pecuniarias efflagitat. Ergò hæ à
generali collationis vocabulo non sunt excludendæ. 3. Fodri
debitum restringitur ad expeditionem Italicam *d. vers. nobis
autem, ibi intrantibus Lombardiam.* & 4. à civitatibus & in-
colis Italiæ debetur speciali observantiâ, *d. vers. nobis autem.*
ibi: *quæ solent & debent*; ast *d. Const. Frid.* generaliter con-
cepta etiam ad Hungaricas, v. g. vel alias expeditiones Cæsa-
reas, juxta verba & sensum satis clarum videtur referenda.
Itaque magis est, ut collationem extraordinariam ad expedi- 74
tionem Cæsaris accipiamus, de aliis etiam & vel maximè pe-
cuniariis erogationibus ad expeditionem Imperatoriam requisi-
tis, quod & plerique probaverunt; *Isernia, Matth. de Afflict.
Alvarot. in d. c. quæ sint regal. verb. extraordinaria colla-
tio*, ibidemque *Vult. Borcholt. Rosenthal. Bocerus, & dd.
magis commun.* Quanquam si quis etiam pensitationes annonæ
ac pabuli huc referri, vel ut speciem sub genere includi debere
contendat, nihil causæ solidæ appareat, cur contradicen-
dum sit. Et ex his omnibus minimè dubitandum est, colla- 75
tiones, quæ in expeditionem Romanam, si Cæsar vel Rex
Romam petat, ut olim consuerum erat, coronæ suscipiendæ
gratiâ, vid. *text. 1. feud. 1. §. 2.* impenduntur, ad hoc regale
referendas, vulgò vocantur, Römer-Monath/ quòd præ-
stationes illæ per menses in publico æstimo (matriculam usi-
tatè dicimus) sint distributæ, atque ita Bocerus *d. l. n. 196.*
die Reichs-Steuern zum Römer-Zug, de collatione ex-
traordinariâ constitutionis Fridericianæ accipit, ego celebre
exemplum, sed in aliis quoque expeditionibus, cum genera-
liter constitutio loquatur, idem ad mentem Friderici juris esse
puto. Ast novus opponi potest scrupulus, quòd hæ tales 76

collectæ Imperii ab aliis referantur inter munera ordinaria, quos inter sunt. *Afflict. d. l. num.* 13. *Modestin. Pistor. lib.* 1. *consf.* 4. *num.* 13. *Gilcken. in l. jubemus.* 10. *num.* 19. *C. de SS. Eccles.* & alii notati *à Klockio de contribut. cap.* 2. *num.* 11. *& sequent.* Eaque sententia videtur probari diversis juris textibus, velut *l. un. C. de vac. publ. mun. l.* 1. *C. de indict. l. hi qui.* 6. *ff. de vac. & excus. mun. l. un. C. de super ind.* Quibus & similibus aliis locis ordinarium munus ex legis auctoritate æstimari volunt, atque opponi arbitrario per
77 magistratus imperato. Verùm his non obstantibus collatio ad expeditionem Cæsaream, pro munere extraordinario, meritò habenda est, sive de fodro, sive veriùs de quacunque præstatione etiam pecuniariâ ad expeditionem Cæsaris erogandâ explicetur, tùm quia ultra statas functiones indicitur, tùm quia à Friderico Imperatore expresso hoc epithero extraordinariæ collationis insignitur; quò & pertinet text. *in l. placet.* 5. *C. de SS. Eccles.* ubi extraordinarium
78 & superindictum pro synonymis in effectu posita sunt; Et ut paucis nos expediamus: Ordinarium vel extraordinarium munus in jure accipi videntur dupliciter: 1. respectu causæ legitimæ, 2. respectu formæ præstationis; priore sensu ordinarium munus est, quod legis auctoritate subnititur, extraordinarium quod citra legem arbitrariè injungitur; posteriore verò ordinarium, quod statis vicibus præstandum est, extraordinarium verò vocatur, quod incertis vicibus solet in-
79 jungi; licèt itaque collatio ad expeditionem Cæsaream, inter ordinaria referri debeat munera sensu priore, minimè tamen ob præstationis incertæ formam declaratione posteriore; qui ex adverso obnituntur contendentes ex causâ muneris ordinarii vel extraordinarii nomenclationem petendam non ex formâ incertæ pensitationis, de nomine magis quàm de re litigant; quid enim obstat, quò minus juxta diversas leges, & maximè secundum Friderici Imperatoris

con-

constitutionem, collationem, de quâ agimus, extraordinariam vocemus, ex incerto expeditionis eventu, quemadmodum hac de re sensêre, *Bartol. Bald. Fulgos. Jason. & al. in d. l. placet.* & ex Neotericis multi consenserunt, 80
inter quos Rosenthal *de feud. cap. 5. conclus. 73. num. 6.* collectas Imperii sine controversiâ ad munera extraordinaria, siquidem non ita injungantur, ut certo & stato tempore certo ac stabili modo recurrant, numeranda censet, *& ibid. in not. lit. I. Gailii* contrasentientis opinionem præcipuis Cameræ assessoribus displicuisse refert: *add. Klock. d. l. num.* 113. ubi pressiùs perpenso recessuum Imperii tenore contrariam sententiam non omninò tutam aut veram judicat. Atque huc collimant Rosenthal & Klockius, ut asseverando extraordinariam qualitatem collectarum Impe- 81
rii, negent eas subesse mero Ordinum arbitrio, quod quidem quoad contributiones Turcicas vel Romanas recessibus Imperii, qui subcollectationem Statuum, respectu subditorum, ad Reipublicæ necessitatem imminentem, & cuique convenientem contributionis modum per consuetam clausulam: Doch hieher / oder weiters nicht als hierzu vonnöthen / uti videre licet ex *Recess. Imp. de anno* 1548. §. Wiewohl nun Churfürsten. 95. *Recess. Imp. de anno* 1557. §. So soll es derwegen. 49. *Rec. Imp. de anno* 1566. § Dieweil num. 41. *Recess. Imp. de anno* 1576. §. Und nachdem. 11. *Rec. Imp. de anno* 1582. §. Und nachdem. 10. *Rec. Imp. de anno* 1594. §. Nachdem nun 9. *Rec. Imp. de anno* 1598 §. Dieweil dann num. 11. *Rec. Imp. de anno* 1603. §. Nachdem es num. 17. *Rec. Imp. de anno* 1613. §. Nachdem es num. 7. expressè restringunt, prorsus apparet conforme. Jus regale 18. 82
ponitur in potestate constituendi magistratus; hoc jus antiquissimis Reipublicæ Romanæ temporibus lege Valeriâ ad populum relatum, posteà ad Principem cum cæteris populi juribus translatum fuit. *l. un. ff. ad L. Iul. amb. l.* 1.

§.4.ff.de off. praef.urb.l.nam salutem. 3.princ.ff.de offic.praef. vigil.l. Barbarii. 3.circ.fin.ff.de off.praet.l.1.C.eod.l.1.§.1.C. de off. praef. praet. Afr. Et sic non tantum in veteri Principatu Romano, sed etiam in Imperio Romano Germanico Imperatores constituerunt Magistratus, quo quidem nomine potestates publicae cum facultate juris dicundi certis provinciis, locis vel di-
83 strictibus praepositae intelliguntur. Planè Imperatores Romano-Germanici quondā liberè ac pro arbitrio contulerunt Magistratuum majorum officia, titulos ac dignitates, sed progressu temporis in qualitatem successionis feudalis haec res transformata fuit, *arg.1.feud.1.§.1.&2.* ita quidem, ut Dux, Marchio, Comes sit, qui Ducatum, Marchiam, Commitatū in feudum accepit per investituram. *2.Feud.10.* quam quidem investituram de feudo regali Imperator facit, sive Rex Romanus, *d.tit.1.princ.d.tit.*
84 *10.Aur. Bull. Carol. Quarti tit.5.* Et licet Electores, Duces, Principes ac Proceres Imperii sint conditionis longè sublimioris, prae veteribus Praefectis vel Praesidibus Romanis, quamquam hi saepè amplioribus terris aut provinciis praefuissent, tamen in constitutionibus Imperii vocem: Obrigkeiten/ quae pro Magistratu accipi solet, iisdem attribui frequentissimè legimus, ut in paulò antè allegatis Imperii recessibus, nec non in ordin. Circulari, Camerali, Politicâ, Criminali, & alibi passim. *add.Rec.*
85 *Imp. de anno* 1654.§. Wann sich auch. 109. Hinc potestas constituendorum Magistratuum, de qua in textu *d.c.un.* haud malè etiam ad jus conferendi feuda regalia, quibus majorum Magistratuum tituli cohaerent, referenda videtur, ut adeò si Imperator v.g. hunc vel illum Imperii Ducem facit per investituram aut ex successione obtentum Ducatum renovatione investiturae obfirmat, hoc jus regale de Magistratibus constituendis ex-
86 ercere censeatur, eaque res ad finem quoque pertinet, quem Fridericiana constitutio expressit, nimirum ad justitiam expediendam; nam ex quo his aut illis Imperii provinciis Duces, Marchiones &c. praesunt, investiti ab Imperatore, habent singulae

gulæ illæ partes caput, quod in illis justitiæ per æquos & huic muneri pares judices expediendæ generalem curam gerit, & gerere vi tantæ dignitatis debet. Haud tamen ea, quam diximus, potestas constitutionis Magistratuum ad concessiones feudales regalium hujusmodi titulorum & officiorum cum ipsis provinciis restringenda est, quin ipsa se perspicuè etiam exserit, iis casibus, ubi munus tantum judiciarium sive jurisdictio sine territorio conceditur; exempli loco allegari poterunt Palatini veteres aut Vicarii per Imperium variis partibus constituti, quorum Palatinatus aut Vicariatus, non præcisè ipsorum Palatinorum vel Vicariorum propria complectebantur territoria, sed maximè aliorum Procerum civitatumque ditiones, quibus hi constituti fuerunt judices majores vice Cæsareâ justitiam administraturi; quin hodienum quoque judices, vel- 88 ut tribunalis Cameræ aut Aulæ Cæsareæ, Dicasterii item Rotwilensis, ex hoc jure regali constituti censeri debent, de quibus suo loco exactius. Argentariæ XIX. succedunt, quo nomine 89 rectè intelligunt argentifodinas, Silber-Bergwerck / sive jus regale percipiendi certos proventus ex argentifodinis; ita enim magis est, ut interpretemur, quam cum Eguin. Barone Hotomanno & aliis quibusdam *ind. c. quæ sint reg.* de potestate constituendi argentarios; magis enim communiter & concinniùs sentiunt Doctores, intelligi sub argentariis ipsas argentifodinas, ut sub picariis, de quibus *in d. l. inter publica* §. 1. picifodinas, idemque in similibus, ita scilicet, ut non 90 proprietatem argentariarum, sed certam partem, putà decimam, fisco regali ex illis deberi censeant, hocque jus ipsum illud regale esse argentariarum, *Afflict. Cuiac. Borcholt. & al. in d. c. quæ sint reg. Sixtin. de reg. c.* 18. *n.* 34 *Rosenthal. d. c.* 5. *conclus.* 85. *Bocer. de reg. c* 3. *n.* 166. *vers. satius est ergò.* ubi hanc opinionem testantur esse comunem, certè huic meritò inhærendum, quòd ex metallis vectigal fisco debeatur, *d. l. inter publica.* §. 1. *ob metallicum.* 2. *& tt. C. de metallar.* partem verò decimã

ex argentifodinis aut aliis metallis inventis sub terrâ, præcisè deberi fisco haud probatur ex *d. l. ob metallicum*, quippe cujus non est hic tenor, ceu rectè ibidem notavit Cujacius, neque ex *l. cuncti. 3. d. t.* quæ lex licet mentionem faciat de decimâ fisco debitâ, loquitur tamen tantùm de marmore è visceribus terræ eruto, non verò de argenti aurive fodinis, vel etiam de mineris metallicis in genere; nam in his consuetudo ratione quantitatis debitæ locorumque varietas spectanda, *Cujac.*
91 *d. l. Perez. ad d. tit. d. metall. n. 9. & 10.* De eo haud dubitandum, non argentarias tantum, sed generaliter metallifodinas ad jus regale pertinere, & generaliter ex metallis deberi fisco vectigal traditur in *d. l. inter publica* §. 1. & generalis quoque mentio fit metallici canonis in *d. l. ob metallicum.* Sixtin. *d. c.* 18. *num.* 20. *& sequ.* Rosenthal. *d. conclus.* 85. *num.* 4. *& 5.*
92 *ibidemque allegati lit. d.* Quò & facit in argumentum, quòd Carolus IV. Imperator in *A. B. tit.* 9. auri argentique fodinas, & generaliter mineras metallicas speciali privilegio permiserit Electoribus in terris Electorum; verosimile est autem non amplius jus tali modo fuisse concessurum, quàm haberet Cæsareus vel Regius fiscus, quia illud Electorale privilegium, tunc fuit jus singulare & instar exceptionis à regulâ; igitur fisci Cæsarei vel
93 hac ratione probabili ad universa referendum est metalla. Palatia 20. referuntur inter regalia, quæ sunt ædes Imperatoriæ habitationi soli reservatæ, illis tamen, qui circa Imperatorem agunt, haud excludendis, *l. un. C. de palat. l. quicunque.* 17. *C. de oper. publ.* unde apparet palatia publica esse; dicuntur enim Imperatori consecrata, & propterea ad heredem quà talem non pertinent, sed ad successorem Imperii; planè palatia & prætoria secer-
94 nuntur in *l. fin. C. de off. rect. prov.* quòd hæc non soli habitationi, sed & asservandis frumentis militaribus deputentur, palatia v. habitationi solius Imperatoris aut præsidis, qui vice Imperatoris in civitate, ubi palatia habentur, subsistit, deputata sint, *d. l. fin.* In Imperio nostro palatia, quæ Goslariæ & Noribergæ habentur, pro exemplis allegant hujus juris Imperatorii. *Sixtin. de*
Re-

Regal.c.19.n.12 & 13.ac Bocer.d. Regal.c.2.n.162. Sed hac de re infra plura. Regale 21. qnod in conſt. Friderici refertur, piſcationum eſt, eas comuniter ex jure deducunt. *d.l.inter publica circ.fin.* ubi piſcariæ, ceu vulgata lectio habet, inter publicas 95 præſtationes ponuntur, ſed hanc lectionem *d. l.* inter publicas Cujacius in *d.c. quæ ſint reg.* mendoſam eſſe ait, & legendum picariæ, quòd ex pice foſſili vectigal pendatur, unde picariarum nomen; communem lectionem defendere nititur *Sixtin. d.tract.c.20.n.3.& ſeq.* Ego Cujacium probo, quod ad jus 96 Romanum attinet, quo vectigal ex piſcibus jure gentium captis fuit ignotum; cæterum Sixtino adſtipulor de picariis haud accipiendam hoc loco Friderici conſtitutionem, quippe cujus expreſſus tenor piſcationum reditus complectitur, neque Cujacius in eo adverſatur, ſed hactenus malè cenſet fiſcum merâ uſurpatione in piſcariis poſteriori ævo ſic vocatis defendi, cum conſtitutio Friderici ſufficere debeat, piſcationum reditus inter regalia expreſſo nomine complexa. Quod rem ipſam 97 verò concernit, piſcationum reditus communiter accipiunt de vectigali, quod ea propter præſtetur, ut conſequenter dicendum ſit, jam ætate Frid. I. Imp. piſcarium vectigal pendi conſueviſſe; ego pronior ſum, ut exiſtimem, lacus plures fuiſſe & inſignes per Imperium, quorum jus olim ad Imperatorem quà talem pertinuerit, è quibus piſces captos fiſcus ſibi aſſerere potuerit. Igitur vel ex piſcibus his vel ex penſionibus fortè pro uſu piſcandi in illis lacubus perceptis, reditus piſcationum noſtræ conſtitutionis declarandos arbitror; cur enim ad piſces fluviatiles vel in mari captos generale nomen redituum ex piſcationibus reſtringamus? Quòd ſi quis malit tantum, his de piſcibus 98 reditus iſtos interpretari, ne ſic quidem commodior erit, quàm de penſione declaratio, eam piſcatores promittunt ſolvuntque pro uſu piſcandi in fluminibus (ratione maris, quà territorium quodque allut, eadem ratio) atque ſic receſſum ab eo eſt, quòd in flumine publico cuilibet piſcari liceat; nam fiſcus hoc jus jam 99 ſibi aſſeruit, & certâ penſione piſcatoribus concedit, ita ut nulli alii

alii permissum sit ibi piscari, pro piscibus autem sive multi sive pauci capiantur, nil quicquam solvi solet; cujus rei justitia & usu longævo per *l. si quis in diverticulo. 7. ff. de divers. & temp. præs.* & constitutione Friderici, si eam sic intelligamus,
100 defendi poterit. In salinis positum 22. regale, denotat reditus ex salinis, vulgò Saltzsieden / vectigal ex sale vel olim depensum monstrat *d. l. inter publica*, ubi expressa hac de re mentio est, Imperator autem Fridericus piscationum & salinarum re-
101 ditus conjunxit; quicquid verò fuerit, & sive salinæ ipsæ per Imperium sive certa ex illis fisco debita portio, salinarum reditus, significaverit, id totum ad jus regale referri debet, & sanè hodienum salinas, licet jure communi ad privatos pertineant, *l. magis puto. 5. §. 1. ff. de reb. cor. qui sub tut. vel cur. sunt. l. sed & hi. 13. pr. ff. de public. & vectig.* cujus rei nec hodiè desunt exempla, possideri plerumque videmus à fisco vel dominis, quorum territoria sunt, in quibus salinæ repertæ, *Sixtin. de Reg. c. 21. n. 14.* Valetque hic idem argumentum ex *A. B. tit. 9.* quod suprà in argentifodinis adduxi, quia & mineræ salis *d. l.* Electoribus concessæ sunt speciali privilegio, ut his in electoratibus suis territoriisque gaudeant; ergò citra privilegium in illis locis ætate Caroli Quarti Imperatoris hæc ipsa salinarum compendia ad Imperialem vel regium pertinuissent fi-
102 scum. Bona committentium crimen læsæ Majestatis 23. regalis loco relata sunt, illudque crimen à regulâ sublatæ confiscationis bonorum nominatim est exceptum in *d. Nov. 134. c. 13. circa fin.* unde non mirum in *d. const. quæ sint. reg.* fuisse in regalibus posita bona ex hoc crimine confiscationi obnoxia.
103 Fridericus Secundus Imperator posteà inter alia capitula, quæ ad favorem religionis & cleri constituit, illud quoque sanxit, ut præter alias hæreticorum pœnas, bona eorundem in fiscum redigantur, quod hæretici divinam Majestatem censeantur lædere, graviusque delinquere his, qui Majestatem temporalem offendissent; unde vulgaris distinctio læsæ Maje-

jesta-

jestatis divinæ humanæ emersit, sed læsio ista divinæ majestatis ex hæresi ad eos tantum pertinet, qui fidem Christia- 104
nam amplectuntur, & in uno aut pluribus ejus articulis fundamentalibus errant, non ad Judæos, Mahometanos aut similes, qui dicuntur esse extra Ecclesiam; hi enim tolerati in Christiano orbe periculũ confiscationis bonorum haud subeunt. Planè non tantùm in Imperatorem aut Regem Romanum crimen, 105
quod læsæ majestatis humanæ vocatur, sed etiam in ipsos Electores committi docet *Aur. Bull. tit.* 24. cujus magna pars ex *l. quisquis. 5. C. ad l. Jul. majest.* verbotenus est transcripta. Hoc amplius etiam contra alios Imperii nostri Principes idem committi, deduxi *in prax. Judic. p. 2. c. 9. n. 67. & 68.* Quæ res non minus & in cæteris Imperii Statibus obtinet, ut sc. contra eos crimen læsæ majestatis possit committi, *arg. Cap. Leopold. art.* 27.
Et quanquam delinquens, ipso jure in hoc genere criminis inci- 106
dat in pœnam confiscationis bonorum, quia statim alienare amplius nequit, *d. l. quisquis.* §. 4. tamen sententiâ saltem facti declaratoriâ opus est, ut in similibus suprà dixi per *d. l. ejus qui, & d. c. cum secundum*, quæ declaratoria consequenter hoc indubium facit, retrò à tempore commissi criminis, imò conatus primi juxta text. *d. l. quisquis.* bona delinquentis ad fiscum spectare, idque adeò procedit, ut si delinquens præmoria- 107
tur, nec accusatio vel inquisitio in vitâ ejus cœperit, nihilominus defuncti memoria aboleri, bonaque heredibus auferri & in fiscum redigi possint, ea sc. quæ à defuncto ad ipsos pervenerunt, *l. majestatis. 6. C. ad l. Jul. Majest.* Sed hoc jure 108
communi limitationem insignem habet, quia tantum obtinet in casu læsæ majestatis contra Imperatorem vel Imperium, (quod crimen perduellionis specialiter vocatur) non in aliis casibus, quibus etiam jure veteri crimen læsæ majestatis censetur committi, *per l. fin. ff. ad l. Jul. Majest.* Et probabiliter ex 109
hoc capite, quòd qui contra unum vel plures Electores crimen læsæ Majestatis commiserit, in ipsam Rempublicam delinquere videatur, Carolus IV. Imp. *d. l.* expressè admisit accusa-

tionem hujus criminis post mortem perpetrantis, ad effectum duplicem abolendæ memoriæ defuncti, & confiscationis bonorum, quam dispositionem contra *d.l.fin.ff.ad l.Jul.Majest.* juxta regulas juris in materiâ odiosâ haud extentendam existima-
110 rem. Regale 24. in thesauris statuitur. Sed sub restrictione duplici locorum & inventionis, quæ hæc est, ut si in loco Cæsareis vel religioso thesaurus fuerit inventus fortuitò, pars ejus dimidia ad Cæsarem pertineat, (pars altera secundum jura absque dubio ad inventorem) sin verò datâ operâ, totus thesaurus Im-
111 peratori obveniat. Quid ergò si non in loco Cæsaris vel religioso thesaurus inveniatur? Quia constitutio Friderici nihil expressit juris communis dispositioni, hæc res relinquitur, juxta §. *thesauros* 39 *Inst. de rer. divis. & l. un. C. de thesaur.* nimirum ut hoc casu nihil ad fiscum pertineat Cæsaris, sed in suo inventus thesaurus, totus inventori, modò non per magiam vel illicitas artes inventus sit, acquiratur, in alieno verò, inter inventorem
112 & soli dominum dividatur. Secundum quæ nihil singulare est in fisco Cæsaris, nisi quòd thesaurus in loco religioso (idem de sacro & sancto dicendum) inventus ad Cæsareum jus ex toto vel parte pertineat, quo ipso textus *d. §. thesauros.* corrigitur, sed si magicis aut illicitis artibus thesaurus inveniatur, quia ad inventorem nihil tunc pertinet, *arg. d. l. unic. C. d. thesaur.* compendio fisci cedet & pariter si repertus fuerit in
113 solo inventoris, aliàs inter fiscum & soli dominum hoc casu videtur dividendus, ut sc. fiscus quasi in jus inventoris succedat, qui si licitè invenisset thesaurum, ejus partem dimidiam habuisset, alterâ dimidiâ reservatâ soli domino, unde concludendum fiscum jure communi & ex constitutione Friderici non indistinctè habere fundatum jus in thesauris inventis, sed si inventi sint in loco fiscali vel publico aut illicitis artibus, ergò extra hos casus, ubi aliud ex statutis vel consuetudine firmatâ haud obtinet, contra fiscum respondendum esset, *l. non puto. 10 ff. de jure fisc.*
Atque hæc sunt regalia ex constitutione Frid. I. Imp. succinctè
114 declarata; reperiuntur verò plura alia in jure Cæsareo Justinia-
nco,

neo, velut (1) suprema & universalis jurisdictio in Imperio per *text. in l. 1. §. 1. ff. de const. princ. l. ἀξίωσις. 9. ff. de l. Rhod. de jact. l. prætor. 3. §. 5. ff. de sepulchr. viol. l. 1. §. 1. ff. à quib. appell. non lic.* (2) exemptio ab obligatione legis positivæ utique ratione solennium *l. princeps. 31. ff. de ll.* unde Imperatoris testamentum ex veriori sententiâ valet citra solennitates juris, Dd. com. *per d. l. princeps. Paul. de castro in l. si quis Imperatorem. 6. n. 1. c. qui testam. fac. poss. Jason. in l. ex imperfecto. 3. n. 4. C. de testam. Zas. in l. centurio. n. 20. & 21 ff. de vulg. & pupill. subst. Menoch. cons. 351. n. 8. & 9.* Quanquā testamentum 115
privati, qui heredem instituit Imperatorem, deficientibus solennitatib⁹ haud sustineatur, *d. l. ex imperfecto. & l. ex imperfecto 23. ff. de leg. 3.* Sic & donationes ultra legitimum modū ab Imp. factæ valent sine insinuatione actorum per *l. sancimus. 34. pr. C. de don.* & collatæ in filium familias contra juris regulam habent 116
plenum effectum, sc. ut tam proprietas, quàm ususfructus filio famil. donatario obveniat. *l. pen. C. de bon. quæ l.* Huc (3) referendum jus conferendi dignitates majores. *per l. fin. C. ubi sen. vel clariss. l. nemo C. de dign. Reink. de reg. sec. & Eccles. lib. 1. cl. 5. c. 5. n.* quæ licet quandoque conjunctæ sint magistratibus, non hoc tamen est necessarium, quia sunt, qui ad culmen principis vel dignitatem comitivam fuerunt evecti, sed absque investiturâ feudi regalis, ut adeò jus conferendi dignitates per se distingui meritò debeat à jure constituendorū magistratuum, de quo pri⁹; atque hoc est quod dicitur *in d. l. fin. §. 2.* degere in urbe ali- 117
quos illustres decoratos honorariis codicillis, i. e. diplomate Cæsareo, sed sine administratione. Huc & (4) eodem argumento pertinet jus nobilitandi *d. l. nemo. & l. sacrilegii. 5. ubi Bartol. & alii. C. de div. rescript. d. l. fin. §. 2. ibidemque Paul. de Castr. Tiraqu. de nobil. c. 6. per tot. Bocer. de regal. c. 2. n. 7.* Amplius & (5) jus instituendi studii universalis vel erigendæ universitatis Imperatoris est, *arg. l. un. C. de stud. liberal. urb. Rom. &c.* Equi- 118
dem hoc jus Pontifices quoque antehac exercuisse & privilegia universalis studii concessisse exempla docent præsertim

 uni-

universitatis Heidelbergensis, quæ auctoritate Pontificis Bo-
119 nifacii Noni seculo decimo quarto instituta & dotata fuit, quò pertinet, quòd Honorius Tertius Pontifex professionem studii juris civilis sub anathemate Parisiis prohibuerit in *c. super speculâ* 28. *X. de privil.* quod quidem cap. Gonzalez & Wagenreccius *ibid.* restringunt partim ad causam, partim ad personas, ne sc. clerici præ studio juris civilis omitterent Theologiam, *c. fin. X. ne cler. vel mon.* sed quia prohibitio isthæc nec vel illius causæ vel personarum mentionem facit, haud
120 animadverto, cur huic interpretationi sit assentiendum. Planè in Imperio pleræque universitates vel Academiæ Cæsareis privilegiis fundatæ institutæque sunt vel superioribus vel hoc seculo, ut, quin Imperatoris Romano-Germanici hoc jus æquè sit, ac veterum Principum, dubitare non liceat; eaque propter in pacificatione Germanicâ tricennalis belli Imperator Ferd. III. gloriosæ memoriæ cum terris ac provinciis ad Sueciæ Regnum translatis simul concessit jus erigendi in illis ubi quandoque commodum visum fuerit Academiam vel uni-
121 versitatem, teste *Instr. Pac. art.* 10. *§. prætereà concedit.* 13. Insuper (6) huc referri debet jus nundinarum Imperialium *l.* 1.
122 *ubi dd. ff. de nund.* nec minus (7) jus concessionis moratorii *l. quoties* 2. *l. universa.* 4. *C. de prec. Imp. offer.* quæ quia ad tempus quinquennii plerumque impetrari consueverunt, quinquennalium induciarum nomen habent *in l. fin. C. qui bon. ced. poss.* Equidem juxta hunc textum creditores debitori obærato concedere debuerunt has inducias, nisi vellent eum adigere ad cessionem bonorum, sed sæpiusculè etiam ære alieno pressi ab Imperatore tantas inducias, quas à rigidis creditoribus consequi non possent, & petierunt & impetraverunt, unde mora-
123 toria & quinquennell pro synonymis accipiuntur *in reform. Pol. Imp.* de anno 1548. *tit.* von verderbenen Kauffleuthen. §. und nachdem sie. *& in Ord. Pol. de anno* 1577. *d. tit.* §. wann auch solche. Numerandum (8) loco jus dandæ veniæ ætatis, *l. omnes.* 2. *& tot. tit. C. de his qui ven. ætat. Reinck. d.*
c; 6.

c. 6. n. 141. Nec tantum ut indulgeat ipse Imperator ætatis veniam, sed ut per speciem privilegii hoc jus concedat, ut quis aliis veniam ætatis tribuat, quale quidem jus Bartolo concessum à Carolo Quarto fuit, ceu ipse refert *tract. de test. num.* 80. Item (9) jus obfirmandi arrogationes ex legibus Romanis Im- 124
peratori attribuitur; cum enim populo jubente arrogationes fierent, ut refert *Gell. lib. 4. noct. Attic. c. 19. text. in l. impubere. 2. circa fin. C. de adopt.* & verò populi jus omne in Principem translatum sit, *d. l. 1. ff. de const. Princ.* jus quoque arrogationibus per rescriptum auctoritatem ac robur tribuendi eidem obvenit. *l. generalis. ff. de adopt. d. l. impuberem. l. arrogationes. C. eod.* Nec minus (10) inter hæc jura potestas 125
legitimationis rectè refertur, quâ scilicet naturales liberi deducuntur juris fictione & ex auctoritate rescripti Cæsarei in statum legitimum. *l. cum quis.* 10. *& l. seq. C. de nat. lib. Nov.* 89. *cap.* 9. idque sive Imperator per rescri- 126
ptum aliquem declaret legitimum, sive id fiat à Comite Palatino, cui Imperator hanc facultatem concesserit. Sanè illam gratiam, quâ nonnulli referuntur non ipsi tantùm ex Cæsareo beneficio aut natalibus restituere, aut veniam ætatis in Imperio concedere posse, sed aliis etiam hoc 127
idem jus tribuere, ut ulteriorem facultatem habeant natalibus restituendi, vel veniæ ætatis concedendæ, minus quis dicat probandam, ac cupidini impetrantium adscribendam per ea, quæ infrà *tit. de reserv. Cæsar. secul.* deducuntur. Huc 128
porrò (11) pertinet jus gratiosæ restitutionis sive aggratiandi, ut vocant; hoc enim juxta Romanas leges Imperatori competere patet ex *l.* 1. §. 10 *ff. de post. l.* 1. *& t. t. C. de sent. pass. & rest.* Ea verò restitutio gratiosâ duplex est plena, quando omnis pœna per sententiam inflicta remittitur, sive ad corpus, sive statum personæ & famam, sive ad bona spectaverint, quale exemplum est in *d. l. 1. C. d. t.* minus plena restitutio est, quæ non omnis pœnæ, sed in uno vel 129

altero puncto tantum remissionem continet; exempla obvia sunt *in l. cum patrem. 2. l. ademptis. 5. l. in insulam. 6. l. generalis. 7. l. si pater. 9. l. casus. 11. C. d. t.* Ac talis quondam fuit Bernhardini Carvaiallis ac Federici Sanseverinatis Cardinalium tempore Leonis Decimi Pontificis restitutio, quia ordini, & honori restituebantur, non verò bonis ac sacerdotiis, uti
130 refert *Guicciardin. lib. 11. histor. p. m.* 87. Neque prædictis obstat *l. fin.* §. 4. *C. d. t.* ubi indulgentia in genere plenè retribuere videtur famam, statum & bona; nam licèt verba gratiosæ restitutionis generalia per benigniorem interpretationem omnia per sententiam amissa, prout textus *d. l. fin.* innuit, restituere censeantur, non tamen discrimen restitutionis gratiosæ plenæ ac minus plenæ hinc tollitur, sed
131 si Imperator v. g. reditum in patriam relegato concedat, vel condemnato infamiam ex sententiâ illatam aboleat, non statim cæteras restituisse censendus est, quia licet be-
132 neficia Principis latiùs interpretanda sint, *l. beneficia* 3. *ff. de const. Princ.* & in hac ipsâ materiâ quidem restitutionis gratiosæ *d. l. fin.* tamen illud verum & accipiendum est, quatenus verba patiuntur, non contra juris expressi dispositionem, *d. l. cum patrem. d. l. si ademptis. d. l. in insulam cum simil.* Aliud igitur, quando gratiosa restitutio fit verbis generalibus, aliud quando gratiosa ad unum
133 aliquod per pœnam ademptorum. Porrò (12) Cæsareis juribus connumeranda dispensandi facultas est, nimirum quoad leges positivas, quæ res differt à privilegii concessione, quòd hæc quidem jus singulare complectatur, non verò necessariò casum juri adversum, à cujus juris contrarii observantiâ quis eximatur, id quod fit per dispensationem. Atque sic asserendum, posse Imperatorem dispensare in nuptiis, circa gradus lege positivâ humanâ prohibitos, *Nov. Leon.* 109. *Ioach. à Beust. de matrim. pag. 2. cap.* 56. *p.* 217. *Carpz. lib. 2. Jurisp. Eccles. tit. 7. defin.* 110. *num.* 1. & 7.

& 7. ac def. 111. *num.* 4. Neque obstant text. *l. fin. C. de incest.* 134
nupt. & l. 1. *cum l. sequent. C. si nupt. ex rescr. pet.* Quibus in locis rescriptum Cæsareum, adeoque dispensatio in materiâ nuptiarum excluditur, quoniam respondendum est non generaliter, sed certis tantùm casibus excludi, nimirum, si agatur de nuptiis patrui vel avunculi cum fratris sororisvè filiâ, *d. l. fin. C. d. incest. nupt. & d. l.* 2. *C. si nupt. ex rescr. pet.* quanquam has quoque nuptias juris Canonici scriptores dispensabiles esse velint, quâ de re nunc non ago; aut si defectus consensus parentum vel contrahentium personarum rescripto Cæsareo velit suppleri, quæ res sub gravissimâ pœnâ prohibetur *d. l.* 1. extra
casus verò lege divinâ prohibitarum nuptiarum, & jam relatos, 135
quibus excluduntur nominatim rescripta, imò & his ipsis si exprimatur, haud dubitandum, Imperatori licitum esse dispensare, per *Nov.* 139. sicut dispensatum legimus saltem quoad legitimum liberorum statum, etiam in casu per rescriptum ex allegatis legibus indispensabili, videlicet de matrimonio Flaviæ Tertullæ, quæ per quadraginta annos avunculo nupta fuerat, & ex eo liberos complures susceperat, *l. qui in provinciâ.* 57.
§. 1. *ff. de rit. nupt.* Nec verò tantùm in nuptiis Cæsarea dispen- 136
satio, quam hodiè Ecclesiasticæ potestates inter Catholicos sibi vindicant, sed in aliis quoque juris articulis locum obtinet, velut in testamenti factione, quam Imperator concedere potest inhabili, *l. si mutus.* 7. *ff. qui testament. fac. poss. text. in*
l. si quando. 35. *pr. ff. de inoff. test.* Sic & testamenti factionem 137
passivam, quam vocant, sivè habilitatem ad successionem Imperator dare potest inhabili; velut si deportatum gratiosè restituat, ut in specie *d. l.* 1. *C. de sent. pass.* item si liberos naturales de plenitudine potestatis & ex certâ scientiâ legitimet, quo casu contra regulam habiles fiunt, ut in feudis succedant, & multò magis, si in diplomate Cæsareo hoc foret expressum, scilicet legitimatos fore habiles etiam ad feuda, *gloss. in* §. *naturales.* 2. *F.* 26. *& ib. Alvar. num.* 3. *&* 4. *Brun. vol.* 1. *cons.*
feud.

138 *feud.* 1. *num.* 57. *quos secutos sum in prax. jud. pag.* 2. *cap.* 1. *num.* 85. *&* 86. Sic Imperator quoque dispensare potest in formâ solennitatum testamenti, ut quis scilicet illud faciat sine consuetis solennitatibus, *arg. pr. inst. de mil. test. tt. ff. & Cod. eod. l. si non speciali.* 9. *C. de test.* in dubio tamen talis concessio non præsumitur per *d. l. si quando.* Atque sic in aliis articulis concessionis privilegiorum vel dispensationis, quæ materiæ licet distinguantur, magnam tamen se affinitatem habent,
139 Imperatori facultas est, quo numero sunt immunitates, *l. immunitates.* 4. *ff. de jur. immun. l. un. C. de his, qui à Princ. vac.* item privilegia de non evocando, de non appellando, Austregarum, electionis fori, & plura alia, de quibus suo loco, ex eodem fonte Cæsareæ concessionis derivantur; præter hæc
140 verò & hactenus deducta jura dubium non est, Imperatori legibus Romanis competere supremam potestatem circa religionem & personas Ecclesiasticas, quia de his tulêre leges, ut docent tituli Codicis, *de summ. Trin. & fid. Catholic. de SS. Eccles. de Episc. & Cler. &c. item Nov.* 123. *Nov.* 131. *Nov.* 137. idque jus circa sacra & personas Ecclesiasticas, velut Episcopos & universum Clerum, Imperatores etiam Romano-Germanicos & habuisse, & olim exercuisse, ex historiis est notissimum, quid verò in his omnibus juribus Principibus & Statibus Imperii communicatum, vel in eos privativè translatum sit aut non, ulterioris est indaginis, quæ consideratio cùm in variis ac diversis consistat, duobus titulis proximis hanc rem separatim complecti placuit, quorum priore Cæsarea Reservata in Ecclesiasticis, posteriore in Secularibus distinctè proponerem; Isthæc verò sunt, quæ de Regalibus ex Constitutione Friderici I. Imperatoris, & ex jure Romano reservatis præmittere volui.

TITU.

TITULUS XI.

DE CÆSAREIS RESERVATIS CIRCA ECCLESIASTICA.

SUMMARIA.

Num. 1. Status Reipublicæ versatur circa sacra & profana. 2. & 3. Cura suprema sacrorum & religionis jure Romano ad Principem pertinet. 4. Cura suprema religionis penes Imperatores Romano-Germanicos olim fuit. 5. Ius statuendi de religione hodiè in Imperio est comitiale. Sed 6. 7. & 8. Intuitu defensionis universalis adhuc de reservatis. 9. usque 18. jus indictionis & præsidii conciliorum antiquitùs Cæsareum fuit, 19. usque 24. Pontifices recentiori tempore conciliorum indictionem sibi asseruerunt. 25. Concilii generalis difficultas. 26. Conciliorum indictio respectu Episcoporum Imperii, hodienum de reservatis est. 27. & 28. Advocatia, quam vocant, Ecclesiæ est de reservatis. 29. usque 34. Articulus primus capitulationis Cæsareæ in puncto patrocinii Ecclesiastici perpenditur. 35. & 36. Cæsari pro patrocinii Ecclesiastici obligatione vetera debita hodiè de facto non præstantur. 37. usque 44. jus constituendi Episcopos in veteri Principatu Cæsareum fuit. 45. usque 56. Investitura Episcoporum usque ad Henr. V. Imperatorem & Calixtum II. Pontificem Cæsarei juris fuit. 57. usque 77. collatio Episcopatuum in Imperio Germanico, nec post Henr. Quintum & Calixtum secundum neglecta prorsus est ab Imperatoribus. 78. Pacis religiosæ insigne caput est suspensio juris Episcopalis Pontificii in terris Protestantium. 79. Pacificationis Germanicæ lege plures Episcopatus secularisati sunt. 80. & 81. Pontifices paci religiosæ & Instrumentis pacis Germanicæ adversi. 82. & 83. Ius Cæsareum in Episcopos præscriptione haud

 amissum.

amissum. 84. 85. & 86. *Ius supremum in Episcopis constituendis adhuc est de reservatis Cæsareis saltem quoad modum electionis juxta ipsam formulam Calixtinæ conventionis.* 87. *usque* 99. *Iurisdictio suprema Ecclesiastica est de reservatis Cæsareis.* 100. *Principes & Proceres Evangelici quodnam forum habeant in matrimonialibus causis, triplex sententia, de austregis, Consiliariis Principum, & Cæsareo judicio refertur.* 101. *usque* 105. *Austregale forum non esse competens in Principum Procerumque Evangelicorum causis matrimonialibus, deducitur.* & 106. *usque* 109. *Rationibus contrariis respondetur.* 110. *usque* 119. *Consiliarios Principum Procerumque Consistoriales non esse judices competentes in causis Dominorum suorum matrimonialibus, ostenditur.* 120. *usque* 129. *matrimoniales causæ Principum & Procerum protestantium apud Imperatorem disceptandæ, sed juxta leges & mores Evangelicorum, non præcisè ex jure canonico.* 130. *usque* 138. *Dispositio suprema de bonis & beneficiis Ecclesiasticis est de reservatis Cæsareis.* 139. 140. *Concordata Germanicæ nationis sunt pacta inter Nicolaum Quintum Pontificem, & Fridericum Tertium Imperatorem de bonis & juribus Ecclesiasticis conventa.* 141. *Concordata Germanicæ nationis consistunt quatuor partibus, scilicet reservationibus Pontificiis, confirmationibus, mensibus & annatis.* 142. 143. & 144. *Reservationes Pontificiæ perpenduntur.* 145. *Confirmationes Pontificis secundum concordata declarantur.* 146. *usque* 150. *Menses Papales ex concordatis & Gregorii Decimi Tertii Pontificis declaratione explicantur.* 151. *Annatæ quid sint?* 152. *usque* 161. *Annatarum origo quæ sit, & num ex jure civili solidè probetur?* 162. & 163. *Concordatorum tenor summarius de annatis refertur.* 164. & 165. *Annatarum scopus primarius Reip. defensionem respicit; annatarum dispositio suprema est penes Im-*

Imperatorem, ibid. 166. *&* 167. *Annatæ non laborant vitio Simoniacæ pravitatis.* 168. 169. *&* 170. *Primariarum precum origo debetur consuetudini.* 171. *Primariarum precum Rudolphi Primi Imperatoris formula.* 172. *&* 173. *Primariarum precum Caroli Quarti Imperatoris ad Canonicos Ravensburgenses literæ.* 174. *Primariæ preces habent vim juris & mandati.* 175. *Primariarum precum jus Cæsareum regale est.* 176. *Primariarum precum definitio.* 177. *Primarias circa preces variæ proponuntur quæstiones.* 178. *usque* 183. *Primariarum precum jus Imperatores, tam ex consuetudine, quàm indulto Pontificis habent.* 184. *Primariarum precum formulæ magis ex potestate Cæsareâ, quàm indulto Pontificis concipiuntur.* 185. *Pauli V. Pontificis gratiosarum precum indultum ad Ferdinandum II. Imperatorem.* 186. *&* 187. *Ratio, cur præter consuetudinem concessione Pontificis in exercitio precum nitatur Imperator?* 188. *Primariæ preces exerceri solent ab Imperatore post coronationem.* 189. 190. *&* 191. *Primarias preces exercet Imperator non quà Canonicus, sed jure Cæsareo & ex consuetudine.* 192. 193. *&* 194. *Primariæ preces ad speciem nominationis, vel suo modo etiam collationis referuntur.* 195. *usque* 198. *Primariæ preces nec præcisa nominatio nec præcisa collatio sunt, sed mandatum de providendo.* 199. *usque* 204. *Primariæ preces etiam habent locum in mensibus ordinarii vacante beneficio.* 205. *Primariæ preces locum habent in omnibus beneficiis non exceptis, quæ referuntur.* 206. *usque* 209. *Primariarum precum beneficium an & quatenus sit revocabile nec ne?* 210. *usque* 214. *Precista per formulas precum consuetas non consequitur jus in re, sed ad rem, nec consequenter beneficium vindicare potest ante collationem.* 215. *Imperator, si velit, potest per literas precum tribuere precistæ jus in re, sed hoc non fit in formulis ordinariis.*

216. 217. & 218. *collator morosus non parens literis precum tenetur precistæ ad interesse.* 219. *usque* 223. *Precistæ, qui beneficium vel interesse à collatore moroso obtinere nequit, ex æquitate datur actio contra possessorem beneficii.* 224. *Gratiosa rescripta de jure Canonico considerantur secundum tempus datæ sive concessionis, non præsentationis literarum.* 225. *usque* 228. *Precistæ duo vel plures, si successivè præsentaverint literas precum, quis præferatur?* 229. text. c. si postquam. 13. de præb. in 6. *declaratur.* 230. *Menstruum tempus à die notitiæ vacantis beneficii ex indulto Pontificis observandum est.* 231. & 232. *Menstruum hoc tempus si non observetur, precista ex formulis precum Cæsarearum non ita strictè excludi debet jure suo.* 233. *Precista, cui primum beneficium vacans non arridet, an & quatenus ad secundum vel tertium pòst admittatur?* 234. & 235. *item* 237. 238. & 239. *Primariarum precum literæ, si vivo Imperatore concedente non insinuentur, posteà non valent sine novâ gratiâ successoris Imperii* 236. text. c. literis 39. X. de rescr. *ponderatur.* 240. & 241. *Precista Cæsareus regulariter aliis præfertur, etiam antiquiorem expectativam habentibus.* 242. & 243. *Concilii Tridentini dispositio in* can. 1. sess. 24. *circa mandata provisionalia Pontificis, non videtur referenda ad Cardinales tale mandatum habentes, juxta indultum Pauli V.* 244. *Lovaniensi Facultati artium specialissimè concessum à Pontifice fertur, ut nominationes ejus precibus Imperialibus præferantur.* 245. *Privilegia prælationis num concedi possint à Pontifice ad præjudicium juris precum Cæsarearum.* 246. 247. & 248. *Primariarum precum jus Imperator etiam habet in Ecclesiis Principum Statuumque protestantium adstipulante consuetudine* 249. & 250. *Pacificatione Germanicâ quid de Cæsarearum precum exercitio in terris Protestantium cautum?* 251. 252. & 253.

Pri-

Primariarum precum jus in territoriis Evangelicorum Imperator ex Cæsareâ potestate ac consuetudine exercet non ex indultu Pontificis. 254. 255. & 256. Primariarum precum exercitium non restringitur per tabulas pacis Germanicæ ad annum millesimum sexcentesimum quartum. 257. usque 260. Primariarum precum consuetudo universalis relevat ab onere probandi. 261. Ecclesia concessione speciali vel immemoriali præscriptione exempta intelligitur ab onere precum, quod 262. & 263. declaratur. 264. Ecclesia constituta in quasi-possessione exemptionis precum, non est gravanda interim per literas provisionales, etsi desuper legitimè conveniri posset.

CUm Status Reip. circa duo versetur, nempe circa sacra vel religionem, & circa profana, illa verò in Imperio divini Numinis cultum in Ecclesiis orthodoxis, harumque personas, bona & jura complectantur, hæc autem Rempubl. in humanis negotiis concernant, Cæsarea Reservata circa utrumque genus declaranda veniunt, & hoc titulo de Reservatis circa Ecclesiastica, posteriore de Reservatis quoad Secularia, dicemus. Primum quidem dubium non est, ad Imperatorem jure Romano referri supremam religionis curam; nam ut multa de his non dicam, visum olim arbitrii Principis esse, quæ religio publicè permitteretur, quæ prohiberetur, atque ex eâdem potestate decem persecutionibus sub Nerone, Domitiano, Trajano, Marco Antonino, Severo Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano & Diocletiano, Imperatoribus Romanis, Christianam religionem per Cæsarea edicta fuisse prohibitam, certè pòst cùm Christiani Principes rerum potiti essent, constat, non tantùm Gentiles ritus & sacrificia publicis legibus severè ac sub pœnâ capitis interdicta. *l. 1. l. ne quis 2. l. nemo. 7. cum l. sequ. C. de pag.* verùm etiam religionis or-

1 (margin, line 1) · 2 (margin, at "mus. Primum quidem") · 3 (margin, at "Christianam religionem")

thodoxiam sanctione firmatam, erroresque hæreticos damnatos, *l. 1. l. cum recta. 5. & tt. C. de summ. Trin. & fid. cathol. l. cuncti. 3. l. Manichæos. 4. l. Arrianis. 5. & t. t. C. de hæret.*
4 Neque tantùm olim in Principatu Romano, sed etiam in Imperio Romano - Germanico id obtinuit, ut suprema eorum, quæ religionem concernerent, sollicitudo ad Imperatores referretur, uti testantur Caroli Magni, Ludovici Pii, Ottonis Primi, Henrici Secundi, Friderici Primi ac Secundi, aliorumque Imperatorum exempla, quibus variis occasionibus uti orthodoxa ipsis probata religio coleretur, opiniones verò heterodoxæ ac hæreticæ abolerentur, diversis legibus vel edictis caverunt, sive etiam quæ in Clero & Episcopis, ipsoque populo Christiano circa vitæ mores reformatione indigere viderentur, curæ suæ duxerunt, ceu passim testantur constitutiones horum Im-
5 peratorum apud *Goldast. tom. 1. const. Imper.* Hodiè verò jus statuendi de religione & eam concernentibus, in Imperio nostro comitiale est, ceu demonstrat sanctio pacis religiosæ *ex Recess. Imp. de anno* 1555. §. Und damit solcher Fried. 15. *cum §. sequ.* item *instr. pacis art. 5. per tot. & art.* 7. Quæ dispositio unà cum cæteris capitulis confirmata est per *Recess. Imp. de anno* 1654. §. Setzen demnach. 6. Et sic jus hoc de religione haud amplius ad reservata Cæsarea referen-
6 dum videtur; nihilominus tamen sano sensu admitti debet, adhuc hodiè supremam dispositionem circa religionem, saltem defendendam, quatenus publicis legibus approbata, vel exterminandam, quatenus prohibita est, Imperatori competere, quemadmodum Fridericus Secundus, plures hæreses speciali nomine expressas, cæteras verò in genere sub pœnâ infamiæ, banni Imperialis & bonorum confiscationis, lege prohibuit, cujus tenor post *consuet. feud.* refertur, & in Codicem translatus est sub *auth. Gazaros. d. t. de hæret.* hanc autem legem Friderici Secundi comitia-

mitialem fuisse non apparet; accedit alterum & recentius Caroli Quinti Imperatoris exemplum, quo jure communi prohibitam Anabaptistarum sectam, edictis & mandatis per Imperium, posteaque de *anno* 1529. constitutione ex plenitudine potestatis conceptâ, & ad status transmissâ, repressit, quam eandem Ferdinandus, tunc Rex Romanus, item Principes & Ordines Imperii, posteà subscriptione suâ approbaverunt. Nihil igitur absurdi est, supremam sacrorum curam ac defensionem hodienum ad reservata referre juxta leges scilicet publicas, h. e. ut religiones publicè approbatæ Cæsareum inveniant per Imperium & commune patrocinium, improbatæ verò vindictam sentiant atque exterminationem, Ulteriùs & 2. de reservatis est jus indictionis ac præsidii conciliorum, quo usi sunt Principes veteres, & maximè in quatuor conciliis Primis universalibus, vulgò œcumenicis; sic enim concilium Nicenum auctoritate & præsidio Constantini Primi, Constantinopolitanum verò primum Theodosii Primi, Ephesinum Theodosii junioris, Chalcedonense Marciani Imperatorum auctoritate & præsidio indicta habitaque fuerunt, uti refert Zonaras *tom.* 3. *Annal. p. m.* 84. de Nicenâ Synodo his verbis: *Imperator* (qui tunc fuit Constantinus Primus) *anno Imperii sui vigesimo provinciarum Episcopos Niceæ Bithyniæ urbe convenire jussit*; similiaque habet idem Zonaras & de cæteris relatis conciliis, *d. tom.* 3. *p. m.* 89. 90 *&* 91. ac de Chalcedonensi Synodo, quòd auctoritate Imperatoris Marciani constiterit, apparet ex Evagrio *lib.* 2. *historiar. cap.* 18. tùm ex *l. nemo.* ibi: *Per nostra statuta C. d. t. de summ. Trin.* Et inprimis memorabile est, quòd ipsimet Romani Pontifices illorum temporum, Cœlestinus & Leo (ex synchronismo horum nominum primi) cum aliis Patriarchis Theodosio juniori, item Mar-

Marciano Imperatoribus, supplicaverint, ut indicto concilio in heterodoxas Nestorii & Eutychis sententias inquireretur, refe-
12 rente Zonara *d l.* Tantum abest, ut illâ ætate Pontifices Romani sibi asseruerint potestatem indictionis universalis concilii per Imperium; Omitto ea, quæ pòst variis Conciliis Imperii Romano-Græci in Ecclesiis orientalibus agitata fuerint, certè in Im-
13 perio nostro pluribus exemplis constat, occidentis Imperatores & auctoritate suâ generalia concilia indixisse, & præsides iisdem fuisse; ita Carolus Magnus Francofurti trecentorum Episcoporum anno 794. concilium convocari jussit contra hæreses aliquas, uti refert *Goldast.tom.*1.*const.Imp.p.m.*19. *& sequ.* Ludovicus quoque Pius Aquisgranense conciliū habuit anno 817.
14 referente *eodem Goldasto d.tom.* 1.*p.* 150. Sic Otto I. Romanū concilium congregari mandavit contra Joh. XII. Papam anno 963. Sic & ab Henrico IV. conventum Episcoporum actum adversus Hildebrandum Pontificem apparet ex relatis Goldasti *d. tom.* 1.*p.*237.238.*&* 241. Henricum præterea Quintum Synodum Generalem Northusensem Episcoporum & Clericorum convocâsse, verosimiliter refert idem *Goldast.d.tom.* 1.*p.*247.
15 *&* 248. Ex eodem jure Fridericus I. Imperator Papiæ & pòst Bisantii Generalem indixit Episcopis conventum, eidemque auctoritate Imperatoriâ præfuit. Goldast. *d.tom.*1.*p.*271.*& seq.* item *p.* 280. Quâ de re ita ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque antistites religiosos, præsentibus etiam
16 Principibus secularibus dixisse fertur Fridericus Imperator: *Quamvis noverim officio ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis; hoc enim & Constantinus & Theodosius, necnon Justinianus seu recentioris memoriæ Carolus Magnus & Otto Imperatores fecisse memorantur, auctoritatem tamen definiendi hujus maximi & summi negotii, vestræ prudentiæ vestræque potestati committo; Deus enim constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis*

his dedit de nobis quoque judicandi. uti ex *Radevico lib.* 2.
c. 64. *& Ottone de S. Blasio c.* 13. annotavit *Lehmann. lib.*
5. *Chron. Spir. c.* 67. *p. m.* 538. Fuit ergò hoc tantum negotium 17
de constituendo Pontifice, cum duo per dissensionem ele-
cti essent, Victor & Alexander, (licet prior in catalogo
Pontificum vulgari hodiè non referatur) circa illa tem-
pora Patribus sive Episcopis congregatis ab Imperatore com-
missum, quorum judicium etiam confirmavit Fridericus Im-
perator. Quæ quidem tam varia & alia exempla ostendunt
concilii universalis jus penes Imperatorem esse, idque etiam
adstruit *d. l. Lehmann.* nec minus perspicuè & generaliter
idem tradit, *lib.* 2. *Chron. c.* 41. *p. m.* 167. quando ex senten- 18
tiâ Hincmari antiqui Patris Ecclesiastici & Episcopi scri-
bit: *Imperatorum authoritate convocatas generales synodos
& in historicis Ecclesiasticis & in epistolis Apostolicæ sedis
Pontificum reperimus.* Cui talem etiam ibidem epicrisin sub-
jicit Lehmannus: So bestättigen diesen Puncten auch alle
alte Scribenten / mit durchgehendem einhelligem Bey-
fall / und kan mit keiner Warheit widersprochen wer-
den. Quæ etsi ex deductis ita planè habere videantur, ve- 19
rendum tamen, ne posteriori ævo ab hoc jure recessum sit,
dum Pontifices, quorum potentia & auctoritas in Christia-
no orbe plurima ceperat incrementa, indictionem concilii
generalis contra morem priscum & tot allegata exempla si-
bi solis attribuerint; Equidem synodus Constantiensis Im- 20
peratoriâ maximè auctoritate subnixa fuit, quòd præter
examen dogmatum Husiticorum Patres Concilii, de schi-
smate trium Pontificum per discordiam electorum, Joh.
videlicet XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. tol-
lendo agerent, cui rei Sigismundus Imperator auctorita-
tem præbuit, eosdemque Pontifices judicio Patrum sede
movit. *Dresser. in Millen.* 6. *pag.* 241. *&* 242. item *pag.*
408. Sed nihilominus idem Concilium à Joh. Pontifice, 21

persuadente Sigismundo indictum refert *Dresser. d. pag.* 242. Recentissimum Tridentini exemplum est, quod imperante Carolo Quinto habitum, cujus concilii indictionem Ferdinandus Rex Romanus apud Pontificem ejus temporis Paulum Tertium intercessione efflagitavit, uti docet Imperii Recess. Spir. de anno 1542. §. Alsdann auch die Päbstliche. 128. vers. darauff haben wir / Ipse Carolus V. in Recess. Aug. Imperii de anno 1548. §. dagegen haben wir / 11. non tàm indictionem concilii generalis Cæsareâ auctoritate, quàm sollicitudinem intercessionis, ad maturationem ejus promittere videtur.
22 Quicquid sit, idem illud concilium à Pontifice indictum constat & scribit *Sleid. de stat. relig. lib.* 14. *p.* 407. & *lib.* 16. *p.* 455. communicatâ tamen re prius cum Cæsare, uti Cardinales Pontificis legati retulerunt in oratione, qua Mendozæ Imperatoris legato respondent apud eundem *Sleid. d. lib.* 16. *pag.* 485. Neque soli Pontificii legati, sed Cæsarei quoque, huic concilio, postquam Bononiam translatum, & à Julio Tertio Pontifice Tridentum revocatum
23 fuit, cum auctoritate interfuerunt. *Dresser. dict. Millen.* 6. *pag.* 261. Plane licèt Pontifex synodum indicat, tamen Episcopis Imperii ad eam sine consensu Imperatoris venire, non est integrum, idemque haud dubiè obtinet, quoad exterorum regnorum Episcopos, ut consentiente rege suo ac-
24 cedant, quâ de causâ etiam Tridentinum ob comparentium Episcoporum paucitatem per multos annos prorogatum fuit, & Pontifex ipse Carolum Quintum Imperatorem, nec non Galliæ regem hortatus est, ut Episcopis suis Imperio sc. vel regnis Hispaniarum & Galliarum subjectis mandarent, ut ad concilium venirent. *Sleid. d. p.* 407. Ex quâ re fit, ut hodiè concilium generale totius Chri-
25 stiani orbis difficilimè haberi possit, propter multarum potestatum supremarum consensum, in hoc negotio simul necessarium. Eo tamen non obstante jus indictionis præsidii vel

vel auctorisationis conciliorum generalium, hodienum inter reservata saltem respectu Imperii ponendum; soli enim Imperatori, quod ad Imperii Episcopos attinet, competit, magisque, dixerim, si quid emergente casu concilii, contrà fiat, Imperatores non uti jure suo, quàm amisisse videri; fingamus esse, qui se pro Papâ gerat, cum electus non sit, vel esse duos aut plures electos, ceù ætate Friderici Barbarossæ & Sigismundi Imperatorum contigit, quis non justum æquumque censeat, Imperatorem adhuc hodiè congregatione concilii tunc agere, quod est sui officii, atque in id sollicitè adniti, ne Respublica Christiana hinc patiatur detrimentum? Tertium reservatorum dici potest jus advocatiæ vel patronatus Ecclesiæ Romanæ, quod sine dubio descendit à Carolo Magno, & in Ottone Primo repetitum fuit: causæ sc. sunt, quòd Carolus Magnus sui temporis Longobardorum Regem Desiderium, & Otto Primus Berengarium, Foroliviensem Præsidem, qui se jam pro Rege gesserat, uterque verò Italiæ ac sedi Romanæ haud parua detrimenta attulerat, armis vicissent, ac depressissent; illud igitur patrocinium armatum est, quo Imperator Ecclesiæ Romanæ periclitanti succurrit, ac de eo primus capitulationum articulus conceptus legitur, jam inde à Caroli Quinti Imperatoris tempore, ut sic Imperator lege Imperii obstringatur ad defensionem Ecclesiæ & Romani Pontificis, sed ab hac obligatione Evangelici Electores jam ab ætate Rudolphi Secundi Imperatorem eximunt speciali protestatione huic promissioni subjectâ; ipsa verò verba obligationis ac promissionis Imperatoriæ jam à Caroli V. ætate articulo *Capitul.* 1. circa rem ipsam uniformiter expressa ita habent: daß wir in Zeit solcher Königl. Würde Ampts und Regierung/ die Christenheit/ den Stuhl zu Rom/ auch Päbstl. Heiligk. und die Christliche Kirch (quæ vox Christliche in solâ capit. Caroli V. apud *Carpzov. post Tract. L. Regiæ Germanorum omissa*:) als derselben Advocat in gutem Befehl und Fürhaben/

Ss 2 ubi

ubi quatuor sunt, Christianitas, sedes Papalis Romana, Pontificia Sanctitas & Christiana Ecclesia, quid igitur his nominibus diversis subintelligatur, ut constet, cui & ad quam defensionem Imperator sese hoc articulo obliget, considerandum est.
31 Prima occurrit vox Christenheit/ quo nomine nihil commodius orbe Christiano accipi potest; nam & cum hoc vel illud actum gestumve in der Christenheit/ dicimus, planè intelligimus actum gestumvè in aliquo regno vel provinciâ Christianâ, sc. in oppositione ad barbara regna vel terras hominum non Christicolarum; secunda occurrit mentio
32 Romanæ sedis, des Stuhls zu Rom: & tertia Pontificis, sive Päbstlicher Heiligkeit/ inter quæ duo dubio procul hæc subest differentia, quòd sedes Romana dicatur etiam vacans, sive Pontifice extincto, Pontificia verò Sanctitas personam Pontificis adhuc vivi denotet; quemadmodum igitur sede vacante in aliis Archiepiscopatibus vel Episcopatibus intelliguntur capitula nomine sedis, sic in statu Ecclesiastico Romano collegium Cardinalium penes quod Romæ mortuo Pontifice summa Status Ecclesiastici ex usu hodiè consistit; subjicitur
33 quarto loco vox Kirch oder Christliche Kirch/ quâ haud incongruè intelligi potest Christiana quælibet Ecclesia, cujus & competentium privilegiorum patrocinium his verbis videtur Imperator promittere, ut universæ dispositionis hæc videatur sententia: Imperatorem fore generalem defensorem Christiani orbis contra infideles, sedem Romanam vel statum Ecclesiasticum, qui Romæ fuerit, Pontificis quoque personam & Ecclesias, earum jura vel privilegia pro viribus defensurum
34 atque protecturum, quâ parte postremâ non tantùm Romano-Catholicas, sed & Evangelicas Ecclesias, cum & hæ Christianæ sint, publicisque hodiè Imperii legibus approbatæ, Imperatoriæ publicæque defensionis participes esse, negari non debet. Unde apparet, jus patronatus, quod Imperator habet respectu Ecclesiarum, generale esse ac diversum prorsus à jure patronatus, quod ex fundi domi-

minio Ecclesiæ concesso, vel ex ædificatione vel dotatione Ecclesiarum de jure competere solet; est verò mirandum, quòd 35
cùm tàm curiosè Cæsares Regesque Romani hodienum devinciantur auxiliis sedis Romanæ & Pontificis, ab alterâ tamen parte vetera præstanda, scil. debita erga Imperatorem subjectio, & agnitio supremi urbis Romanæ dominii juriumque Cæsareorum, quæ priscis Patronis, Carolo Magno, Ottoni Primo & successoribus per multa secula, pro defensione & obligatione publicæ protectionis præstita sunt, jam penitus velut desueta negligantur; non dico, à Pontifice, Clero & populo Roma- 36
no jure delatum Imperium ad eos fuisse, de quo suprà suo loco; sed clientelare obsequium ratione hujus dominii & Imperii olim exhibitum præstitumque hodiè minus servari, quàm jure deberet, & tamen in hunc usque diem, defensionis obligationem, patrociniique promissionem efflagitarii & exigi. In Re- 37
servatis Ecclesiasticis referimus 4. jus constituendi vel confirmandi Præsides Ecclesiasticos sive religionis Antistites, ut sunt Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & vel Pontifex ipse; horum enim quondam vel investitura vel confirmatio Cæsarei juris ac muneris fuit, electi quidem sunt Episcopi juxta leges 38
Cæsareas à Clero & Primoribus civitatis absque ulteriori confirmatione, quippe de quâ nulla mentio est, ac sufficere creditum, si juxta formam præscriptam à Cæsare eligerentur atque ordinarentur Episcopi, cæterique Ecclesiarum Antistites, *l. omnem* 42. *C. de Episc. & Cler. Nov.* 123. *cap.* 1. *Nov.* 137. *cap.* 2. per quas leges Clerici ac Primores civitatis tres personas dignas Episcopali honore nominare ac designare debuerunt, 39
è quibus quæ dignior visa, eligenda erat, & quidem electione ac judicio ordinantis, ut loquitur *d. Nov.* 137. *cap.* 2. Ordinator verò etiam ex ordine Ecclesiastico fuit, Patriarcha fortè vel Metropolitanus, quibus jus ordinandi tribuitur, *d. Nov.* 137. *cap.* 4. Neque tamen hinc colligendum est, Imperatorem Romanum per illa tempora non habuisse jus eli-

gendi Episcopi, contrarium enim & nomothesia isthæc Ec-
clesiastica, quâ Imperatoriâ auctoritate & potestate, forma
electioni & ordinationi Episcoporum præscripta est, &
40 exempla quoque demonstrant; sic enim Constantius Im-
perator Liberio Romanum Episcopatum, Theodosius Ju-
nior Nectario Constantinopolitanum in Synodo Oecume-
nicâ secundâ contulit, postque idem Imperator jussit Episco-
pos defuncto Maximo Proclum in cathedrâ episcopali col-
locare, referente Conringio in *exercit. de constitutione Epi-
scoporum Germaniæ thes.* 19. quanquam quod de Nectario re-
latum est, Theodosii junioris temporibus haud conveniat,
quippe cùm Theodosius Primus Concilio Constantinopoli-
tano primo, quod œcumenicum secundum fuit, Cæsaream
auctoritatem dederit, ut suprà retuli, Constantinopolitano
verò secundo, Justinianus Imperator, juxta *Zonaram d. tom.*
41 2. *annal.* Hinc quia Constantinopolitanum Concilium pri-
mum ante Theodosium juniorem, secundum verò post illius
ætatem habitum fuit, quod *l. c.* allegatum est à Conringio, vel
non ad ætatem Theodosii junioris pertinet, vel obstan-
42 te tempore non ad Concilium Constantinopolitanum. Sed
ut ad scopum propositum revertamur, mirandum minimè
est, in veteri Principatu, Clero & Primoribus civitatis, cujus
Episcopus eligendus erat, permissum, ut tres denominarent
dignos, è quibus Patriarcha vel Metropolitanus ordinator
unum eligeret, absque ulteriori & speciali confirmatione Cæ-
43 sareâ, & tamen Imperatorem potuisse vel è tribus deno-
minatis Episcopum eligere, vel etiam solum aliquem à Clerô
& civitatis Primatibus haud electum præficere episcopatui,
nam & in aliis causis, licet Imperator absque suâ speciali con-
firmatione negotii cujusdam perfectionem permittat ma-
gistratui, tamen, quin ipse auctoritate & consensu suo, citra
magistratus approbationem idem negotium perficere queat,
dubium in jure non est, & exemplo patet, decreti magi-
stratus

stratus in alienationibus minorum, quod oratione Severi Imperatoris ad validitatem hujusmodi alienationis introductum est in *l. 1. §. 2. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur.* & nihilominus si Imperator alienationi tali concessisset, ea fuit valida absque decreto magistratus, *l. illud. 2. C. quando decr. opus non est*; pari ratione, quamvis Clero & Primatibus denomina- 44
tio trium, ordinatori electio unius ex tribus permissa, & subsequens ordinatio sine speciali confirmatione Cæsareâ per *dd. ll.* sit delata, tamen Imperatorii juris per se fuit Episcoporum constitutio, ut si vellent Imperatores ad hunc gradum quenquam promovere, minimè obstiterint leges de Episcoporum denominatione, electione vel ordinatione. Veteres Romanos 45
Principes secuti posteà dicuntur Imperatores Romano-Germanici. *Conring. d. exerc. th. 21.* quanquam in Cæsareâ confirmatione Episcoporum, quæ Romano-Germanicis, non verò priscis Imperatoribus Romanis ordinaria fuit, ex prædeductis differentiam agnoscere liceat. Illud fide historicâ 46
certissimum videtur, Episcopos & sub Francicis Regibus ac Imperatoribus, & posteà diu sub Imperatoribus Romano-Germanicis aliis, Franciâ jam avulsâ, fuisse investitos adhibitâ annuli & baculi ceremoniâ; nam, ut omittam anteriores, Carolo Magno, in Synodo Romanâ, Pontifice Hadriano Primo, & Patribus Synodi consentientibus, præter po- 47
testatem constituendi Pontificis etiam Episcoporum investiendorum delata facultas est, ut refert Gratianus *in c. Hadrianus. dist. 63.* Hoc jus deinceps in Imperatoribus Carolinæ stirpis haud dubiè continuatum in Ottone Primo & successoribus, juxta *can. in synodo d. dist. 63.* repetitum, & nominatim Henrico Tertio reiteratum per ea, quæ refert *Goldast. tom. 1. const. Imp. p. 231.* Henrico Quarto sub controversiam voca- 48
tum est, ac tandem post diuturna certamina filio ejus Henrico Quinto à Calixto Secundo Pontifice extortum magis, quàm spontaneâ prorsus voluntate concessum, scil. quia metuit

metuit Henricus Quintus paternum depositionis Imperii ex-
emplum, referente Ottone Frisingensi *lib. 7. Chron. cap.* 16.
Equidem à Gregorio Septimo Pontifice jam decretum com-
memorat Card. Baronius ad *ann. Christi* 1078 *ad* 1080. ne
quis investituram Episcopatus à manu laicâ acciperet,
49 idque sub anathematis interminatione, neque tamen huic
Gregoriano decreto debetur tanti juris Imperialis extre-
mum dispendium; nam nec observatum posteà fuit, & Pa-
schalis Secundus Pontifex Henrico Quinto Imperatori
Episcoporum investituris ut jure Imperii competentibus ci-
tra contradictionem, uti iterum permisit, & licèt pòst mu-
tato consilio, Henricum Imperatorem pactione obstrinxe-
rit, ut investituras Episcopales cederet, tamen annexa
50 conditio fuit, ut Regalia Episcopatibus conjuncta ad Imperium
reverterentur, Cleroque iterum decederent, quam condi-
tionem Pontifex implere non poterat, quæ & similia ex hi-
storicis fide dignis post Conringium satis accuratè deduxit
51 *Struv. syntagm. Iur. feudal. cap.* 3. *aphor.* 7. *num.* 4. Ita-
que nec hæc pactio Paschalis Secundi Pontificis & Henrici
Quinti Imperatoris hujus juris usum interclusit Imperio no-
stro; quia deficiente conditione regalium, Imperator ob-
strictus non fuit ad implementum promissionis ex parte suâ,
sed supervenit posteà nova conventio inter Calixtum Secun-
dum Papam & Imperatorem Henricum Quintum, cujus
vigore jus investituræ Episcoporum cessum ab Imperatore
fuit, sine restitutione regalium ex parte Cleri ad Imperium;
52 *Goldast. tom.* 1. *Const. Imp. pag.* 258. *&* 259. refert utramque
formulam promissionis; Imperatoria ita habet: *Ego Henricus
Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus pro amore
DEI & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Calixti,
& pro remedio animæ meæ, demitto DEO & sanctis ejus
Apostolis Petro & Paulo, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ
omnem investituram per annulum & baculum, & concedo*

in

in omnibus Ecclesiis, quæ in regno vel Imperio meo sunt, canonicam fieri electionem & liberam consecrationem. Atque infrà hæc verba sequuntur: *Et do veram pacem Domino Papæ Calixto, sanctæque Romanæ Ecclesiæ &c.* ubi mox conclusio subjicitur negotii his verbis: *Hæc omnia acta* 53
sunt consensu & consilio Principum, quorum nomina subscripta sunt; ibidemque leguntur expressa duorum Archiepiscoporum, sex Episcoporum, trium Ducum, quatuor Marchionum, duorum Palatinorum, & duorum aliorum Comitum nomina. Hæc Goldastus *d. tom.* 1. *pag.* 258. qui *pag. sequ.* formulam recitat professionis Papæ his verbis: *Ego Ca-* 54
lixtus, servus servorum Dei, Tibi dilecto filio Henrico, Dei gratiâ Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præsentiâ tuâ fieri absque simoniâ & aliquâ violentiâ, ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas, electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat, & quæ ex his jure tibi debet, faciat; & infrà: *Do tibi veram pacem &c.*
Ex quibus liquet, specie pacificationis inter Calixtum Secun- 55
dum Pontificem, & Henricum Quintum Imperatorem, conventum fuisse, ut Imperator dimitteret investituras Episcoporum, idemque negotium clausulâ dispositionis pro animâ (für ein Seelen-Geräth) à parte Imperatoris dimittentis esse obfirmatum. Apparet prætereà, investituram Episcopo- 56
rum, quæ annis plusquam trecentis penes Imperatores Romano-Germanicos ad usque tempora Henrici Quarti, possessione vel quasi penitus indubiâ fuit, sed à Gregorio Septimo Pontifice primùm sub controversiam vocata est, non de regalibus episcopatui annexis, sed de ipsa dignitate episcopali

fuisse, cùm ex præmissis Episcopus non potuerit consecrari sine prævia per Imperatorem, vel ex ejus auctoritate factâ investiturâ, & quia regalium receptio per sceptrum (quæ & ipsa investitura aliqua est) eâdem illâ Calixtinæ pacifica-
57 tionis formula Imperatori reservatur. Sed his omissis, an hodienum Imperatori jus competat conferendi Episcopatus, considerandum est; fateor possessione hujus juris excidisse videri posse, quòd ulta trecentos annos rarò vestigia extent exercitii, & si computemus tempora priora, jam ultra sexcentos annos lapsi sunt, ex quo à Gregorio Septimo Pontifice mota fuit controversia, decretumque, quod jam retuli, Cæsareis Episcoporum investituris adversum promulgatum est; ast
58 decretum illud ab initio caruit successu, licèt posteà à rigidioribus, & suppressioni jurium Imperii studiosioribus Papis fuerit confirmatum; Ergò adhuc quæstio superest de jure conferendorum Episcopatuum, an penitus interciderit nec ne? Quandoquidem igitur, ut de potestate Imperatoris ac minoris partis Imperii assensu conventionis, quâ tantum jus dimissum fertur, nihil dicam, conventio illa in se non continet, nisi tenorem pacti personalis; neque enim pro se & Imperii successoribus Henricus Quintus Imperator pactus est cum Calixto Pontifice de dimissione investiturarum episcopalium, sed simpliciter & pro animæ suæ curâ, hæc res utique personalem indigitans sollicitudinem, ad diminutionem juris Imperii perpetuam extendi congruè nôn poterit; est enim res pessimi exempli, Imperatorem sub colore salutis animæ majestatica
59 Imperii jura profundere; debuissent sanè Gregorius Septimus, Calixtus Secundus, & successores Pontifices pro salute animæ suæ jus hoc Imperatorium potius non appetere, quàm Imperatoribus prætextu salutis animæ idem extorquere, & quis quæso diceret, pientissimos Imperatores à Carolo Magno adusque Henricum Quintum de animæ salute

lute minùs ſollicitos fuiſſe, eò quòd Epiſcopos & Antiſtites Eccleſiarum majores inveſtiverint, nec tanta jura Clero vel Pontifici permiſerint; rurſus quis accuſet tot 60
anteceſſores Pontifices ſupinè neglecti officii, quòd eorum nemo per tot ſecula, uſque ad Hildebrandum ſive Gregorium Septimum jus confirmationis Epiſcoporum Pontificatui aſſeruerit, cùm quidem conſtet anteriores omnes ultrò recognoviſſe, tùm de ſeipſis, tùm de epiſcopis cunctis per Imperium, ſupremam diſpoſitionem penes Imperatores eſſe; quodſi ſucceſſores Pontifices à præ- 61
deceſſoribus nolunt circa jura ſua præjudicium ſibi generari, uti adſtruit Innocentius Tertius *in c. innotuit.* 20. *X. de elect. & el. pot.* cur contrario argumento hac in re utuntur adverſus ſucceſſores Imperatorum, maximè ex pacto Henrici Quinti perſonali, nec in rem concepto? Se- 62
cundùm quæ mirum non eſt, nec decreto Gregorii Septimi, utpote adverſus totam antiquitatem promulgato, nec pactis Paſchalis & Calixti Pontificum cum Henrico Quinto Imperatore illud effectum, vel jure effici potuiſſe, quin Imperatores ſubſequentes verbis factiſque, dum occaſio daretur, contrariam obteſtarentur voluntatem; ſucceſſor Henrici Quinti Lotharius Imperator hoc jus 63
omni ſtudio aſſertum ivit, tanquam injuſtè Imperio ablatum, ſecundùm ea, quæ ex *Ottone Frinſing.* & *Baronio* deduxit *Conring. dict. exerc. de conſt. epiſc. Germ. th.* 55. idem Imperator Lotharius Eccleſiæ Magdeburgenſi Norbertum *apud Cranz. in Metrop. lib. 6. cap.* 12. *ac Trithem. in chron. Hirſaug. ad annum* 1127. quos refert *Conring. d. exerc. theſ.* 57. epiſcopum dediſſe legitur, illiuſque exemplum ſecutus in Trajectenſi Eccleſiâ in partes ſciſſâ Conradus Tertius Imperator, Conring. poſt *Otton. Friſing. d. th.* 57.

64 Nec est, ut opinemur, sequentium temporum Imperatores hoc jus neglexisse penitus, quin potiùs contrarium apparet, sollicitè in illud collimâsse plures, ut quatenus post Gregorianum decretum Paschalis & Calixti pactiones, usu interclusum vel deminutum esset, in statum pristinum restitueretur, ex quo benè imperantium numero fuit Fridericus Primus, tùm aliorum, tùm inprimis Guicmanni Zicensis Episcopi exemplo, quem vel invito Pontifice Eugenio Tertio Ecclesiæ Magdeburgensi præfecit, quæ res posteà à successore Pontificatus Anastasio Quarto non tantùm approbata, sed Guicmannus etiam palliô honoratus fuit, ceu ex Frisingensi *d. l.* recenset Conrin-
65 gius. Ac ne quis putet, in solo dissidii eligentium casu, qui formulâ Calixtinæ pacificationis suprà relatâ exceptus fuit, Imperii jura Cæsarea exercuisse, generale testimonium præbet
66 *Crantz. lib. 7. cap. 12.* his verbis: *Valuit tùm maximè controversia inter sacerdotium & regnum, quòd Episcopatibus provideret Fridericus, jus patrium revocaret, Pontifex proximis pactis, & divino juri pariter & humano inhærebat: esse indignum Principem laicum disponere de rebus Ecclesiasticis.* Sed nec quodnam illud divinum jus sit, cui Pontifex pro vero fundamento hâc in re inniti potuerit adversus Imperatorem, ex sacris apparet, nec ejus juris humani ante tem-
67 pora Hildebrandina, ulla licet invenire vestigia. Fridericus I. Imperator, ut ad hunc revertamur, in literis ad Hadrianum Quartum Pontificem, quas exhibet Goldast. *tom. 3. const. Imp. pag.* 337. sic loquitur: Se Ravennatensem Ecclesiam, ad cujus præsidium Imperatoriæ voluntati conformiter Clero elegerit Comitis Blandratensis filium, *post Romanam Ecclesiam maximam, aut unam de maximis habere*, ut adeò nec
68 Pontificem Imperator jus suum hoc in puncto celaverit. Neque arbitror subdubitandum cum Conringio *d. l. th. 59.* de fide illorum, quæ Cranzius jam relatus scribit, propter ea, quæ *Arnold. Lubec. lib. 3. Chron. Sclav. c. 17.* recenset: Videlicet

delicet Imperatorium jus in Episcoporum constitutione Fri-
derici Primi Imperatoris ætate minus usitatum fuisse; nam si-
ne dubio id concedendum est: ordinario usu, quæ res malè 69
Imperatorem habuit, discessum à veteri jure ac consuetudi-
ne Cæsareæ investituræ Episcoporum fuisse, hinc tamen
malè infertur: Imperatores omni usu hujus juris abstinuisse,
quin potius haud negandum est, & ex historiis satis clarum, 70
Imperatores certè sapientiores & meliores, adhuc, quoties
commoda daretur occasio, huic juri conservando operam
dedisse. Frid. II. Imp. ingenuè hoc de se, avo & patre fatetur
apud *Lehmann. lib. 5. Chron. Spir. c. 79.* quando Honorio
Tertio Pontifici in hac investiturarum Episcopalium materiâ
respondet his verbis: Was massen er von des Reichs Für-
sten und andern vernommen/ daß von Caroli Magni Zei-
ten ein jeder Käyser und König freye Macht und Obrig-
keitlichen Gewalt über den geistlichen Stand hergebracht/
die Kirch und Clöster mit tauglichen Bischöffen und Aeb-
ten bestellt/ und auff begangene Verwirckung/ diesel-
be entsetzt und abgeschafft/ welche Gerechtigkeit sein
Altvatter Käyser Friderich der Erste/ und Vatter Käy-
ser Henrich der Sechste/ gehandhabet und erhalten;
dieweil er dann an derselben statt zum Käyserthumb er-
hoben/ und solch Recht auff ihn erwachsen/ wolle er sei-
ner Vorfahren Exempel nachsetzen/ und dem Reich und
seinen Nachkommen nichts begeben 2c. Sed neque cum Fri- 71
derico studium investiturarum Episcopalium Imperio asse-
rendarum intermortuum est; nam quanquam interre-
gnum diutinum, inter alia mala, quæ Reip. attraxit, hujus
quoque juris, cùm non esset Imperator, qui vindicaret, ali-
quam negligentiam intulerit, non defuere tamen & post illa
tempora cordati Cæsares, qui Imperiale hoc jus propugna-
rent, & usu observarent; quos inter referendus est meritò Lu-
dovicus Quartus Imperator, cui Principes ac Proceres syn- 72

chroni consenserunt, qui inter cætera à Pontifice sub controversiam vocata jura, hoc etiam defenderunt, quòd Pontificis constitutio vel destitutiô penes Imperatorem esset, secundùm ea, quæ Avent. annotavit *libr.* 8. *Chron. pag.* 499. rubr. von diesem Pabst Clemente. conformirter sc. constitutioni Imperii anteriori, quâ communiter placuerat; neminem Pontificem posteà habitum iri, nisi quem Cæsar confirmâsset, Statusque approbâssent, uti refert idem Avent. *libr.* 6. *Chron.*
73 *pag.* 152. *rubr.* von den andern Zügen in Welschland. Ad eam igitur usque ætatem Cæsaris & Principum Imperii constanti sententiâ jus confirmandi Pontificis Imperio nondum verè ademptum vel fuit vel credebatur, & consequenter nec jus investiendi Episcopos; quia hoc consectarium est ex jure constituendi Pontificis, ipse Leo Papa agnoscit consequentiam juris ordinandi Archiepiscopos vel Episcopos ex jure or-
74 dinandi vel constituendi Pontificem. *d. can. in Synodo.* Successor Imperii Carolus Quartus, etsi Pontificiæ auctoritati aliàs valdè obnoxius, haud intermisit ulteriora exempla Cæsarei juris in Episcoporum constitutione superaddere, dum Monachum quendam Theodorum Episcopum Magdeburgensem & Mindensem, constituit *Lehmann.* post Kranz. *lib.* 7. *Chron. Spir. cap.* 39. *ad fin.* item Lambertum & quidem non repugnante Pontifice Urbano Quarto, licet à Capitulo alius Gerhardus electus esset, Spirensi Episcopatui præ-
75 stituit idem Lehmann. *d. libr.* 7. *c.* 58. & quanquam posteriori casu dissidium fuerit inter Gerhardum & Lambertum, auctoritas tamen Cæsarea ita valuit, ut Lamberto Episcopatus reipsâ obvenerit. Lehmann. *d. l.* Atque sic ad Christi seculum usque decimum quartum, exempla Imperatorum, qui Episcopos investiverint vel constituerint in Imperio, non desunt;
76 post hæc tempora seculo decimo quinto Sigismundus Imperator in Concilio Constantiensi, ut suprà relatum est, Imperatoriâ auctoritate tres Pontifices sedibus & loco movit, dum inter

ter

ter se de Pontificatu concertâssent, quæ res non minus quam in constitutione argumentum præbet Cæsarei juris circa supremas personas Ecclesiasticas, sed nec argumento opus videtur, dum Cæsar Sigismundus approbante concilio Pontificatu motis alium (is fuit Martinus Quintus) suffecisse traditur, *Dresser. d. p.* 408. sic & Fridericus Tertius Imperator, cum inter Felicem Quartum & Nicolaum Quintum de Pontificiâ sede lis esset, auctoritate obtinuit, ut Nicolaus in dignitate persisteret, Felix loco cederet. *Dresser. d. Mill. 6. pag.* 425. Et quanquam in seculo decimo sexto vix talia 77
constitutionis aut destitutionis Pontificum vel Episcoporum exempla occurrant, in illo tamen reformatio religionis per orbem notissima occurrit, quâ religio Evangelica in lucem non tantùm prodita, sed post pactum Passaviense pax quoque religioni lege publicâ fundamentali sancita obfirmataque est, cujus è capitibus insigne 78
est, Episcopalis juris Pontificii in terris Principum Statuumque Protestantium suspensio adusque amicabilem de religione conventionem; id negotium sine dubio potestatem Superiorem pro fundamento habebat, plures Episcopatus concernebat, ac longè majoris fuit momenti, quàm unius vel alterius Episcopi sive institutio sive destitutio; Sed adhuc clarius testimonium hoc ad finem vergente 79
seculo decimo septimo animadvertere licet tot Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Abbatiis in secularem statum lege pacificationis Germanicæ Cæsareâ & Imperii auctoritate conversis, quam rem tabulæ pacis publicæ satis abundèque testantur; nemo verò dubitaverit, valere argumentum à 80
potestate secularisationis Episcopatuum, ad potestatem in ipsos Episcopos, quippe qui in Episcopatu secularisato, liceat sic scribere, juris sui Episcopalis totalem faciunt jacturam; nec est, ut quis objiciat, Pontifices reclamâsse his rebus, quos inter Paulus Quartus paci religiosæ adeò infensus fuit, ut Ferdinando Primo Imperatori coronam dare recusaverit,

Dresser.

*Dreſſer.d.Millen.6.pag.*153. qui tamen ibidem quod de coronatione denegatâ dictum, malè ad confirmationem transfert
81 ſuprà ſatis confutatam; neque defuit Innocentius Decimus tempore Pacificationis Germanicæ partibus ſedis Pontificiæ, quando Inſtrumento pacis per nuncium Fabium Chiſium (qui poſteà Alexander Septimus Pontifex fuit) palam contradixit; reſpondetur enim non hîc quæri de acquirendo jure
82 Cæſareo circa Epiſcopos & Epiſcopatus, ſed de non amittendo, cui rei ſufficere poſſunt tam varii actus, licèt ex his aliqui ſint, quibus Pontifices contradixerint. Atque ſic relinquitur Cæſarem hodienum magis non uti juribus inveſtiendi vel deveſtiendi Epiſcopos, quàm prorſus ea amiſiſſe videri: nam & initium vitioſum eſt, quo contra totam antiquitatem decretis primum Gregorius Septimus, deinde pactionibus extortis Paſchalis & Calixtus Secundus, excluſâ Imperiali inveſtiturâ Epiſcoporum confirmationem ad ſe traxerunt, & contraria verbis factiſque per ſequentia tempora demonſtrata cordatiſſimorum Imperatorum voluntas, ne ab illis initiis in jus abiret prætextus Pontificum, obſtitiſſe
84 videtur; quæ hactenus deduxi, ut oſtenderem haud certò conſtare Imp. hoc jure penitus excidiſſe, quanquam quod ad poſſeſſionem vel quaſi hodienum attinet, ſenſu abſolutô vix ſolidè queat defendi, dum cernimus Epiſc. catholicos à clero eligi & à Pontifice Romano confirmari; Jus ipſum tamen ex his omnibus, & quòd præſcriptio tàm intuitu vitioſi initii, quàm ſubſequentium Cæſarearum contradictionum & actuum contrariorum, difficulter defendi poſſit, adhuc referendum putavi inter Cæſarea reſervata; quòd ſi quis etiam ſolum uſum recentiorum temporum reſpiciendum exiſtimet, ne hic tamen vel quilibet Pontificiarum partium defenſor negare poterit, hoc jus ſaltem alio ſenſu in reſervatis numerandum; nam & ipſa Calixtinæ pacificationis formula, quam ſuprà retulimus,
85 Cæſari in Germaniæ Epiſcopis duo relinquit: ſc. ut electiones

nes

nes ipso fiant præsente; deinde ut in casu dissensus eligentium Imperator accessu suo ex judicio Metropolitani majora constituat, atque sic electio Episcopalis non tantùm Imperatoriam præsentiam efflagitat, sed & in casu dissensus Capitularium, supremam declarationem Imperatori tribuit; quod 85
verò præsentiam attinet, satis est, Imperatorem adesse per legatum, quæ res hodienum servari videtur, dum sæpius ad Episcoporum electiones legati Cæsarei mittuntur; neque verò, quod de judicio Metropolitani adhibendo in dissensu eligentium dictum est, universale censeri debet; quippe cum ipsius Metropolitani, vel Archiepiscopi electioni haud qua- 86
dret, neque præcisæ necessitatis visum, adeoque nec illis exemplis, quibus Lotharius Secundus, Conradus Tertius & Fridericus Primus Imperatores, vel alii auctoritate Cæsareâ alterius partis dissentientium electionem approbarunt, convenire apparet, & hæc de quarto Cæsareo Reservato, quod post Ottonem Frisingensem pariter adstruit *Lehmann. lib.5. Chron. Spir. c.67. p. m. 536.* circa Episcoporum electionem. Porrò 87
Cæsareis reservatis accenseri debet 5. Suprema jurisdictio Ecclesiastica, quam Imperatores circa personas & res Ecclesiasticas tùm olim exercuerunt, tùm hodiè reliquam habent. In Imperio veteri dubium est nullum, Imperatores, uti leges tulerunt, personas, bona & statum Ecclesiasticum concernentes, sic inter has personas de his bonis & rebus si controversiæ essent, jus dixisse ac partibus judicis fuisse functos, *arg. d.l. decere. §.2. & §.4. l. sacrosancta. 8. & l. decernimus. 16. C. de SS. Eccles. l. de his. 3. & passim. C. de Episc. & cler. Nov. 6. Nov. 7. Nov. 120. Nov. 123. Nov. 131. Nov. 137. per tot.* Franci- 88
cos quoque Imperatores & Reges jurisdictionem Ecclesiasticam plenariam in Episcopos aliasque personas Ecclesiasticas habuisse actusque exercuisse, ex fide dignis monumentis demonstrat *Lehmann. Chron. Spir. lib. 1. cap. 41.* per tot maximè ex *legibus Francicis, §.* zum fünfften alle Bischoff. *& Bavaricis, §.*

die Bayerische Leges: Nec dubitandum est, Imperatores
89 Romano Germanicos avulsâ Galliâ, Ecclesiasticam quoque jurisdictionem personarum, rerum & causarum respectu habuisse, & usu observâsse; Sic Otto primus plurium Episcoporum querelas adversus Joh. Duodecimum Pontificem audivit, de his cognovit, & Johannem reum inventum sede Pontificiâ dejecit, *Luitprand. lib. 6. c. 6.* & ex eo *Lehmann. lib. 5. Chron. c. 10. p. m.* 395. dicet Abbas & conventus S. Gallensis ad causam dicendam, sic & citantur ab Ottone III. Imperatore per literas, quas refert *Goldast. tom. 2. const. Imp.*
90 *pag.* 46. ita porrò Fridericus Primus Imperator inter Archiepiscopos & Episcopos Bremensem, Magdeburgensem, Hamburgensem & Verdensem Ducemque Saxoniæ judicavit, decretum exhibet *Goldast. tom. 3. const. Imp. p.* 336. Hucque etiam ejusdem & Sigismundi Imperatoris exempla pertinent, su-
91 prà relata, quibus Pontifices de Pontificatu certantes causâ in conciliis cognitâ moverunt sedibus suis. Hisque annumerandum Ruperti Palatini Cæsaris Romani exemplum, quo Alexandrum Pontificem electum concilio Pisano, quòd videretur minus canonica electio, edicto exclusit, & Gregorium Duodecimum admisit, referente eodem *Golda-*
92 *sto tom.* 1. *Const. Imp. p. m.* 385. Planè & inter personas seculares de causis ad forum Ecclesiasticum relatis Imperatores susceperunt judicia, velut in matrimonialibus & similibus, quæ causæ quin ratione originis suæ ad forum pertinuerint Cæsareum & civile, indubium est, etsi postea jure Pontificio ad Episcopos, & maximè ad Pontificem fuerint relatæ, *vid. Klok. tom. 1. cons.* 51. *num.* 375. celebre est exemplum inter Johannem quondam Bohemiæ Regis filium, & Margaretham Ducissam
93 Carinthiæ, quos, cum essent in schemate matrimonii, ob allegatam Johannis impotentiam, per sententiam separarit Lud. Quartus Imperator, quam rem ac tenorem sententiæ super divortio expressum refert Goldast. *tom. 2. Const. Imp. p. m.* 87. & 88.

& 88. cumque hoc ipsum clerus ægrè ferret, Imperator Lu- 94
dovicus non tantùm Cæsaream jurisdictionem Ecclesiasticam & in hoc genere causarum sibi competentem peculiari declaratione à Goldasto *tom. 1. const. Imp. p. m.* 337. *& sequ.* exhibitâ defendit, sed eâdem etiam Ducissâ Margarethâ cum Lud. Marchione Brandenb. novas nuptias contracturâ, quibus impedimentum sanguinis vel propinquitatis obstare videbatur, dispensavit, ut illud matrimonium licitè contraheretur, liberique inde nascituri legitimi forent, Goldast. *d. tom.* *2. const. Imp. pag.* 88. 89. *&* 90. Quinimò ipsam Cameram Im- 95
perialem adhuc superiori seculo decimo sexto ad usque annum 1570. in his causis jurisdictionem habuisse, haud dubium est, unde quandam Sabinam per decretum Cameræ lite pendente sequestratam refert *Gail. 1. observ.* 112. *n.* 16. quanquam ibi in fine subjiciat, causas matrimoniales ad Cameram non pertinere; id enim verum & intelligendum est post *memor. visit. de dict. anno* 1570. quo matrimonialium similiumve causarum ulterior cognitio ac decisio Cameræ fuit adempta, sed hac ademptione non obstante Ecclesia- 96
stica jurisdictio remansit Cæsari, idque probat satis clarè Imperatoris Ferd. Tertii gloriosæ memoriæ constitutio, quâ non tantum Camerali, sed Aulico etiam Tribunali Cæsareo mandavit, ut causas tàm Ecclesiasticas, quàm seculares inter Principes vel Status Catholicos & Augustanæ confessioni addictos cognoscerent ac dijudicarent, Reichs-Hofrath. *vid.* *tit.* 1. §. wir wollen auch. ibi: So wol geistliche / als auch 97
weltliche Sachen / idque conformiter factum legibus pacificationis Germanicæ; ita enim cautum reperitur in *Instrumento Pacis Cæsareo-Suec. art.* 5. §. *ac proinde* 54. *Cæsareaque Majestas mandabit, ut non solum in isto judicio Camerali causæ ECCLESIASTICÆ, ut & Politicæ inter catholicos & Augustanæ confessionis Status.*

 ad

adlectis ex utraque religione pari numero assessoribus discutiantur & judicentur; sed idem etiam in judicio Aulico
98 *observetur*. Quanquam verò hic locus respiciat maximè jura Ecclesiastica inter Status diversæ religionis controversa, tamen argumentum haud dubium præbet competentis Cæsari supre-
99 mæ jurisdictionis circa Ecclesiastica, nec est solida ratio, cur specialiter causas matrimoniales excipiamus, à regulâ universalis hujus Cæsareæ jurisdictionis, cum nec jure communi, nec anteriorum temporum usu constet exceptas, ac generali dispositioni recentiorum legum videantur inclusæ. Et ex his rectè deci-
100 di posse arbitror quæstionem valde celebrem & arduam de foro Principum & Procerum Evangelicorum Imperii in matrimonialibus; ubi tres invenimus sententias, quarum prima ad Austregas, secunda ad Consistoria Principum vel Statuum, tertia ad Cæsarem vel Judicia Imperii hasce causas refert; primæ sententiæ subscribunt *Zigler. commun. conclus.* § *Austregæ. n.* ■ *Mind. de process. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 4. *Mev. lib.* 2. *decis.* 265. *n.* 16.
101 & 17. Fundamentum hujus sententiæ triplex est: 1. quod Austregæ sint ordinaria Principum Statuumque judicia primæ instantiæ. 2. quòd jurisdictio Episcoporum Pontificiorum in his causis sit suspensa. 3. quòd hoc specialiter probare videatur *Ord. Cam. textus* circa Austregas *p.* 2. *tit.* 4. *princ. in verb.* Warumm oder auß was Ursachen das wäre. jam cum causæ matrimoniales non reperiantur à jurisdictione Austregali exceptæ, concludunt hujus assertionis patroni, eas sub regulâ istâ
102 comprehendi. Secundæ opinioni favent *Myler. de Gamol. person. Imp. illustr. c.* 8. §. 8. & 9. *Blum. de proc. Cam. tit.* 43. *tit.* 15. quâ in re ex Mylero *Oldenburg. in Not. Imp. discurs.* 19. *p. m.* 179. & 180. hunc modum in primis refert practicabilem, si causa talis nonnullis committatur è Consistorio Ecclesiastico Consiliariis, jurejurando tamen Principis vel do-
103 mini sui priùs exsolutis. Tertia sententia nititur universalitate

litate jurisdictionis Cæsareæ, à quâ non excipiendæ causæ matrimoniales, uti nec à foro supremorum Imperii Tribunalium, nisi quatenus lex obstat, exclusæ videntur; à quo asserto nec alieni sunt *Mindan. & Mev. in loc. cit.* nisi quòd austregis demùm cessantibus Cæsarem vel Dicasteria Imperii in his causis adiri posse existiment. Schubhardus verò absolutè asserit, ad Imperatorem inter Principes & Status Evangelicos controversias matrimoniales pertinere; de *Austreg. cap. 5. num. 64. cum plur. sequ.* 103
Jam si has sententias sub examen vocemus, prima admitti duplici ratione non potest, quòd nimirum austregæ consuetudine primùm introductæ, deinde lege confirmatæ sint, tàm verò in origine introductionis, quæ probabiliter ad tempus interregni Friderici Secundi ætatem subsecuti refertur, quàm statu confirmationis ac legalis sanctionis per Maximilianum Primum Imperatorem anno 1495. & posteà per Carolum Quintum anno 1521. factæ, & à Ferdinando Primo anno 1555. pleniùs repetitæ, uti testantur leges Ordinationis Cameralis de his annis, Episcopalis & Pontificia auctoritas in causis matrimonialibus usu ut plurimum obtinuit, adeoque ad austregas hoc genus causarum minimè relatum est; deinde neque usu unquam constat, apud austregas in matrimonialibus causis disceptâsse Principes vel Proceres Imperii, ergò cùm nec consuetudinis origine, nec lege confirmante ac declarante, nec usu subsecuto, austregale forum in matrimonialibus Principum Procerumque causis fundatum appareat, sed hæc potiùs manifestè obsistant, ab eo foro tale genus causarum meritò secludimus cum *Reinkingio lib. 3. de reg. sec. & Eccles. d. 1. cap. 10. num. 42. & sequ. Schubhard. de austreg. cap. 5. num. 88.* add. quæ scripsi *in 1. disp. ad Recess. Imp. de anno 1654. th. 75. & 3. disp. th. 76.* 104 105
Ex quibus etiam facilè responderi potest ad rationes in contrarium præallegatas; ad 1. enim negatur consequentia, quia licet austregæ regulariter sint 106

Principum Procerumque Imperii judicia primæ instantiæ, non tamen id intelligendum est nisi de causis civilibus, aliàs pari ratione argumentari quis posset ad causas criminales, cùm tamen constet, circa illas jurisdictionem austregalem minimè esse competentem, quòd nunquam de hoc genere causarum apud austregas inter Principes Proceresque Imperii jus dictum sit, sicut nec in causis ma-
107 trimonialibus. Nec secunda ratio adversa stringit, quia suspensio jurisdictionis Episcopalis non infert competentiam fori Austregalis in causis alioquin ad illud non per-
108 tinentibus. Ad 3. rationem contrariam respondetur: textum *Ord. Cam. d. tit.* 4. tantum accipiendum esse de causis civilibus sive jurisdictioni Austregali ex consuetudine vel lege subjectis, inter quas non sunt causæ matrimoniales, quod sane clarius erit, si conferamus Ordinationem Cameræ Maximilianeam de anno 1495. rubr. Wie Prælaten / Graffen / Freyherren ꝛc. ubi speciales quædam causæ exprimuntur, in quibus Prælati minores, Comites & Barones apud austregas convenire possint Electores Principes aut hisce pares; puta, si causa concernat ex instrumento vel aliàs debitum, commissum spolium, vim turbativam in jure venationum, vectigalium, salvi conductus, jurisdictionis vel redituum, & eodem contextu ibi:
109 In jeden diesen oder dergleichen Fällen ꝛc. subjicitur in his vel similibus causis, Electores ac Principes rectè in jus vocari apud Austregas, ab inferioris ordinis Proceribus Ecclesiasticis vel secularibus, quam rem posteà Ferdinandus Primus in *d. t. 4. Ord.* contraxit sine expressione causarum specialium per verba relata: Warumb / oder auß was Ursachen das wäre; atque sic nihil aliud, quàm quod à Maximiliano Primo hac in re præordinatum constituisse, nec novum genus causarum (matrimonialium scilicet) jurisdictioni Austregali genera-

neralibus illis verbis adjecisse videri debet. Porrò minus 110
placet secunda sententia ex relatis, quæ nempe causas matrimoniales Principum Procerumque Imperii Evangelicæ partis ad consistoria refert; nam (1) consistoria hæc omnem jurisdictionem, quam habent, à Principe suo habent; Ergò si lites matrimoniales ibi disceptandæ essent, videretur Princeps ipse sibi jus dicere in propriâ causâ;
nec satisfacit, si quis excipiat: Principem hoc casu sponte se 111
submittere jurisdictioni sui consistorii; item ex suspensione jurisdictionis Episcoporum videri Principes Evangelicos hac parte in eum statum deductos, velut si non haberent superiorem; hæc enim & similia partim nihil relevant, partim falsa sunt, siquidem hîc non loquimur de spontaneâ 112
submissione, sed verâ jurisdictione, quæ exerceri possit etiam in invitum, qualis certè non est consistorii jurisdictio respectu sui Principis vel Domini, qui eidem hanc
concessit; & sanè admodum falluntur, quotquot sunt, qui 113
circa hanc quæstionem rei consultum putant, si Princeps Consiliarios aliquos eligat, eosque quoad causam matrimonialem ipsius jurejurando exsolvat, aut ubi aliàs specie compromissi, (quem modum, uti loquuntur, practicabilem maximè censent) hæc lis decidatur: præterquam enim, quod penes arbitros compromissarios nulla inveniatur jurisdictio, de quâ nostra quæstio est, & præterquàm, quòd alterâ partium, quas non compelli ad consensum compromissi notum est, dissentiente, totum hoc remedium deficiat, & fiat hic modus omnium minimè, ut ipsorum vocabulo utar, practicabilis, benè considerandum est compromis- 114
sum in causis matrimonialibus, ne locum quidem habere per *text. in c. pen. circa fin. X. de rest. in integr. ubi comm. dd. & in c. fin. X. de transf. gloss. in l. non distinguemus. 32. §. Iulianus. verb. idem dicendum ff. de rec. arbitr. Covarruv. de matr. p. 2. cap.*

2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 6. *& sequ. Lanfranc. de arb. & compromiss. pag.* 4. *num.* 5. *Molin. de just. & jur. tom.* 6. *disp.* 40. *num.* 4. *Tabor in not. ad Colleg. jurid. Argentor. tit. de*
115 *rec. arb. n.* 7. Cumprimis si consideremus casum, quo fortè sponsa vel uxor Principis à sponso vel marito conveniri vellet, invita urgeri minimè poterit, ut hanc causam in Consistorio Principis sponsi aut mariti, vel apud aliquos Consiliarios disceptet, quippe defectu jurisdictionis haud dubiè
116 obstante. Quò pertinet, quòd juxta ipsum Mylerum *in Gamol. cap.* 7. §. 22. & 23. Princeps in uxorem non habeat jurisdictionem; cur ergò in conjugem Principis jurisdictionem habeat consistorium, cui quicquid jurisdictionis
117 est, auctoritate Principis attributum est, non video; nec arbitror, verum esse, quòd Consistoria propriè surrogata dici possint Episcopis, sed potiùs Officialibus Episcoporum, qui non suo, sed Episcopi nomine jurisdictionem exercent, Principes verò seculares in potestate Ecclesiastica Episcopis surrogati rectiùs dicuntur; sicut ergò Episcopi non apud suos officiales, sed apud Metropolitanum vel Archiepiscopos forum habent, *Nov.* 123. *cap.* 22. & *Nov.*
118 131. *cap.* 3. Sic apud Consistoria sua Principes nostri, quibus ex observantiâ, pace Religiosâ vel aliis legibus Imperii jurisdictio episcopalis cessit, conveniri competenter non poterunt, adeoque nec Conjuges eorundem, sed conveniendi erunt apud Superiorem, qui his personis, utpote secularibus & immediatis, alius non est, quàm Imperator, atque adeò falsum est, quòd suspensâ jurisdictione Episcopali Pontificiâ, nostri Principes Proceresque quoad personas suas nullum Superiorem in Ecclesiasticis, & specialiter etiam in matrimonialibus causis recognoscant juris-
119 dictionem; contrarium enim ex præallegatâ Lud. Quarti Imperatoris declaratione & præjudicio, nec minus ex anteriori
Came-

Cameræ usu, ac Cæsareæ jurisdictionis supremæ universalitate, à quâ hasce causas nullibi legimus exceptas, sufficienter ostenditur. Igitur ex his omnibus tertiam sententiam præferendam arbitror, ita tamen, ut Cæsareæ ju- 120
risdictioni, non Cameræ Imperiali, quippe per memoriale Visitationis *de anno* 1570. quod in formâ novæ *Ord. Cam.* sive **im Concept der neuen Cammer-Gerichts-Ordnung** exhibetur apud *Blum. pag.* 2. *tit.* 1. §. *fin.* exclusæ, matrimoniales Principum Procerumque nostrorum causas subesse censeam; nec obstant Reinkingii & aliorum objectio- 121
nes, quòd Imperator in hoc genere causarum ipse hodiè se non intromittat, vel jurisdictionem exerceat, item quòd Imperatori tanquam Catholico Principi matrimonium sit sacramentum, uti considerat *Oldenburg. d. l.* quoniam respondetur, non hic nobis esse quæstionem de usu, sed de jure Imperatoris, quanquam si in hujusmodi controversiis imploraretur ab Evangelicis Principibus vel Proceribus, haud verosimile sit, clausum iri limina supremi Cæsarei judicii; deinde etsi Imperator Catholicæ religio- 122
ni sit valdè addictus, quid vetat tamen, eum in causis matrimonialibus Protestantium, jus dicere secundum leges & consuetudines eorundem, cùm constet, circa alias quoque causas jura provincialia statuta vel locorum consuetudines in foro Cæsareo attendi, *Recess. Imp. de anno* 1654. §. **Benebens sollen.** 105. **Reichs-Hofraths** *Ord. tit. in form. juram. Consiliariorum. tit.* 7. *&* §. **So sollen auch unsere.** *ibid.* Nec hæc 123
res sine exemplo est veterum Principum; ita enim v. g. Theodosius, Valentinianus & Justinianus, Imperatores ex capite adulterii vel malitiosæ desertionis, probâssent judicio suo causas repudii cum pleno effectu scilicet dissolutionis vinculi matrimonialis, *l. consensu & l. jubemus* 11. *C. de repud.* quemadmodum & hodiè ex duabus illis causis in-

ter proteſtantes divortia procedunt, ſcilicet dum ſeparatio quoad thorum & menſam juris Pontificii inventum ætate illorum Imperatorum nondum innotuerat, & tamen fuerunt haud dubiè Principes Catholici; non mirum igitur, ſi hodienum Imperator Catholicus juxta leges Evangelicorum,
124 quæ allegatis conſtitutionibus Catholicorum Principum, Theodoſii, Valentiniani ac Juſtiniani magis conveniunt, quàm decretales Pontificum inter conjuges illuſtres vel ſuperilluſtres jus dicat, atque hæc eſt cæteris relatis circa hanc controverſiam meo judicio verior opinio, certè
125 minoribus difficultatibus obnoxia, cum opiniones aliæ vel ad judices reſtrictæ poteſtatis, quorum nunquam in matrimonialibus juriſdictio fuit, ut auſtregales ſunt, vel ad judicium in matrimonialibus cauſis lege prohibitum, ut Camerale eſt poſt *memor. viſit. de anno* 1570. vel ad judices, qui partem diſceptantem in jurisdictione ſuâ repræſentant, & in partem alteram vim coactivam veramque & indubiam jurisdictionem non habent, ut ſunt conſiſtoriales, cauſas Principum Procerumque noſtrorum matrimoniales deſe-
126 rant; praxis congrua eſſe poſſet in commiſſionibus, ſi ad inſtantiam partis actricis decernerentur ab Imperatore, ac negotium quidem Evangelico alicui Principi, aut fortè pluribus demandaretur, ſicut in facultate Altdorffinâ antehac Comiti cuidam Imperii de foro conjugis, quam deſertionis ream
127 poſtulare volebat, conſulenti reſpondimus; namque & Comitiſſa illuſtris Conſiſtorium Comitis mariti haudquaquam pro judice agnoſcebat, & cùm eſſet Evangelicæ religioni addicta, & immediatæ conditionis non erat, coram quo conveniretur, niſi Imperator; itaque hoc tunc dedimus conſilium Comiti, ut ſupplicaret Imperatori pro commiſſione inſigniori Principi Imperii, aut ſi placuerit, duobus deferendâ, ſic ut autoritate Cæſareâ cauſa juxta leges & jura Evan-

Evangelicorum inter conjuges illustres cognosceretur ac decideretur; sanè si etiam ad Austregas, juxta Mevium, Min- 128
danum & alios in hoc genere litium veniendum esset, ut plurimum tamen commissio apud Imperatorem nihilominus impetranda foret, à quâ commissio prædicto consilio suggesta tantùm hoc differret, quòd non austregalis, sed aulica esset, quâ de commissionum differentiâ alibi dixi. Ex quibus omnibus apparet, supremam jurisdictionem Ecclesiasticam etiam in matrimonialibus Principum Ordinumque causis penes Imperatorem esse, certè juxta Tabulas Pacificationis Germanicæ & Ord. Aulicam jurisdi- 129
ctionem Ecclesiasticam in genere Imperatori adhuc competere dicendum esse, adeoque inter reservata rectè poni. Sextum reservatum consistit in dispositione supremâ de bonis & beneficiis Ecclesiasticis; cum enim, ut dici solet, non 130
Respublica in Ecclesiâ, sed Ecclesia in Republicâ sit, meritò hujus quoque bona supremæ potestati civili intelligi debent subjecta; sic jure civili Ecclesiastica etiam bona constat in tributum vocari. *l. placet. 5. l. sacrosancta. 8. C. de SS. Eccles. l. in Ecclesiis. 11. C. de Episc. & Cler.* Ac ut vetera 131
omittamus, in Imperio nostro non obstante immunitate Ecclesiasticâ bona Ecclesiarum, monasteriorum & quorumlibet piorum locorum contributionibus Turcicis statuuntur obnoxia, per *Ord. Regim. Maxim. de anno* 1500. *Rubr.* Daß die Geistliche allweg von 40. Gulden 2c. & Rubr. Von der Steur der Stifft-Clöster-Ordens-Leuth. *Recess. Imp. de anno* 1544. §. Und zu diesem Christlichen. 61. *Recess. Imp. de anno* 1542. §. Und zu disem. 34. specialis habetur de pretiosis rebus Ecclesiarum provisio, 132

quæ Reipublicæ necessitatibus reservari debent, in *d. Recess. de anno* 1542. §. 60. *& d. Recess. de anno* 1544. §. 44. utrobique hoc tenore: Aber die Kirch-Kleinodien und Gezierd sollen in dieser Anlag nicht mitbegriffen/ sondern als zu einem Schatz der Christenheit/ wo man des zu einer eylenden nothwendigen ohnvermeidentlichen Hülff bedürffen würde/ gespahret und behalten werden.
133 Cumprimis verò insigne argumentum præbent supremæ dispositionis Imperatoriæ de bonis Ecclesiasticis, tot Episcopatuum, Abbatiarum, monasteriorum & similium secularisationes, vel superiori seculo, per pacem Religiosam, vel hoc nostro per tabulas pacis Osnabrugensis & Monasteriensis potestate Cæsareâ & consensu Imperii obfirma-
134 tæ; cui non obstat Justinianea constitutio, quâ cautum, ut si etiam Imperator possessionem aliquam Ecclesiæ exurgente Republicâ acquirere velit, rem aliam vel meliorem invicem tradat atque permutet Ecclesiæ. *Nov.* 7. *cap.* 2. unde desumpta *auth. sed & permutare. C. de SS. Eccles.* nam id verum est jure ordinario, non quando pro commodo & necessitate restituendæ pacis, salus Reipublicæ, quæ suprema lex esse debet, alienationem bonorum Ecclesiastico-
135 rum etiam gratuitam exposcit, quin ipsis Ecclesiis & Ecclesiasticis personis magis consulitur pacificatione, quâ quædam alienantur & in alios transferuntur, ut cætera periculo belli exposita facileque amittenda servare liceat; quò pertinet, quòd Imperator possit pro obtinendâ pace ad Reipublicæ salutem subjectorum bona quædam alienare,
136 vel aliis concedere, *Bald. in l. benè. à Zenone vers. quinimò C. de quadr. præscr. Corset. de privil. pac. num.* 244. *Roman. cons.* 332. *num.* 13. *&* 14. ubi loquitur de eo, qui accepit Ecclesiam de manu laici & pro bono pacis hoc contra jura canonica permissum asserit. *Dec. cons.* 352. *n.* 1. *& cons.* 520. *num.*
5. *&*

5. *& 6. Aym. Crav. conf.* 264. *num.* 10. idque procedet etiam citra recompensationem cessorum vel ablatorum. *Dec. in d. conf.* 520. *num.* 10. Nec porrò est, cur quis objiciat Ponti- 137
ficis Innocentii Decimi contradictionem Pacis Germanicæ & protestationem; ea enim adversus salutem Reipublicæ Romano-Germanicæ per hactenus deducta attendi non debuit, sed meritò est exclusa in ipso pacis tàm Osnabrugensis, quàm Monasteriensis Instrumento *art.* 17. *vers. contra hanc transactionem.* item §. 113. utrobique idem tenor formalis legitur. Planè ipsius Pontificis Nicolai Quinti 138
cum Friderico Tertio Imperatore pactio de bonis ac beneficiis Ecclesiasticis Imperii testimonium præbet competentis his in rebus Imperatori potestatis; quorsum enim hæc pactio, ni Pontifex Imperatorem habere compaciscendi potestatem supposuisset, nomine curiæ Romanæ & 139
Imperii inita foret? Ejus conventionis capita vulgò concordatorum Germanicæ nationis nomen acceperunt; & exhibentur à Goldasto *tom.* 1. *Const. Imp. pag.* 108. 109. *&* 110. item *à Chokier de primar. prec. pag.* 98. *usque* 105. quorum integrum etiam tenorem simulque declarationem Gregorii Decimi Tertii ad finem hujus tituli subjecimus; conventa autem sunt hæc pacta non inter solum Imperatorem Fridericum Tertium, sed uti tenor eorundem habet, nonnullos etiam Ecclesiasticos ac seculares Principes à parte Imperii partes Ecclesiæ Romanæ Johanne S. Angeli Diacono Cardinale, ex commissione Pontificis agente, unde apparet, universi Imperii nostri consensum haud adfuisse, tantoque magis defectu formæ hanc pactionem videri laborare, quòd ne nomina Germanorum Principum, quorum 140
consensu concordata perfecta feruntur, expressa ibi legamus. De cætero & quod materiam objectivam concernit, in 141
quatuor partes concordata dividi apparet, videlicet in reser-

 vatio-

vationes Pontificias, confirmationes, menses & annatas; parte prima pontifex complexus est formâ amplissimâ omnes Patriarchales Archiepiscopales Ecclesias, abbatias etiam, monasteria & quæcunque pia loca, ordinariis haud subjecta, illorum omnium longâ verborum serie sibi reservat ordinationem, dispositionem, ac provisionem; qua ex
142 re à jure tàm civili quàm canonico recessum fuit, quia ordinatio vel provisio Episcoporum non fuit de reservatis Pontificis, sed pertinebat ad Metropolitanum vel Archiepiscopum. *d. Nov.* 123. *cap.* 1. *d. Nov.* 137. *c.* 4. *c.* §. *cum cap. sequ. X. de transl. Episc.* sicut confirmatio Archiepiscopi ad Patriarcham *d. cap.* 1. *de transl. Episc.* quo circa Nicolaus III. Pontifex in *c. cupientes.* 16. *de elect. in* 6. multam cautelam adhibuit electionibus debito tempore præsentandis, quarum
143 confirmatio ad sedem Pontificiam pertineret, cujus quidem textus in ipsis Concordatis expressa fit mentio, subindicatque ibi Pontifex non omnium electionum confirmationem ad Pontificem pertinere, & propterea summarium *d. c. cupientes* ait, *eam decretalem suo tempore fuisse multum utilem, antequam Papa reservaret sibi provisiones Episcopatuum.* Ex hac autem re sine dubio duplex incrementum accessit sedi
144 Pontificiæ; nam & quicquid juris circa constitutiones Episcoporum post Henrici Quinti Imperatoris tempora ab Imperii successoribus Lothario Secundo, Conrado Tertio, Friderico Primo & Secundo, Ludovico Quarto, Carolo Quarto aut aliis per varias occasiones usu retentum fuit, hoc omne Pontifex Nicolaus Quintus reservatione pactitiâ declinavit, & Henrico Quinto Cæsari extortum, posteaque justâ ratione Imperatoribus iterum assertum jus no-
145 vo fundamento velut ex integro stabilivit. Quanquam enim

enim Benedictus Duodecimus Pontifex juxta *c. ad regimen. de præb. in extrav. com.* cujus tenor ferè ad verbum transscriptus est in Concordata, constitutione decretali reservationes Papales jam adstruxerit, pleniùs tamen & in vim pacti Nicolaus Quintus iisdem prospexit, eaque pars est Concordatorum prima. Pars secunda confirmationes respicit in electionibus non ritè factis, & Pontifici libertatem provisionis relinquit, in Canonicis verò electionibus saltem arbitrium ex causâ urgente alium surrogandi tribuit; quæ quidem arbitrii Pontificii exceptio totum jus eligentium vacillans ac dubium reddere potest; quanquam negandum non sit arbitrio in personam reverà digniorem ac meliorem collato, ex eventu reip. & Ecclesiæ meliùs consuli, vid. *text. Concord.* §. *item placet nobis*, Concordatorum parte tertiâ beneficiorum mediatorum, quorum provisio ad ordinarios de jure pertinet, collationem, Pontifex Nicolaus Quintus, per menses alternos divisit, ita 146
ut quæ beneficia, mensibus Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri vel Decembri vacare contigisset, eorum collatio libera ordinariis relinqueretur; quæ verò Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri vel Novembri vacâssent, Pontifici sic reservata intelligerentur, ut si intra tres menses à die notæ vacationis, in loco beneficii apparuerit de gratiâ Pontificis vel curiæ Romanæ alicui concessâ, ordinarii collatio cessaret, alioquin etiam in beneficiis his ipsis mensibus, vacantibus, locum habitura. § *Concord. de cæteris verò*, quâ ex re non exiguum jus & ampliorem gratiosæ concessionis materiam acquisivit Pontifex, dum per totam 147
Germaniam in Ecclesiis dimidium juris circa beneficia mediata ordinariis collatoribus ademptum, Pontifici per alternos menses

ses accessit, nisi quòd tempore trimestri à die notæ vacationis Pontificia collatio fuerit restricta, quæ restrictio ex tenore concordatorum *d. l.* ad excludendam ordinarii collationem non tantum provisionem Pontificiam vel collationem intra tempus trimestre requirit, sed etiam provisionis illius sive collationis notitiam in loco beneficii, per clara verba *d.* §. *de cæteris verò*, ibi: *non apparuerit infra tres menses à die notæ*
148 *vacationis in loco beneficii*; sed hanc posteriorem restrictionis partem de notitiâ provisionis Papalis in loco beneficii infra tres menses, sub nomine declarationis, quam exhibet *Goldast. d. l. p.* 410. *&* 411. de facto sustulit Gregorius Decimus Tertius Pontifex, ut sic sufficiat in mensibus Papalibus vacans beneficium à Pontifice vel sede Romanâ intra trimestre collatum, quamvis posteà hæc notitia pervenerit ad locum beneficii, dummodò impetrans doceat, collationem istam intra trimestre factam. Atque hæc est celebris illa de mensibus Papalibus dispositio; non disputabo nunc prolixè cum
149 *Chokier de prec. primar. pag.* 103. *&* 104. num Pontifici liceat derogare Concordatis; quia hæc quæstio non adeò convenire videtur præsenti titulo, quo de juribus Imperatori reservatis circa Ecclesiastica disquirimus; si tamen paucis & velut in transitu dicendum, quod res est, minimè sua-
150 debit Chokier, ex eo, quod Pontifex Nicolaus Quintus non fecerit successorum suorum in Concordatis mentionem, potuisse Gregorium Decimum Tertium merâ auctoritate partem illam restrictivam Pontificiæ collationis, jure tollere; nam quamvis successor ad pactum personale prædecessoris non obstringatur, quo argumento suprà usi sumus adversus pacta Calixtina pro jure Cæsareo, non tamen ad præjudicium alterius contrahentis successori arbitrarium est retento contractu vel pacto unum vel alterum capitulum ejus vel conditionem conventa sub specie declarationis tollere vel mutare, non magis

magis quàm salvis contractuum vel pactorum Principiis parte alterâ non consentiente, ipse prædecessor id potuisset.
Pars Concordatorum principalis quarta complectitur annatas, 151
quæ sunt *præstationes fructuum Ecclesiæ* vel *beneficii primi anni sive pecuniariæ pensitationes pro illis solvendæ Cameræ Pontificiæ*; Harum originem non esse admodum antiquam, potius deberi recentioribus Pontificum constitutionibus, vel ipse titulus *de annatis* ostendit, in solo recentiori ac septimo 152
decretalium libro inveniendus, solusque recentioris ævi pontificum constitutiones complexus; non incognitum equidem est in *d. Nov.* 123. *c.* 16. referri: his qui ordinantibus ministraverint, præbere consuetudines eum, qui ordinatur, non transcendentem unius anni emolumenta, ubi *Gothofred. in not. num.* 41. non putare se, ait, alibi in jure civili annatarum 153
originem ostendi manifestiùs; Verum uti non inficias ibo: posse consuetudinarias præstationes, quarum Novella Justiniani *d. l.* facit mentionem aliquo modo annatis comparari, præsertim in eo, quòd non excedere debeant annua emo- 154
lumenta, sic veras annatas dici debere, pernego, neque enim ad superiorem, cum per eandem Novellam Ordinationes gratis fieri debeant, multò minus ad Cameram Pontificis referri debent, de quibus propriè ita dictis annatis nobis & in Concordatis sermo est, sed ministrantibus præstantur, nec annuos præcisè proventus Ecclesiæ vel beneficii collati exæquant, licèt excedere non debeant, sic exempli gratiâ, si Ecclesiæ reditus annui essent decem millium, & ex 155
consuetudine juxta jus Justinianeum ministrantibus ordinantis tantum solverentur centum, pro honorario sc. laborum, non rectè hæc comprehenderentur sub annatis, quandoquidem nec primi anni fructibus responderent, nec Cameræ Pontificiæ ex jure vero vel prætenso superiori debe- 156
rentur, ac solverentur, hæ sc. annatæ præstationes censen-

tur, quasi agnatæ reditibus Ecclesiarum, ac beneficiorum sic ut primi anni fructus ad Episcopum vel Abbatem beneficiarium haud pertineant, nisi sub obligatione æquivalentis solutionis pecuniariæ ad Cameram Pontificiam, quo sensu allegata Novella Justiniani ad annatas referri minimè potest.
157 Nec magis probabilem arbitror celebratissimi Strauchii sententiam, qui *disp. exoter.* 5. *th.* 17. annatarum originem Justinianeo ævo antiquiorem adstruit exemplo cujusdam Antonini Ephesini, qui referente Palladio in vitâ Chrysostomi, solitus fuerit ordinationes Episcoporum pro modo redituum vendere; hæc enim res mero facto, non specie juris, quam annatæ præ se ferunt, contigit, nec v. g. idcirco, quòd Alexander Sextus Pontifex feratur vendidisse sacerdotia aliaque
158 sacra, ob eam causam ad annatas, hæc pretia verè quis retulerit; habuerunt enim annatæ aut finem honestum erogationis in bella (quamvis alii contrasentiant cum *Fran. Duar. lib.* 6. *de S. Eccles. min. & benef. c.* 3.) Saracenica vel Turcica, aut saltem posteà cum in hanc causam non impenderentur, pacto & consensu firmatæ videntur, ut in ipsis Concordatis, quare non animadverto, quâ solidâ ratione Simonia-
159 cis artibus debeant accenseri annatæ, certè Maximil. Primus Imp. & Status Imperii ut ad primævum finem annatæ erogarentur, belli sc. Turcici, superiori seculo efflagitârunt à Pontificæ, ceu referunt Sleidanus *lib.* 4. *de stat. relig. pag.* 88. & *Paurm. de jurisd. Imp. Romani lib.* 2. *cap.*
160 2. *num.* 40. *Strauchius d. disp.* 5. *th.* 18. ubi decretum comitiale verbotenus ex Hortledero recenset, sed ita ut in Caroli Quinti jam tempora, sc. de anno 1522. non Maximiliani I. incidat. Verum ut revertamur ad annatas,
161 eæ vix seculo decimo quarto originem antiquiorem habent, dum receptius, vel Joh. XXII. vel Bonifacio IX. adscribuntur. *Sleid. d. l. pag.* 87. Tenor summarius Concordatorum

torum

torum de annatis hic est, ut solvantur de Ecclesiis & Mo- 162
nasteriis virorum duntaxat, unde mulierum monasteria ab hoc onere sunt libera; cæterum solutio ex fructibus primi anni præstanda est non in naturâ, sed pecuniis juxta taxationem Cameræ Pontificiæ, sic ut dimidia pars primo anno quietæ possessionis, secunda anno subsequenti præstetur, & si pluries in uno anno vacare contigerit Ecclesiam cathedralem vel monasterium, semel tantum debentur annatæ, quæ nec in successorem transeunt. De cæteris verò dignitatibus, officiis aut 163
beneficiis Ecclesiasticis, quorum collatio immediatè ad Pontificem pertinet, intra annum juxta taxam, ut vocant, fructuum consuetam annatarum fiat solutio. *§. placet similiter nobis, in Concord.* Non opus habeo persequi cætera, quæ ad hanc ma- 164
teriam de annatis pertinent, sed satis est complecti summam, quòd ex Concordatis quidem hodiè debeantur ordinariâ viâ, ita tamen, ut si Reip. necessitas poscat, suprema dispositio de iis penes Imperatorem sit, qui ad salutem publicam ac defensionem Imperii convertere eas æque possit debeatque, ac alias res Ecclesiasticas, ut suprà dixi; cùm enim Pontifici 165
tribuant jus ex causâ derogandi Concordatis, quam rem nunc non examino, multò magis justum æquumque erit, Imperatorem non ita ligari concordatis, quin postulante Republicâ (quâ quæ justior causa esse possit?) liceat uti annatis ad primævum finem honestissimum, defensionis sc. Imperii & ipsius Ecclesiæ contra hostes Christiano nomini infensissi- 166
mos, ita ut intercessio apud Pontificem haud necessaria appareat, quæque quondam è Comitiis Augustanis emanâsse fertur magis civilitati ac publicæ reverentiæ erga Pontificem, quàm juris necessitati adscribenda videatur; planè cum Concordata servanda esse non tantùm Maximilianus Imperator edicto apud Leodienses expresserit; & Carolus Quintus apud Cameracenses, *Goldast. d. l. p.* 411.

 Sed

Sed inde à Caroli Quinti tempore in ipsis Capitulationum legibus als über und wieder *concordata*, cautum reperiatur Concordatorum, adeoque etiam annatarum usum asservan-
167 dum retinendumque, abusum verò tollendum esse, non est de annatis in substantiâ amplius disputandum, nec cum præter pacta legibus etiam publicis fulciantur, sentiendum eas simoniacâ labe vitiari; cur enim primi anni fructus cujusque Episcopi vel Prælati in Ecclesiis cathedralibus vel monasteriis haud potuerint ad sedem Pontificiam pacto aut lege transferri, nihil est quod repugnet, licet certum sit annatas & per se onerosas, & longè magis abusus, de quibus tàm inter gravamina Germanicæ nationis, §. 6. *apud Goldast.* in Reichs-Satzungen / *p. m.* tùm in d. art. und als über und wider *concordata*, querela publica est, admodum esse detrimentosos; sed de jure Imperatoris supremo
168 circa bona Ecclesiastica hactenus dictum sit. Superest, ut specialiter de jure Cæsareo circa beneficia Ecclesiastica disseramus, quod primariarum precum vocant; hujus juris origo, si rem ipsam consideremus, haud dubiè supremæ potestati Cæsareæ in Ecclesiasticis attribuenda, quòd unius in singulis Ecclesiis beneficii concessio Imperatori etiam post illa tempora, quibus Pontifices Ecclesiastica jura per Imperium ad se traxerant, reservaretur ipsoque usu retinere-
169 tur; quod verò nomen attinet, arrogantiæ cleri adscripserim, ut quod Imperator suo jure & gratiosè concessisset beneficium, ac desuper benignè requisivisset Episcopos vel Prælatos ut concessionario gratiæ (quem aliàs non satis latinè precistam vocant) prospicerent de beneficio vacante aut vacaturo, eumque ad possessionem vel quasi admitterent, hoc precibus à se obtentum interpretarentur, cum tamen constet, impetratores gratiæ Cæsareæ ab Episcopis, Prælatis vel Capitulis requisitis debere in Canoni-

nonicorum vel Præbendariorum numerum recipi, nec
gratiam illam dependere ab Antistitum vel Capitu-
lorum arbitrio. Hanc esse veram originem primariarum 170
precum ex suprà deductis satis apparet; nam cum Cæsares
investituram Episcoporum non obstante pacificatione Hen-
rici Quinti Imperatoris & Calixti Secundi Pontificis diu
pòst propugnâssent, usuque ipso per occasiones exercuis-
sent, haud dubium est, quin dispositionem de beneficiis
Ecclesiasticis minimè neglexerint, sic, ut in consuetudi-
nem concessio hæc Imperatoria nomine primariarum pre-
cum insignita abierit; fatetur hoc satis clarè Rudolphus 171
Primus Imperator in rescripto precum ad quendam Ab-
batem, quod circa *annum Christi* 1273. *à Nauclerogener.*
43. exhibitum, & à *Goldasto tom.* 3. *const. Imp. p. m.* 426.
relatum est hoc tenore: *Cum ex antiquâ & approbatâ ac
à divis Imperatoribus & Regibus ad nos productâ consue-
tudine quælibet Ecclesia in nostro Romano Imperio consti-
tuta, ad quam beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet
collatio, super unius collatione beneficii, PRECUM NO-
STRARUM PRIMARIAS ADMITTERE TENEA-
TUR, devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de
Ecclesiastico beneficio, quod ad tuam collationem attinet,
ob reverentiam sacri Imperii studeas liberaliter providere,
&c.* Ad eundem modum, sed expressiori mandato regali Ca- 172
rolus Quartus Imperator rescripsit Præpositio & Conventui
Canonicorum Revengersburgensium apud Goldastum *tom.*
1. *Const. Imp. pag.* 343. his verbis: *Cùm itaque nobis tàm de* 173
*jure quàm antiquâ & approbatâ consuetudine à divis Ro-
manorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus no-
stris hactenus observatâ competat &c. quòd in quolibet mo-
nasterio in Imperio constituto, unam tantùm personam vir-
tute primariarum precum nostrarum ad beneficium Eccle-*

 siasti-

siasticum facere possimus promovere. Hinc est, quòd pro dilecto nobis Petro Conradi de Dylle Presbytero devoto vobis primarias dirigimus preces nostras devotionem vestram attento studio inquirimus & hortamur. VOBIS NIHILOMINUS PER REGALIA SCEPTRA MANDANTES, quatenus præfato Petro aut ipsius Procuratori ac nomine & vice ipsius de beneficio Ecclesiastico cum curâ vel sine curâ, quod vacat ad præsens, vel quod primum vacaverit ad vestram præsentationem, collationem seu quamvis aliam dispositionem spectans in quacunque diœcesi &c. autoritate & virtute PRIMARIARUM PRE-
174 *CUM NOSTRARUM PROVIDERE DEBEATIS.* Unde apparet, preces primarias circa beneficia Ecclesiastica non esse instar requisitionis simplicis, sed habere vim juris & mandati Cæsarei, apud provisores, ad quos diriguntur, licèt Imperatores civilibus verbis hac in re uti etiam
175 soleant. Deinde per præmissa jus precum primariarum Imperatoribus non tantum competit ex consuetudine, sed jure etiam suo, quod exercere dicuntur instar reliquiarum juris Ecclesiastici veteris, ut eleganter censuit *Klock, tom. 1. cons. 4. num. 15.* Hinc divæ memoriæ Imperator Matthias in literis ad Episcopum Spirensem Philippum Christophorum, quas exhibet post *dict. cons.* Klockius vocat jus primariarum precum præcelsum regale Imperii, ein ho-
176 hes Reichs-Regal. Secundum hæc igitur jus istud definiemus *Regale reservatum, quo Cæsar unâ vice alicui beneficium Ecclesiasticum intrà Imperium vacans per literas ad provisores concedere potest. Wehnerus vocat Panis-Brieff in observat. pract. hac voce. Besoldus item in thes. Pract. verb. Primariæ preces.* Sicut verò ex hac definitione & deductis jus precum primariarum per se satis elucescit, ita quædam adhuc sunt pleniùs disquirenda: 1. num hoc jus Impe-

Imperatori competat ex indulto Pontificis, vel Cæsareâ potestate & consuetudine. 2. Quale sit, an tantum jus nominandi, an verò propriè conferendi beneficium. 3. Annon tantum in mensibus Papalibus, sed etiam in mensibus ordinariorum rectè exerceri possit? 4. An Imperator gratiam revocare, & alii concedere possit literas precum? 5. Quem effectum habeat gratia precum Cæsarea? 6. A quo tempore concessionis, literarum vel præsentationis? 7. Utrum Cæsareanus precista, quem vocant, indistinctè præferatur aliis, antiquiorem expectativam habentibus? 8. An & quatenus Imperator hodiè in Ecclesiis Protestantium jure primariarum precum utatur? 177

Actum forsan videmur agere circa primam quæstionem, 178
cum politicâ ratione & ex diversis rescriptis Cæsareis satis jam deductum sit, potestate Cæsareâ & consuetudine jus primariarum precum Imperatori competere; sed cùm hac de re diversæ sint sententiæ, operæ pretium fuerit, penitius inquirere in veritatem. Sunt igitur Scriptores gravissimi, qui 179
Pontificiæ concessioni jus hoc primariarum precum adscribunt, quorum antesignanus est Speculator, qui *lib. 4. specul. part. 3. tit. de præbend. vers. restat. n. 7.* ita scribit: ***Item nota, quòd Imperator habet privilegium, quod ego vidi bullatum, quòd in qualibet Ecclesiâ Alemanniæ possit facere unum recipi***: eam sententiam secuti sunt *Gail. 2. observ. 155. num. 7. Burs. lib. 2. cons. 126. num. 39. Wehner. & Besold. l. c. Boer. decis. 32. num. 8. Marta de jurisd. pag. 2. cap. 40. num. 6.* Sed alii censuêre consuetudine ac jure regio niti prima- 180
rias illas preces. Sic asseruerunt *Reink. de regim. Eccles. lib. 3. class. III. cap. 9. num. 57. & sequ. Grev. ad Gail. d. obs. 155. consid. 1. num. 3. Limnæus lib. 2. de jur. public. cap. 9. num. 5. & 6. Klockius d. cons. 4. num. 16.* Rei veritas est, quod Im- 181
peratores jure suo & ante indulta Pontificum habuerint & exer-

exercuerint beneficiorum Ecclesiasticorum concessionem per primarias preces, uti volunt scriptores posteriore loco relati, sed nihilominus etiam verum est, datas hoc nomine à Pontificibus literas confirmatorias; nam non tantum Speculatori *d. l.* qui dicit se privilegium bullatum vi-
182 disse credendum est, sed si etiam præter causam testimonium ejus indubium vellemus vocare, probarent ipsa diplomata precum Cæsarearum recentiora, eam consuetudinem circa beneficia à Pontifice approbatam, uti apud *Besold. in addit. Thes. pract. d. l. & Diether. ibid.* item apud *Chokier. l. c. pag. 5. & 6.* ex literis precum Divorum Imperatorum
183 Matthiæ & Ferdinandi Secundi videre licet. Itaque alii & juri antiquiori ac consuetudini facultatem precum Cæsarearum adscribunt & Pontificis privilegio. Ut *Hermes in fasc. jur. publ. cap. XI. num. 8. Chokier. d. l. pag. 60. & ma-*
184 *ximè pag. 63. Besold. l. c. in addit.* ubi dicit precum literas ab Imperatore jure regio non Pontificum beneficio conferri; id quod certè ex ipsis literis precum Cæsarearum apparet, quæ vel nullam faciunt Pontificii indulti mentionem, ut Rudolphi Primi & Caroli Quarti præallegata rescripta, vel ita faciunt, ut Pontifici tantùm attribuatur consuetudinis, quâ jus precum Imperatoribus competat, corroboratio, uti patet ex literis Matthiæ & Ferdinandi Secundi Imperatorum su-
185 prà relatis, quamvis Paulus Quintus Pontifex concessionis & indulgentiæ nominibus utatur in suo ad Ferdinandum Secundum gratiosarum precum indulto, quod exhibet & scholiis illustrat *Chokier. d. tract. pag. 7. & plur. sequ.* igitur ut rem in summam contraham, juri Cæsareo prisco & consuetudini debetur gratia precum, Pontifici verò ulterior approbatio; neque inconveniens vel
186 sine exemplo est; addi juribus jam immemoriali consuetudine, quæ & ipsa vim legis ac privilegii habet, *l. 1. §. fin. ubi dd. ff. de*

ff. de aqu. & aqu. pluv. arc. act. c. super quibusdam. 26. §. praeterea. X. de verb. signif. benè firmatis robur specialis indulti vel confirmationis, quæ res licet nihil conferat ad validitatem juris per se, quippe jam prius consuetudine vel aliter subsistentis, tamen de facto ad juris exercitium talis sive concessio sive confirmatio haud parvum momentum habere potest; quo intuitu propter magnam Pontificis cir- 187
ca Ecclesiastica auctoritatem, non puto prorsus superfluum Papale indultum, præsertim quòd temporibus retrò lapsis, is status rerum fuerit, ut jura precum difficulter ab Imperatore exerceri potuissent Pontifice dissentiente. Illud non omit- 188
tendum, consuevisse preces à tempore demum coronationis tribui vel ad provisores dirigi, quod constat ex Caroli Quarti, Matthiæ & Ferdinandi Secundi suprà allegatis formulis, probabiliter ex ratione, quòd Ecclesiastica nonnisi à consecrato Imperatore vel Rege administrari debere censeantur, neque tamen in sententiam Springeri con- 189
descendo *in jurispr. publ. c. de jur. primariar. prec. p. 35.* existimantis, Imperatores ex eo sibi hoc jus vindicare, quòd semper fuerint primi & supremi Ecclesiarum cathedralium Canonici; id enim speciale esse, ut Imperator vel Rex recens coronatus Canonicus sit Ecclesiæ Aquisgranensis, & ab hâc Ecclesiâ per modum privilegii obtendi pro commodis, quæ hinc percipiuntur, suprà retuli *tit. de Coron. Cæs. vel Reg. Rom.* Deinde si etiam universarum 190
Cathedralium Ecclesiarum hoc esset consortium canonicum, non animadverto, quæ sit concludens argumentandi ratio ad jus concessionis canonicatus, quod certè ex emi- 191
nentiori Principio, Cæsareâ scilicet vel Regiâ potestate suprema consuetudine subnixâ, deducendum est, non ex

ritu receptionis in Canonicum, sicut nec Galliarum Rex, ad quod exemplum provocat Springerus, propter Canonicos ordines, quos habet, sed ex Regiâ potestate Ecclesiastica
192 beneficia conferre rectè dicitur. Verùm missis his considero nunc secundam quæstionem, qualenam & quod in se sit jus precum? Plerique tradiderunt, hoc jus non esse nisi nominationem, ita *Wehner. Besold. Chokier. l. c.* aliique, quorum fundamentum ponitur in privilegio vel indulto Pontificis, cujus dispositio Imperatori non collationem propriè tribuit, sed nominationem, conf. textus indulti Pauli Quinti apud Chokier *d. tract. sect.* 3. relatus. Verum ut prisci Imperatores Romano-Germanici, in concessione dignitatum ac beneficiorum Ecclesiasticorum, non merum jus nominandi, sed veram collationem sibi asseruerunt, sic non est, ut existimemus, consuetudine, quâ beneficiorum Ecclesiasticorum hanc sibi retinuerunt dispositionem minus usu retinuisse, quàm priùs jure regio ex-
193 ercebant. Accedit, quòd, ut paulò ante dictum, Imperatores in formulis precum jure Regio utantur, quod concedit *d. l. in addit.* ipse Besoldus & demonstrant formulæ precum suprà scriptæ, præsertim Caroli Quarti Imperatoris, atque hoc sustineri posse videtur, si jus ipsum consideremus, sed si usum, magis est, ut non præcisa
194 collatio precibus attribuatur; reverà enim ab Imperatore collatoribus in literis nominatur persona, cui ipse Imperator collatum velit beneficium, ideoque collatores, ut
195 id fiat, de more requiruntur; sanè re penitiùs consideratâ juxta formulas precum Cæsarearum recentiores, rectiùs dici arbitror, eas literas, nec nominationem meram esse, nec collationem, sed mandatum de providendo civilibus verbis expressum; vult enim Imperator precistæ,
196 ut vocant, provideri omni eo jure, quod ille vel illi, ad quem

quem vel quos literæ Cæsareæ diriguntur circa beneficium Ecclesiasticum, canonicatum vel dignitatem habet, sive habent, idque clarissimè apparet ex Matthiæ & Ferdinandi Secundi Imperatorum literis precum, ubi hæc habentur verba: *Pro conservatione jurium ac consuetudinum Romani Imperii expressè requirentes, ut beneficium Ecclesiasticum &c. ad collationem, provisionem, electionem, nominationem, præsentationem, ordinationem, sive quamlibet aliam dispositionem vestium pertinens*, & infrà *eundem* N. (precistam sic dictum) *prout ad vos spectat* (beneficium scilicet) *ad illud eligatis, nominetis, præsentetis, ac ei illud conferatis & assignetis &c.* Quibus verbis sanè constat etiam ad no- 197
minatores vel jus nominandi aut præsentandi, quod vocant, habentes, dirigi preces Cæsareas, jam quia nominatio nominationis congruè non asseritur, puto Imperiales illas literas concinniùs dici mandatum de providendo, tantò 198
magis quòd nomen provisionis generale sit, & sub se nominationem, postulationem, electionem, præsentationem, confirmationem, institutionem & collationem complectatur, *gl. in Clem. fin. verb. provisioni. de elect. Chokier d. tract. sect. 2. lit. p.* Quantum ad tertiam quæ- 199
stionem, jus primariarum precum controverti solet cum ordinariis collatoribus, dum hi non nisi in mensibus Pontificis illud admittunt, & propterea si in cæteris mensibus beneficium Ecclesiasticum vacare contigerit, hoc ipsum precistæ Cæsareo planè denegant, eaque fuit Matthiæ Imperatoris cum Capitulo Spirensi controversia, in quâ Klockius pro Imperatoris & Imperii jure respondit, *d. cons. 4. num. 12. & sequ.* potissimæ dubitandi rationes sunt, 200
quòd Imperator jus precum habeat ex concessione Pontificis, Pontifex verò ipse per Concordata excludatur in mensibus ordinariorum, ut sic plus juris ex concessione apud Imperatorem esse non videatur; dein-

de, quòd Fridericus Tertius Imperator vigore Concordatorum collationes beneficiorum menſibus ordinariorum, ipſe ſtabiliverit pacto, quod jus ordinariis à ſucceſſoribus
201 Imperii non debeat auferri; ſed rationes decidendi longè ſunt prægnantiores, 1. quòd jus precum minimè Imperatori competat ex ſolâ Pontificiâ conceſſione, ſed ex conſuetudine & antiquâ poteſtate Eccleſiaſticâ; unde prior ratio dubitandi corruit; hæc autem vel poteſtas vel conſuetudo ad nullos menſes ante Concordata fuit obſtricta, *Chokier d. tract. ſect. 4. pag. 60. Klockius d. conſ. 4. num. 24.*
202 Deinde nulla habetur mentio in Concordatis de jure primariarum precum, quod quia ab Imperatore Friderico Tertio in ſtipulationem vel pactum deductum non eſt, nec poteſt videri per concordata remiſſum, præſertim cum remiſſio, ceſſio vel renunciatio in tantis juribus haudquaquam præſumatur. *Poſt alios Oſaſc. deciſ. Ped. 101. num. 11. & 12. Tiraquell. in præf. l. ſi unquam. num. 128. C. de don. Brun-*
203 *nem. ad l. beneficium. 3. num. 6. ff. de conſt. Princ.* Accedit, quòd Fridericus Imperator non cum Epiſcopis vel ordinariis collatoribus beneficiorum tanquam cum parte alterâ paciſcente, ſed cum Pontifice Concordata inierit; fuerunt enim Cæſar & Epiſcopi, aliique Principes, pars una contrahens vel paciſcens, pars altera Cardinalis Johannes, S. Angeli Diaconus nomine Eccleſiæ Romanæ & Pontificis, igitur non debet intelligi Imperator remiſiſſe jura Imperii anteriora in beneficiis Eccleſiaſticis. Ex quibus ratio dubitandi ſecunda ſatis diſſolvitur, ac certò colligere licet, juri primariarum precum per Concordata
204 Germanicæ nationis planè nihil derogatum eſſe, adeoque ſine diſtinctione menſium Imperatores poſteà ut antè, hoc jus potuerunt, poſſuntque hodiè exercere; abſurdum enim erit, aſſerere hodiernos Imperatores in exercitio juris precum obſtringi menſibus, cum Rudolphus

Pri-

Primus, Carolus Quartus, aliique Imperii antecessores, haud dubiè sine restrictione mensium, quippe qui tunc ne quidem obtinuerant, idem jus exercuerint, nec in Concordatis vel alibi ordinariis id unquam fuerit in reliquis mensibus remissum. De cætero non est dubium in omnibus Ecclesiis Germaniæ, (nisi quasdam specialiter constet exemptas) quoad cuncta etiam beneficia regulariter preces locum obtinere ex generalitate Cæsarei juris ac consuetudinis, tùm Pontificii etiam indulti, excipiuntur tamen beneficia patronatus laici, hospitalia in studia de- 205
putata, creata post preces, monocularia, & plura alia, quæ congessit *Chokier. d. tract. sect. 2. pag.* 34. *& sequ.* de quibus sigillatim scribere præter rationem instituti est. Circa quæ- 206
stionem quartam distinguit idem Chokier *d. tract. sect.* 2. *quæst.* 17. inter jus quæsitum & quærendum, illudque precistæ non sine causâ auferri, hoc verò liberè revocari posse censet, velut si nomen precistæ sit in albo vel rotulo Cæsaris descriptum, quâ inscriptione nullum jus sibi impetrans asserere posset; sed nobis non de eo, qui tali aliquâ ratione spem proximam, sed qui literas precum consecutus sit, quæstio est, & adhuc puto revocationi concessionis liberæ locum esse, utique beneficio nondum vacante; tunc enim jus adhuc 207
quærendum est, & pendet ab eventu vacationis, ergò concessionis revocatio libera obtinebit, per not. *Decii consf.* 269. *num.* 7 *& sequ. Curt. Iun. conf.* 1. *num.* 35. *Brun. conf. feud.* 1. *num.* 62. *vers. item ad id. Crav. conf.* 241. *num.* 13. scilicet si literæ 208
precum concessæ & expeditæ; nondum tamen insinuatæ essent collatori vel alii, ad quem dirigerentur; nam per intimationem, uti vocant, vel exhibitionem Cæsarearum literarum, ad primum beneficium vacans aut vacaturum precistæ jus quæsitum intelligitur, quâ de re posteà; hoc verò 209
etiam casu concurrente, justâ causâ vel gratiâ revocari, ne

precista consequatur beneficium, vel is etiam, licet jam actu
obtinuisset, privari beneficio posset, ubi tamen causa valdè
urgens & ardua intervenire debet. *l. un. C. de his, qui à princ.*
vac. acc. c. in causis. 19. X. de sent. c. nuper. 6. cum c. sequ. de
præb. in extrau. comm. atque sic privilegiarias concessiones
favore publico majoris privilegii patet revocabiles, *arg.* A.
210 B. Caroli IV. Imp. *tit. de revocat. privileg.* Quoad quæstio-
nem quintam cardo rei in hoc vertitur: utrum jus in re, an verò
ad rem precistæ acquiratur ex literis Cæsareis? jus enim ei ac-
quiri hujusmodi precibus, haud est dubium, quòd collator vel
alius, ad quem preces mittuntur, non possit jus, quod habet,
non conferre vel tribuere, sed an præcisè ex literis his
Cæsareis, absque actuali provisione collatoris vel alte-
211 rius cujuscunque, ad quem Cæsaris gratia ad implen-
dum perscribitur, precista beneficium vindicare possit,
ulterioris indaginis est; nam si Cæsar habet solum jus
nominandi juxta Bullam Pontificis, precista haud compe-
tere poterit jus in ipso beneficio ante realem collatio-
nem, quamvis mandatum collationis vel provisionis sit
emissum, idque probant evidenter textus *in c. pen. de*
præb. in 6. & in c. fin. circa fin. de concess. præb. in 6. ubi sta-
tuitur ante collationem non jus in præbendâ, sed ad præ-
bendam sive ad rem, non in re impetranti competere, idem
tradit ibi *glossa*, & post Innoc. & Hostiensem *Feder. de sen.*
212 *quæst.* 290. per tot *Dunozet. decis. Rot. Rom.* 53. *num.* 5. As-
seri equidem posset precistæ Cæsareo jus in re, quod Im-
perator jure supremæ potestatis & consuetudinis, gaudeat
facultate concessionis beneficiorum Ecclesiasticorum, se-
cundum ea, quæ suprà dicta sunt, quò faciunt, quæ scripsi
213 *in disp. de rescriptis gratiæ. th.* 51. item *th.* 54. & 57. Ast ve-
rò si formulas precum præmissas consideremus, contra sen-
tiendum videtur, quia Imperator in illis agnoscit ordina-
riorum collationem, quos licèt non tàm roget, quam
jubeat

jubeat conferre vel tribuere beneficium precistæ, non tamen per literas has aliud quàm mandatum de providendo, exprimitur, actualis verò provisio Canonici receptio, vel præbendæ collatio, quæ ordinarii vel ejus est, ad quem preces diriguntur, jus demum reale in beneficio tribuit, *d. c. pen. & d. c. fin.* eoque etiam pertinet, quòd per mandatum de pro- 214
videndo ordinarius quidem, cui id fuerit insinuatum, obligetur ad providendum, & nisi obtemperet, pœnam mereatur, non tamen hinc amittat beneficii alii conferendi facultatem, juxta *text. c. si soli. 6. de concess. præb. in* 6. Cæterum haud 215
diffiteor, quin Imperator, si velit jure suo hactenus deducto uti, possit alicui, jus in beneficio concedere, quod ipsi per literas gratiosas statim competat, secundum dict. disp. theses relatas, nego autem id fieri per formulas precum suprà allegatas, quibus concessio remittitur ad collationem vel provisionem ordinarii, aut ejus, ad quem Cæsarearum precum literæ transmittuntur; ita enim negari nequit, jus in re ante Collationem excludi, *d. c. pen. & d. c. fin.* Ex quibus sequitur, precistam habere quidem fun- 216
datum jus contra collatorem, ut imploret officium judicis superioris vel fortè executorum gratiæ, quibus hoc negotium solet committi, quippe in literis precum denominantur curaturi, uti beneficium ritè conferatur, non verò ante collationem, reditus beneficii vindicare posse, atque sic collator teneretur precistæ ad interesse, qui licet ex 217
formulâ concessionis ante collationem non haberet jus in re, tamen haberet jus ad rem, ut vacans præbenda vel beneficium ipsi conferatur; hæc ita si literæ precum insi- 218
nuatæ essent, aliàs collator extra culpam vel dolum foret, nec in morâ collationis constitutus, ut adeò deficiat fundamentum eundem conveniendi ob intermissam collationem, ad quam ignorans precum literas, nec ob-
stri-

219 strictus quidem intelligi potest; putem insuper utilem actionem in rem subsidialiter precistæ dandum, adversus possessorem beneficii post precum literas aliis collati, si qualibet ratione precista nequeat cum effectu obtinere debitum à collatore, quemadmodum in subsidium jure dari solent utiles in rem actiones etiam his, qui jus in re propriè & accuratè loquendo non habent, *text. in l. uxor. 55. circa fin. ff. de don. int. vir. & ux. & in l. 1. C. de don. quæ*
220 *sub mod.* Eodemque in effectu pertinet, quod tradere solent Doctores, actionem personalem subsidialiter extendi contra tertium, sano sc. sensu, si nimirum tertius ille, contra quem subsidialiter quis vult agere, rem quæ ipsi actori à debitore tradi vel restitui debuit, acceperit vel malâ fide vel pretio injusto vel aliàs titulo lucrativo; tunc
221 enim ad rem ipsam contra tertium possessorem porrigunt actionem ex æquitate. *Bald. ad l. 2. num. 16. & ibi Salycet. num. 18. C. de resc. vend. Alex. Imol. in l. 1. §. si hæres. num. 1. ff. ad sct. Treb. Jason. 16. num. 8. & §. si is cui. num. 4. Covarruv. lib. 2. resol. cap. 3. num. 10. Menoch. consf. 63. num. 21. & sequ. Honded. vol. 2. consf. 38 num. 48. & sequ.*
222 *Klock. tom. 2. consf. 42. num. 405. & 406.* Utrovis autem modo intelligamus sive de actione utili, sive de personali in subsidium extensâ, justa reperitur causa, cur precista, si suum consequi non posset à collatore, adversus possessorem audiendus, eique succurrendum sit, tantò magis, quòd ob clausulas Pontificii indulti irrita & inanis sit, quæ
223 contra preces Cæsareas alii fit collatio, *arg. d. c. si soli.* Quamvis igitur precista post insinuatas debitè literas Cæsareas, ante collationem juxta deducta non acquirat jus in re, tamen nulliter factam alteri collationem impugnare, & ut sibi de eodem beneficio provideatur, apud executores gratiæ, vel si hi non essent, apud ordinarium instare posset;
si

si quidem collatio nulliter facta eidem præjudicare non debet. *c. non præstat. de reg. jur. in 6.* Et hæc de 5tâ quæstione. 224
Quoad 6tam haud dubium est, in gratiosis rescriptis ex regulâ juris Canonici inspiciendum tempus datæ, h.e. concessionis gratiæ, non præsentationis literarum *c. eum cui. 7. de præb. in 6. Perez. ad tit. C. de div. rescr. n. 6.* Itaque in duobus vel pluri- 225
bus precistis, qui successivè gratiam impetrâssent, collator meritò sequeretur literas primæ concessionis, nisi apertè constaret 226
eas revocatas; quod si secundus precista ante primum literas precum non tantùm insinuâsset, sed & beneficium collatione obtinuisset, antequam primus suas literas præsentâsset, collatio ista valeret juxta regulam præmissam ex *d. c. pen. & d. c. fin.* adeoque tunc secundus præferretur primo impetranti, præsertim si hic foret in notabili negligentiâ ad præsentationem sui juris, uti post *Ruzæum tract. jur. regal. privil. 4. scribit Chokier. de prec. prim. sect. 4. pag. 67.* Ego puto præclusâ etiam ap- 227
pendice notabilis negligentiæ, idem dicendum per allegatos textus, qui generaliter & expresè disponunt, posse beneficium secundo conferri; quanquam vi clausulæ, irritantis in gratiâ 228
precum etiam post insinuationem suffragante præsertim consuetudine, aliud defendi posse videatur. Neque obstat assertioni 229
suprà positæ textus *c. si postquam. 13. de præb. in 6.* ubi collatio præbendæ etiam ab ignorante priorem gratiam facta declaratur irrita, quoniam respondetur: esse ibi casum specialem, ubi pontifex primo impetranti non tantum expectativam præbendæ, sed canonicatum purè contulerat; huic igitur Canonico jam actu constituto posteà vacantem præbendam, quæ tertio collata fuerat, licet per ignorantiam literarum expectativæ, adjudicat, hâc speciali ratione, quod ipsi ratione Canonicatus, quem actu habeat, debita fuerit, quâ de re scripsi *in d. disp. de rescript. grat. th. 58. & 59.* Sed quid de tempore acceptationis, an irri- 230
ta fiat precistæ gratia, si non observetur? Pontifex nimirum menstruum terminum præstituit, intra quem à die notitiæ vacationis precista animum declaret, num beneficium vacans ac-

ceptet, nec ne, hunc terminum volunt esse de formâ, atque adeo
strictè observandum, *Chokier d. p. 67. & ex eo Dn. Mulz. in*
231 *repræs. Majest. Imp. p. 2. c. 33. n.* 240. Quæ sententia, ut ma-
gis tuta, precistis, ne controversiam beneficii forsan patiantur,
suadenda est, scil. ut observent hoc tempus; verum quia Impera-
tor jus primariarum precum ex supremâ potestate reliquum &
consuetudine fundatum habet, nec in formulis literarum gra-
tiam suam præcisè circumscribit, menstruo tempore accepta-
232 tionis, non puto precistas penitus tam rigidè excludi, quinimò
juxta ipsam dispositionem Pontificis justa causa etiam post men-
sem facit, ne jure suo excidisse videatur precista, uti ipse *Cho-
kier tradit d. l. p.* 66. quod non tantùm de absente vel ignoran-
te ipsam vacationem, sed & vacantis beneficii conditionem vel
reditus aut similia nesciente, asserendum arbitror, ut si de his
precista certior fieri cupiat, & interim habetur mensis, hæc
233 res ejus juri nihil noceat; Quod porrò Chokier & Mulz.
d. l. censent, admitti precistam ad secundum vel tertium be-
neficium, si primum ei non arrideat, intelligendum eo casu
est, quo primum illud conferretur alii Cæsareas preces non
habenti; aliàs enim primi gratiam extinctam ex suprà scriptis
234 facilè liquet. Denique quod ajunt, mortuo Imperatore pre-
ces ab ipso impetratas debere nihilominus effectum sortiri, de
casu accipiendum, quo Imperatore adhuc vivo literæ essent
præsentatæ, vacatione vel collatione beneficii post mortem
235 ejus contingente; ibi enim jus firmum precistæ quæsitum, ini-
quum esset auferri ex subsequente Imperatoris morte; ast
jam mortui literas ad effectum consequendi beneficii, cum mors
Imperium & omnia jura ejus solvat, præsentare velle, incon-
gruū foret, unde consequenter etiam nulla precum exsecutio,
nisi à successore nova gratia fiat, speranda, & hoc sensu intelligi
debet textus *c. literis 39. x. de rescr.* ubi Gregorius nonus Pon-
236 tifex prædecessoris Honorii Tertii literas, quibus alicui de be-
neficio provisum fuerat, exsecutus esse dicitur; non enim hoc
juris

juris necessitate fecit, sed per speciem novæ gratiæ, unde minimè illud colligere licet, quod Chokier censet. *d. tract. de prec. prim. sect. 2. §. tertio quæritur.* nimirum si Princeps, qui fecit gratiam verbo, moriatur, executionem pertinere ad illius successorem, quia Gregorius nonus simpliciter refertur prosecutus Honorii literas, non verò jure adstringente, & si vel maxi- 237
mè quis hoc adstruere velit, in genere non referre, utrum scripto an verbo Princeps beneficium concedat, item concessionem alterutro modo factam impetranti jus tribuere, quod ei morte concedentis non sit auferendum, tamen in precibus primariis diversa ratio subesse videtur, ut omninò literæ desiderentur ad collatorem vel alios, qui gratiam concessionis ad effectum perducant; quodsi concedens moriatur ante literarum 238
insinuationem, hæ defuncti nomine juxta prædicta amplius insinuari non poterunt, nec succedenti Imperatori antecessoris gratia præcludere debet jus precum, ut ipse, cui velit beneficium Ecclesiasticum vacans liberè mandet conferri; igitur tunc, ut dixi, novâ opus erit gratiâ, quâ prædefuncti Imperato- 239
ris concessio executioni demandetur, & hæc de sextâ quæstione. Quoad 7mam non dubitandum est, precistam Imperia- 240
lem præferri aliis gratiam aliam vel expectativam habentibus, dummodò scil. ante literarum Cæsarearum præsentationem beneficium alii non fuerit actu collatum; idque probatur partim ex usu, quo precistas Imperiales cæteris constat, in beneficiis vacantibus fuisse prælatos, partim ex indulto Pontificio in clausulis non obstantiarum, quas vocant, quibus in effectu adstruitur quibuscunque aliis gratiis vel concessionibus haud obstantibus locum dandum primariis precibus & consequen- 241
ter talis precista in concursu præferendus erit aliis, utut antiquiorem expectativam habentibus. In eo tamen Pontificis diplomate verbis per parenthesin positis, Cardinales speciale mandatum de providendo habentes processu desuper jam obtento, excepti sunt, quanquam hi quoq; aliàs sub regulâ non obstantiarū, quas

 dicunt,

dicunt, sint comprehensi, vigore verborum: *quacunque etiam Ecclesiasticâ dignitate vel mundanâ fulgentibus*, uti
242 declarat Chokier *d. tract. sect. 5. §. 1. lit. r.* Imò idem auctor, ex quo mandata Pontificis de providendo & expectativæ ad futura beneficia haud amplius obtineant, juxta *Concil. Trident. c. 1. sess. 24.* exceptionem indulti Pontificii in Cardinali-
243 bus suprà positam, inanem esse refert, *d. sect. 5. §. 1. lit. y.* In quo tamen, cum Pauli Quinti Pontificis indultum sæpiùs allegatum Tridentino Concilio longè sit recentius, subsisto, & insertionem inanis exceptionis Pontifici à Chokier adscribi mi-
244 ror. Illud planè singularissimum est, quod de facultate artium Lovaniensi tradunt, ejus scil. nominationem præferri precibus primariis ex privilegio Papæ. Chokier *d. tract. sect. 4. lit. c. vers. rursus objiciunt.* Sed quia evenire facilè posset, ut plura hujusmodi privilegia concederentur, quæ res ad dispendium tanti Juris Imperialis, quod minimè Pontificiæ concessioni tantùm, sed potestati supremæ Cæsareæ ac consuetudini vetustæ debetur, haud dubiè collimaret, magis
245 est, ut similia precibus primariis adversa privilegia haud valere vel attendi debere arbitremur. Secundum quæ universaliter dicendum, expectatoribus beneficiorum cæteris precistas Imperiales præferri, si non ex indulto Pontificis, saltem ex jure
246 Cæsareo & consuetudine. Superest 8va quæstio de usu juris Cæsarearum precum in Ecclesiis Protestantium; fuit sanè hæc quæstio antehac sub dubitationem vocata, sed tamen ponderatis circumstantiis assertum hoc jus precum etiam in nostris Ec-
247 clesiis, vid. *Klock. d. cons. 4. n. 20.* quæ res maximè nititur consuetudine universali suprà relatâ, cui obstare non debet religionis mutatio vel reformatio, itaque sicut Cæsarea majestas in omnibus Germaniæ Ecclesiis, illis etiam, quæ pòst reformatæ fuerunt, jure supremo Imperiali & ex consuetudine notoriè receptâ jus precum exercuit, vel exercere poterat, ita pòst reformationem religionis, quæ Imperatori suum jus adimere

adimere nec potuit nec debuit, eadem per literas precum de 248
beneficiis Ecclesiasticis conferendis, facultas mandandi provi-
dendique reservata fuit, certè nusquam legitur adempta; quin 249
novissima hac de re constitutio extat in Tabulis Pacis Germa-
nicæ *art.* 5. §. *ubi sacra.* 18. eo tenore, ut ubi S. Cæsarea maje-
stas jus primariarum precum exercuerit, in posterum quoque
exerceat, hac tamen declaratione adjectâ, ut in episcopatibus
Evangelicis, non nisi Evangelicus sive Augustanæ confessioni
addictus, & aliàs juxta statuta & observantiam idoneus, preci-
bus fruatur; in mixtis v. Episcopatibus vel aliis locis imme- 250
diatis (ubi fortè collegia Canonicorum ex utraque religione
Romano-catholicâ & Evangelicâ habentur) precibus non
gaudeat, nisi consors religionis, nimirum, si decedens Canoni-
cus fuerit Romano-Catholicus ad vacans morte ejusdem bene-
ficium non nisi Romano-Catholicus per precum literas præ-
sentetur; & ex converso, si fuerit Evangelicus, non nisi ejusdem
religionis Evangelicæ consors preces impetret. Ubi diversa 251
notari merentur, (1.) quod Imperator in terris Protestantium
sive Evangelicorum exerceat jus precum tantùm ex potestate
Cæsareâ, & non ex indulto Pontificis; est enim ipsimet Pontifici
in terris Augustanæ confessionis exercitium supremi juris circa
sacra satis clarè hodiè ademptum, per easdem Tabulas pacis
Germanicæ, *d. art.* 5. §. *si quid annatarum.* ut suprà expendi- 252
mus, potueruntque pacificantes non minori jure id facere, quàm
Carolus Quintus quondam Imperator & Hisp. Rex, vel Hen-
ricus Octavus Rex Angliæ usum Pontificiæ auctoritatis in sa-
cris per Hispaniam & per Britanniam edictis prohibere, unde 253
sequitur, nec observantiâ menstrui temporis indulto pontificio
circa acceptationem beneficiorum præscripti opus esse in pre-
cibus ad Evangelicos directis, neque aliàs Pontificium diplo-
ma ullatenus formam dare Evangelicis precistis. Notandum 254
[2.] Exercitium hoc precum non restringi ad annum millesi-
mum sexcentesimum vigesimum quartum, qui per *d. art.* 5.

tàm in religionis, quàm bonorum Ecclesiasticorum restitutionis negotiis, pro normâ fuit decretus; deficiunt enim hac parte verba *Instr. pac. d. §. ubi sacra*, quæ nullius
255 temporis restrictionem vel mentionem habent in exercitio precum, sed & ratio cessat, quòd videlicet jus hoc Cæsareum longè antiquius sit dissidio religionis, quod
256 hodie inter Romano-Catholicos & Evangelicos intercedit; itaque si Imperator quocunque tempore, & vel ante motus bellorum Germanicorum, exercuerit jus precum in Archi-Episcopatu vel Episcopatu aliquo Germaniæ Evangelico, quin ei adhuc hodie idem liceat, adeò nihil obstat, ut potius per constitutionem pacis *d. §. ubi sacra*. verbis indeterminatis jus illud
257 precum clarè confirmetur. Hoc amplius [3] etsi videri possit, à parte Imperatoris specialiter probandum hoc exercitium, si desuper controversia moveatur, verius tamen crediderim præsumi, dum non constet de hujus vel illius loci exemptione
258 à jure precum; est enim jus hoc Imperatoris circa beneficia Ecclesiastica universale, & consuetudo quoque juxta formulas precum Rudolphi Primi & Caroli Quarti Imperatorum suprà relatas universalis est, quæ adeò consuetudo publica & notoria omnes Ecclesias non exemptas complectitur per Imperium utique in partibus Germaniæ; sed consuetudo univer-
259 salis ac publicè notoria probatione non indiget *arg. c. 1. de const. in 6.* id quod etiam in privatis causis sic obtinet; nec enim v. g. jus patriæ potestatis, quod moribus introductum est, *l. patre 8. princ. ff. de his qui sui sunt vel al. jur.* item nec pupillaris substitutio, quæ originem etiam debet consuetudini. *l. moribus. 2. pr. ff. de vulg. & pupill. subst.* probanda est, idem in aliis juribus consuetudinariis asserendũ, velut quòd in criminalibus non ap-
260 pelletur, quòd pacta successoria valeant, & quæ similia sunt, dispar nimirum consuetudinis particularis ratio est, quæ sine dubio ab allegante probanda, non æquè illa, quæ per Imperiũ publicè innotuit.

innotuit. Veruntamen [4] si qua Ecclesia vel speciali concessione exempta foret à jure precum, vel aliàs legitimâ 261
præscriptione munita, immemorialis scilicet temporis, in eâ jus precum Cæsarearum haud locum invenire, meritò dicendum, cum constet privilegio & temporis immemorialis observantiâ acquiri etiam regalia posse præalleg. §. *præterea. Dd. in l. comperit.* 6. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *ann. & in l.* 1. §. *fin. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc.* Quod maximè accipiendum, si Imperator ad hanc 262
vel illam Ecclesiam literas precum dedisset, eaque tanquam suo jure utens haud detulisset precibus, postquam tantum tempus fuisset lapsum; videtur enim hæc res esse meræ facultatis, num Imperator det literas precum, ergo ex hoc solo, si tales literæ vel per immemoriale 263
tempus ad unam vel alteram Ecclesiam emissæ non forent, haud statim censeretur in petitorio præclusum Cæ- 264
sareum jus; ast si literis hujusmodi aut concessioni Imperatoriæ contradictum, nec precista ad beneficium promotus esset accedente immemoriali tempore & silentio Cæsareo, contra sentiendum videretur; nam in his etiam ex contradictione & patientiâ præscriptio immemorialis procedere posset, *arg. c. abbate.* 25. *x. de verb. signif. & d.* §. *præterea.* quin Ecclesia etiam constituta in quasi possessione haud dubiâ exemptionis precum, licet plenam libertatem nondum præscripserit, ante causam cognitam non videtur exercitio precum gravanda, sed per legitimos tramites nihilominus ad precum admissionem & provisionem conveniri causâque cognitâ adigi posset: hæc verò de præsenti titulo.

CON-

CONCORDATA GERMANICÆ NATIONIS.

NIcolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam: ad ſacram Petri ſedem divinâ diſpoſitione ſublimati, ſingulis quæ pro univerſalis Eccleſiæ unione ac pace & tranquillitate profutura conſpicimus, Apoſtolicæ providentiæ ſollicitudinem libenter intendimus, & ad felicem eorum proſecutionem & conſummationem, opem & operam impendimus efficaces. Nuper ſiquidem Chariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus Romanorum Rex illuſtris, & nonnulli alii dilecti filii Eccleſiaſtici, & ſeculares Principes inclytæ nationis Germanicæ ex unâ, ac dilectus filius noſter Johannes Sancti Angeli Diaconus, Cardinalis in partibus Apoſtolicæ ſedis de latere legatus per nos ad dictas partes miſſus, ſufficienti deſuper à nobis & ſede Apoſtolicâ, authoritate ſuffultus, ex aliâ partibus, Romanæ Eccleſiæ & dictæ nationis nominibus, pro ipſius Eccleſiæ unione, pace & tranquillitate inter Eccleſiam & nationem prædictam, perpetuo ſolidandis & conſervandis, diverſa rationabilia & utilia ordinationes, & ſtatuta à partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa, acceptata, & concordata fecerunt, ut illis pro firmiori eorum ſubſtantiâ, robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere, nec non authoritatem potiorem & decretum apponere dignaremur. Nos itaque, qui ſtatuta, ordinationes, & concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus magnorum maturitatis, authoritatis & literaturæ viros diligenter examinari, & diſcuti fecimus; eaque rationabilia & ſalubria tàm Eccleſiæ quàm nationi præfatæ fore comperimus, de dictorum & aliorum venerabilium fratrum noſtrorum prædictæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu Apoſtolicâ authoritate, & ex certâ ſcientiâ approbamus, ratificamus, laudamus & acceptamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, juxta modum

modum & formam subsequentes. Placet nobis super provisione Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque uti juris scripti reservatione & execrabilis, & ad Regimen constitutionum modificatis, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis quanquam immeriti superna dispositione vocati gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiæ studium ad quarumlibet Ecclesiarum, & monasteriorum regimina, ac alia beneficia ecclesiastica juxta divinum beneplacitum & nostræ intentionis affectum viri assumantur idonei, qui præsint & prosint committendis eis Ecclesiis, monasteriis, & beneficiis prælibatis: præmissorum itaque consideratione inducti & suadentibus nobis aliis rationalibus causis nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales Ecclesias; & etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus, & officia, nec non Canonicatus, præbendas & Ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, secularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia & in posterum vacatura, nec non per depositionem vel privationem seu translationem per nos seu authoritate nostra factas & in antea faciendas ubilibet. Nec non ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi seu postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa vel per eos facta renunciatio & admissa nostra authoritate extiterit, seu quorum electorum vel postulatorum & in antea eligendorum vel postulandorum electionem cassari seu postulationem repelli aut renunciationem admitti per nos aut authoritate nostra continget apud sedem prædictam, vel alibi ubicunque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdem ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ sedis; quamdiu ipsa officia actualiter retinebunt (videlicet vice Cancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditoris

literarum contradictarum, & apoſtolici palatii cauſarum auditorum, correctorum, centum & unius ſcriptorum literarum apoſtolicarum & viginti quatuor pœnitentiariæ præfatæ ſedis & viginti quinque Abbreviatorum; nec non verorum commenſalium noſtrorum, & aliorum viginti quatuor Capellanorum ſedis ejusdem in epitaphio deſcriptorum) & etiam Legatorum ſeu Collectorum; ac in terris Romanæ eccleſiæ Rectorem ac Theſaurariorum deputatorum ſeu miſſorum hactenus, vel deputandorum aut mittendorum in poſterum nunc vacantia & in antea vacatura ubicunque dictos legatos vel collectores ſeu Rectores & Theſaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Rom. curiam venientium ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis à dicta curia ultra duas diætas legales non diſtantibus, jam forſan obierint vel eos in antea ab hac luce tranſire contigerit, & etiam ſimili modo quorumcumque Curialium peregrinationis, infirmitatis ſeu recreationis, vel alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos antequam ad dictam curiam redierint ultra duas diætas ab eadem curia ut præmittitur non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem) jam forſan deceſſerint vel in poſterum eos continget de medio ſubmoveri etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia, vel in poſterum vacatura rurſus monaſteria prioratus, dignitates, perſonatus, decanatus adminiſtrationes, officia, canonicatus, præbendas & eccleſias, cæteraque beneficia eccleſiaſtica ſecularia & regularia cum cura vel ſine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem ſeu quemvis alium modum aſſumi, quæ promoti per nos ſeu authoritate noſtra ad Patriarchalium, Archiepiſcopalium & Epiſcopalium Eccleſiarum, nec non monaſteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipſis factarum, nunc quocunque modo vacantia aut impoſte-

posterum vacatura: Nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarū, Ecclesiarum aut beneficiorum aliorum per nos seu authoritate nostrarum litterarum immediatè collatorum seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiet nunc vacantia & in antea vacatura plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita & matura deliberatione secuta ordinationi & provisioni nostræ de ipsorum fratrum consilio authoritate Apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis & eorum quolibet per quoscunque quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Item placet nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediatè non subjectis Ecclesiis & in Monasteriis immediatè subjectis sedi Apostolicæ, fiant electiones Canonicæ, quæ ad dictam sedem deferantur, quas etiam ad tempus fœlic. record. Nicolai Papæ III. quæ incipit, cupientes expectabimus, & elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minus Canonicæ fuerint, providebimus, & si Canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa ac de dictorum fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, provisio quod confirmati prædicti & per nos provisi Metropolitanis suis & aliis præstent debita juramenta, & alia ad quæ de jure tenentur. Et in monasteriis dictæ sedi non immediatè subjectis & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam sedem non consuevit haberi recursus; electi seu illi, quibus providendum est pro confirmatione & provisione hujusmodi ad curiam Romanam venire non tenebuntur: Ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro monasteriis ad dictam curiam venire seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus quàm superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. Et de monasteriis monialium non disponemus, nisi

sint exempta, & tunc per commissionem ad partes. De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibuscunque secularibus & Regularibus vacaturis ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus & principalibus in collegiatis ecclesiis exceptis, de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, & ad quos alias pertinet) placet etiam nobis quod per quamcunque aliam reservationem gratiam expectativam aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma per nos vel authoritate nostra factam vel faciendam non impediemus nos, quo minus de illis, cum vacabunt, de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris & Decembris mensibus liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat reservatione aliave quavis dispositione authoritate nostrâ factis vel faciendis, non obstantibus quibuscunque: Quoties verò aliquo vacante beneficio in Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris mensibus specialiter dispositioni dictæ sedis non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolica authoritate provisum fuerit, ex tunc & non antea ordinarius vel alius ad quem illius dispositio pertinebit de illo liberè disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam rationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quo ad dictam sedem à Kalendis Junii proxime futuris ipsa currere incipiet & durabit deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum. Placet similiter nobis, quod circa provisionem dictæ sedis ordinandam modus annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis Cathedralibus omnibus & monasteriis virorum dumtaxat vacantibus & vacaturis solvantur de fructibus primi anni à die vacationis summæ pecuniarum in libris Cameræ Apost. taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur.

pantur. Etsi quæ excessivè taxatæ sint, retaxentur, & quod provideatur in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum & regionum vel nimium prægraventur: ad quod petentibus dabimus Commissarios in partibus, qui diligenter requirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro mediâ parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solvantur, & pro aliâ mediâ parte infra annum sequentem. Et si intrà annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia vel monasterio transeat. De cæteris vero dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis secularibus & regularibus quibuscunque; quæ authoritate dictæ sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectativarum aut causâ permutationis) solvantur annatæ seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis infra annum & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat, sed de beneficiis, quæ valorem viginti quinque florenorum auri de Camera non excedunt nihil solvatur: Duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari. In aliis autem quæ per fœl. record. Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum pro dictâ natione usque ad tempus futuri generalis concilii permissa, concessa, indulta & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiæ præsenti non obviant, istâ vice nihil volumus esse immutatum. Et per hoc quod in concordatis hujusmodi sine quibusvis aliis eorum occasione conficiendis literis propter compendiosiorem descriptionem Alemannia specialiter appellatur, Natio ipsa censeri non debet à Germanica natione distincta seu quomodolibet separata. Et præterea quia difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus de eis forsan fides facienda fuerit, loca deferri, eâdem Apostolicâ authoritate decernimus, quod ipsarum transumpto Metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito

tanquam præsentibus, si exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ præsentes literæ forent exhibitæ vel ostensæ. Et insuper quoque irritum ac inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnat. Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, Decimo quarto Kalend. Aprilis, Pontific. nostri anno secundo. Sumptum ex Registro Bullarum Nicolai Papæ V. lib. 2. secretorum fol. 283. & collat. concordat.

GREGORIANA CONCORDATORUM DECLARATIO.

GRegorius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Quæ in Ecclesiam Dei incommoda inferunt, nostra nos expedit animadversione removere. Cum itaque per literas fel. record. Nicolai Papæ V. nationi Germanicæ pro illius virtute, & concordia cum sede Apostolica inter alia concedatur, ut quoties aliquo vacante beneficio Ecclesiastico, in mensibus, Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris, in quibus vacantium Germaniæ beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio dictæ Sedi specialiter reservata est, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis, in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolica Auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, de illo disponere possit, & sæpe numero contingat, ut antequam inquisitio, quam plerumque etiam in concursu plurium, sive

sive in partibus, sive apud dictam Sedem fieri oportet in vitam, mores, & doctrinam eorum, quibus de dictis beneficiis per Sedem eandem providendum est, compleri possit, aut antequam de ipsis provisionibus, seu de mandatis, quæ ad inquisitiones, & provisiones hujusmodi faciendas ab eadem Sede impetrantur, vel motu proprio procedunt literæ Apostolicæ conficiantur, vel etiam antequam mandata ipsa à judicibus, ad quos directa sunt, recipiantur, vel recepta expediantur, interdum quoque literis Apostolicis expeditis, & gratia purificata, seu mandatis prædictis receptis, & inquisitione completa, antequam omnimoda executio perficiatur, propter diversa impedimenta, quæ frequenter succedunt, tempus trium mensium, ex quo vacatio beneficii in loco ipsius nota est, expiret, ac proinde ordinarii locorum, aut alii, ad quos talium beneficiorum dispositio, cessantibus Apostolicis reservationibus pertinet, ab ipso tempore prædicto, licet priusquam illud laberetur, provisionis sive alterius dispositionis de illis â dicta Sede jam gratia facta fuerit (quod ipsum attribuendum, & quærendum jus satis superquè esse certa inter juris interpretatione frequenter declaratum est) illa tamen conferre contendant: Qua de causa multis Religione & pietate insignibus, quando ii post ostensum virtutis, & doctrinæ suæ specimen, atque inde immensos labores, & sumptus beneficiis potiri debent, alii præoccupatores obtentu ordinariæ collationis hujusmodi contra adversantur. Nos indignum rati, quod temporis mora, quam ad perscrutandum accuratius talium probitatem, industriam, & alia requisita intercedere pro utilitate Ecclesiæ necesse est, locum injuriis aperiat, attendentesque verba prædicta (in loco beneficii) cum verbis (notæ vacationis) quæ protinus antecedunt, conjungi & ad illa duntaxat referri, ac voluntatem concedentis, sensumq; concessionis, & literarum prædictarum sic esse, ut dispositio beneficii intra tres menses à die notæ vacationis à sede prædicta fieri, deque gratia facta alicui apparere debeat, quemadmodum

re

re inter utriusque juris interpretes jampridem controverſa ſumma ratione judicatum apparet: vix enim eſt, ut itineribus non modo infeſtis aut prohibitis, quod ferè ſemper contingit, ſed etiam expeditis, quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium, vel pauliſper moratum, in eaſdem ſe recipere tanta temporis anguſtia poſſit. Quocirca æquitate, & juſtitia ſuadentibus præſentium auctoritate declaramus conceſſionem Nicolai Papæ, & literas prædictas locum omninò non habere, quod ordinarii, aut alii collatores prædicti, poſt lapſum trium menſiũ ex die notæ vacationis in loco beneficii diſponere poſſint de ullis beneficiis prædictis, aliàs ſub conceſſione, & literis prædictis, comprehenſis extra Ro. Cu. in menſibus prædictis quoquo modo vacantibus, vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium menſium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiscunque gratia, vel diſpoſitio, aut conceſſio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum ſit factam à Sede prædicta diſpoſitionem hujusmodi in longum obtegere: illi, quibus deinceps gratiæ, hujusmodi concedentur, earum conceſſionum fidem, & teſtimonium intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii hujusmodi vel dictis collatoribus ſignificare, vel in ipſo beneficii loco publicare quoquo modo teneantur. Decernentes omnes, & quascunque diſpoſitiones de dictis beneficiis ab eisdem collatoribus poſt ſignificationem, ſeu publicationem hujusmodi pro tempore factas, nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore. Sicque in quibusvis cauſis pendentibus, & futuris judicari debere. Nec non irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his ab eisdem collatoribus, aut quibuscunque aliis ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quod ſi forte quisquam collatorum prædictorum fuerit præſentium violator, eum à beneficiorum & officiorum collatione tamdiu ſuſpendimus, donec ipſe veniam petens reſtitutionis gratiam à ſede prædicta meruerit obtinere. Cæterum volumus, ut

præ-

præsentium transumptis, etiam impressis Notarii publici manu & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Kal. Novembris Pontificatus nostri anno quinto.

TITULUS XII.

DE RESERVATIS CÆSAREIS SECULARIBUS.

SUMMARIA.

Num. 1. item 9. usque 12. Dominium supremum Imperii est de reservatis. 2. usque 8. Dominium non totius orbis, sed orbis Romani fuit penes Imperatores Romanos. 13. & 14. Potestas conferendi feuda regalia Imperii est de reservatis. 15. usque 18. Limnæi sententia & rationes, quasi Imperator sit merus administrator in bonis vel rebus Imperii, referuntur; sed 19. usque 28. dissolvuntur. 29. & 30. Majestas realis consideratur, 31. usque 36. & 37. Principes & Proceres num ex opinione Limnæi magis Imperii quàm Imperatoris vasalli sint, perpenditur. 38. & 39. Regalium feudorum conferendorum ex antiquo duplex ratio, scil. per sceptrum, quæ forma Ecclesiasticis, & per vexillum, quæ secularibus feudis competit. 40. 41. & 42. Regalia feuda hodiè indistinctè conferri solent per ensem. Regalia feuda minora Principatu conferuntur in consilio Imperiali Aulico. 43. 44. & 45. jurisdictio de feudis

Imperii inter vasallos controversis est de reservatis. Ac 46. *usque* 49. *Ratione objecti declaratur.* 50. 51. *&* 52. *Immediatæ nobilitatis feuda non æquè ut regalia personalem Imperatoris cognitionem efflagitant.* 53. *Principatus & Provinciæ Imperii nexu feudi tenentur.* 54. *Dynastia non feudalis etiam immediata non est de reservatis Imperatoriæ cognitionis personalis, secus* 55. *Feudalis* 56. *usque* 59. *Feudorum regalium petitorium & possessorium plenarium ad reservatam Imperatoris cognitionem pertinet, secus* 60. *&* 61. *Possessorium summarium.* 62. *usque* 65. *Ord. text. pag.* 2. *tit.* 7. *declaratur.* 66. *Iurisdictionis Cæsareæ exercitium in feudis regalibus ratione modi scil. conjudicii aut consessus Principum, vulgo* des Fürsten-Rechts, *est controversum.* 67. *usque* 70. *Imperator num in judicio feudorum regalium debeat adhibere Pares curiæ, diversi scriptores affirmarunt vel negarunt.* 71. *usque* 83. *Imperatorio judicio feudorum regalium Pares adhibendos affirmantium argumenta referuntur.* 84. *usque* 99. *Imperatorio huic judicio Pares asciscendos, negantium fundamenta proponuntur.* 100. *usque* 107. *Consessum Parium in judicio feudorum regalium requirentium scriptorum argumenta extra usum vetustum & epistolam Sigismundi nullius planè ponderis inveniuntur.* 108. *&* 109. *Antiquitatis usus in adhibendis judicio feudorum regalium paribus perpenditur.* 110. *usque* 119. *Pars in judicio regalium feudorum probabilius habuisse vota consultiva ostenditur.* 120. *usque* 125. *Usu recentiore recessum videtur ab adhibitione Parium in controversiis regalium feudorum.* 126. *usque* 129. *Beckmanni error circa Capitulationem Leopoldinam & usum in materiâ conjudicii parium notatur.* 130. *&* 131. *Dubia, quæ obstare videantur argumentis negantium consessum parium in disceptationibus regalium feudorum.* 132. 133. *&* 134. *partium conjudicii necessitatem negantium argumenta relevantiora apparent.* 135. *usque* 147. *Regalium feudorum judicium non requirit*

quirit pares in causis successionum; magis tamen & ex æquitate in causis proscriptionum, & aliis similibus privativis, utique ad partis instantiam. 148. *Banni declaratio vel proscriptio contra Principes vel Status Imperii quoad modum adhuc indiget constitutione publicâ.* 149. *usque* 155. *Articulus* 28. *Capitul. Leopoldinæ in materiâ declarationis banni ponderatur.* 156. 157. & 158. *Epicrisis & distinctio causarum controversiæ de conjudicio parium in feudis regalibus.* 159. *usque* 164. *Iurisdictio suprema & universalis per Imperium est de reservatis Cæsareis.* 165. *usq;* 168. *Imper. sententia de jure nec appellabilis nec revisibilis vel supplicabilis est.* 169. *Appellare licet à rescripto Imper. & quid de restitutione in integrum contra sententiam Cæsaris?* 170. *usque* 179. *Imperator est judex Statuum in criminalibus, non austregæ vel Domini, in quorum territoriis delicta sunt commissa.* 180 *usque* 185. *Edictum universale est de reservatis Cæsareis & per exempla declaratur.* 186. *Edicti Cæsarei promulgandi forma hodierna.* 187. *Edicti Cæsarei pœnæ non præjudicant Statibus, quoad vasallos ipsorum & subditos.* 188. & 189. *Dignitatis supremæ apex est de reservatis Cæsareis.* 190. *usque* 198. *Turcici Imperatoris præcedentia præ Romano improbabilis ostenditur.* 199 *usque* 203. *Turcici Imperatoris falsus & vanus est prætextus in Imperium Occidentale.* 204. & 205. *Tituli Cæsarei eminentia erga alios Reges refertur.* 206. *usque* 213. *Dignitatum majorum & Regiæ etiam concessio est de reservatis.* 214. *Dignitatis principalis vel illustris concessio per se non tribuit jus voti comitialis.* 215. *Privilegia Cæsarea sunt de reservatis, sed hodiè diversimodè restricta.* 216. *Privilegia vectigalium & monetarum consensui Electorum hodie alligata.* 217. *Nundinarum concessiones ad jura non adempta pertinent.* 218. *Privilegiis vel juribus aliorum statuum per recentiores concessiones non est derogandum.* 219. *Reservatis Cæsareis annumeratur concessio juris civitatensis in Imperio.* 220. *Studii*

dii universalis concessio est de reservatis. 221. 222. & 223. *item* 254. 255. & 256. *Privilegia vectigalium non obstante necessitate consensus Electoralis sunt de reservatis.* 224. *Ius salvi conductus universalis est de reservatis.* 225. & 226. *Stapulæ concessio est de reservatis, quanquam adstricta consensui Electorum.* 227. *Propositionis Cæsareæ & ratihabitionis conclusorum comitialium jura num sint propriè de reservatis?* 228. 229. & 230. *jura auctoritativa arrogationis, legitimationis, dispensationis & similia quatenus sint de reservatis?* 231. *Ius confirmandi pacta, statuta, privilegia vel id genus negotia Principum & Statuum est de reservatis.* 232. *Regalia constitutionis Friderici num sint de reservatis, considerandum.* 233. *usque* 239. *Armandiarum jus hodiè certo sensu comitiale aut territoriale est.* 240. *usque* 243. *Armandiarum jus quo sensu adhuc in reservatis poni possit?* 244. & 245. *Viarum publicarum jus quatenus territoriale hodie sit?* ac 246. & 247. *quatenus adhuc de reservatis?* 248. *usque* 251. *Fluminum publicorum jura quatenus sint de reservatis?* 252. & 253. *Portuum & ripaticorum jura in Imperio rariora quatenus reservatis accenseri possint?* 257. & 258. *Vectigalium Imperii jura hodiè quoad reditus non pertinent ad Imperatorem.* 259. *usque* 263. *item* 277. *Monetarum jus licet Statibus pluribus communicatũ, adhuc tamen ratione supremæ dispositionis est de reservatis.* 264. *usque* 276. *Monetariæ legi & privilegiis suis contravenientes Status quam pœnam incurrant?* 278. *Monetarum privilegia non requirunt consensum Electorum unanimem.* 279. 280. & 281. *Pœnarum & mulctarum compendia quatenus hodiè sint de reservatis?* 282. *usque* 288. *Mulctis etiam nondũ declaratis haud præscribi anno ostenditur contra Sixtinum vel alios.* 289 *usque* 297. *Pœnæ & mulctæ quæ hodiè ad Cæsareum fiscum referantur?* 298. & 299. *Marcæ auri puri, vulgo* Löthig Golds, *est septuaginta duorum aureorum Rhenensium & proportionis ad libram Roma-*

Romanam, quæ est bessis ad assem. 300. *Marca duplex asseritur ponderalis & numeralis.* 301. 302. & 303. *Marca numeralis non ponderalis in mandatis Cæsareis sine clausulâ & sententiis intelligitur.* 304. *Bona vacantia territoriale jus ut plurimum respiciunt.* 305. 306. & 307. *Feuda Imperio aperta non sunt bona vacantia.* 308. 309. & 310. *Bona vacantia quo sensu de reservatis censeri queant?* 311. 312. & 313 *Bona quæ ut indignis per leges auferuntur, item contrahentium incestas nuptias item condemnatorum & proscriptorum, num ad reservata pertineant?* 314. *Cursus publici jus est de reservatis.* 315. & 316. *Cursus publici angariæ & parangariæ hodie cedunt regulariter juri territoriali, ut præstationes navium.* 317. & 318. *Ius postarum quid sit, & quomodo ab instituto veteris cursus publici differat?* 319. *Poste generale officium, ab Imperatore recognoscitur in feudum* 320. & 321 *Postæ generalis præfectus in Magistros postarum eorumque homines circa directionem cursus publici jurisdictionem habet.* 322. *Postæ officium generale citra causam legitimam auferri nequit.* 323. & 324. *Postæ generale officium annexam habere videtur dignitatem regalem & est individuum* 325. *usque* 329. *Postæ Imperialis & Cæsareo-Aulicæ differentia quæ?* 330. *Imperatoris majorum ministrorum & Consiliariorum literæ à pensitatione Postæ immunes.* 331. & 332. *Recessus Imp. Spirensis de an.* 1542. §. Und damit man. *refertur & perpenditur.* 333. & 334. *Cursorum publicorum securitas, & officii cura.* 335. *usque* 339. *Collectarum Imperii suprema dispositio est de reservatis.* 340. *Collecta Imperii secundum distributionem mensium (usitatius* Römer-Monath*) declaratur.* 341. & 342. *Collecta denarii vel nummi communis (vulgò* nach dem gemeinen Pfenning*) quæ sit, proponitur.* 343. *Collecta Batavorum nostræ ætatis ad ducentesimam partem patrimonii* (auf den 200sten Pfennig) *ipso effectu par est collectæ Imperii* nach dem gemeinen Pfenning. 344. *Collectandi forma*

duplex juxta menses expeditionis (vulgo nach den Römer-Monathen) *& patrimonii sive nummii communis rationem* 345. 346. 347. *Collecta Imperii ad normam mensium expeditior visa est & sola in usu antehac remansit.* 348. *Matriculæ moderatio difficiliùs impetratur, sed hodiè non est sine exemplis.* 349. *Collectarum Imperii quæstiones comitiales sunt, & quæstio de pluralitate, ut vocant, votorum in hac materiâ nec hodiè decisa.* 350. *usque* 358. *Imperator adhuc hodiè supremam habet de collectis promissis & exactis dispositionem.* 359. *&* 360. *Collectarum Imperii hæc dispositio restringitur ad finem publicæ defensionis.* 361. *usque* 366. *Collectandi recentior forma Cæsareo-Aulica refertur ac declaratur.* 367. *&* 368. *Collecta Aulica sive assignatoria nova num sit ordinaria, nec ne?* 369. *&* 370. *Collectarum Imperii exactio adversus morosos incumbit procuratori fisci.* 371. *usque* 374. *Fiscales processus pro collectis Imperii celeres, sed non tamen ubique sufficientes.* 375. 376. *&* 377. *Collectarum Imperii intuitu proportionalis permittitur Statibus subcollectatio subditorum.* 378. *Subcollectatio extraordinaria non est merè arbitraria.* 379. 380. *&* 381. *Status jure obstringuntur ad assistendum Imperatori & Imperio.* 382. *Collectarum Imperii præstatio publica, quoad quæstionem an, satis clara; sed* 383. 384. *quæstio quanti non æquè decisa.* 385. 386. *&* 387. *Contributiones urbium Imperii, quas annuas Imperatori præstant, sunt de reservatis, & declarantur.* 388. *Contributiones Camerales different à collectis bellicis.* 389. *usque* 395. *Magistratuum constituendorum potestas est de reservatis.* 396 *Magistratuum jura conferuntur per investituram* 397. *&* 398. *Magistratuum nomina, sed eminentiori sensu, etiam Principibus & Statibus Imperii attribuuntur.* 399. 400. *&* 401. *Investituræ renovatio habet speciem confirmationis.* 402. *Investituræ renovatio reservatis adnumeranda.* 403. 404. *&* 405. *Investitura feudi aperti quatenus tribuat jus Magistratus.* 406.

406. 407. & 408. *Potestas creandi judicem præsides vel assessores, quatenus Imperatori in supremis Imperii tribunalibus competat?* 409. & 410. *Iudicis Cameræ constitutio olim fuit comitialis.* 411. *usque* 414. *Iudicis & Præsidum Cameræ constitutio hodiè est de reservatis* 415. 416. & 417. *Cameræ Imperii jurisdictio ab Imperatore est concessa.* 418. *usque* 423. *Consilium Imperiale Aulicum habet jurisdictionem suam ex concessione Cæsaris.* 424. *usque* 435. *Assessorum in tribunalibus supremis ex utraque religione paritas juxta leges Imperii perpenditur,* & 436. *usque* 446. *ulterius præsertim ex usu declaratur.* 447. *usque* 453. *Rotwilensis judicii Aulici constitutio ad Cæsarem pertinet.* 454. *usque* 459. *Capitulatio quid contra judicii Rotwilensis abusus & extensionem casuum reservatorum, vulgò* der Ehehafften *statuat.* 460. *Privilegium contra* Ehehafften *specialius censetur privilegio de non evocando.* 461. *Privilegium contra* Ehehafften *quatenus hodiè impetrare liceat?* 462. 463 & 464. *Privilegia contra* Ehehafften *ex tempore considerantur propter clausulam derogatoriam indulti Maximilianei.* 465. 466. 467. *Rotwilensis dicasterii casus reservati veteres & recentiores discernendi veniunt.* 468. *Iudicia Imperii particularia Cæsareæ dispositionis sunt.* 469. *usque* 475. *Rotwilensis ac cæterorum judiciorum Cæsaris particularium abolitio consideratur.* 476. & 477. *Potestas delegandi in causis Statuum & Nobilium Imperii hodienum Cæsaris est.* 478. & 479. *Argentariæ hodiè regulariter non sunt de reservatis, sed territorialibus juribus accensendæ.* 480. *Mineræ in feudis vel bonis vacantibus Imperio apertis aut devolutis inventæ, Cæsarem respiciunt.* 481. & 482. *Palatia olim plura in Imperio fuerunt.* 483. *usque* 488. *Palatia num adhuc hodiè sint de reservatis?* 489. *Palatium Cæsareum Viennense diversæ conditionis est à Palatiis Imperialibus juxta*

ta

ta legem Friderici consideratis. 490. & 491. *Piscationum & salinarum reditus de reservatis hodiè non sunt, nisi fortè in bonis ac feudis Imperio devolutis.* 492. 493. & 494 *Bona Vasallorum vel subditorum committentium crimen læsæ Majestatis hodié ad dominos territorii pertinent.* 495. *usque* 519. *Articulus vigesimus septimus Capitulationis in materiâ confiscationis consideratur, & pluribus quæstionib' perpenditur.* 520. & 521. *Possessorium mixtum in materiâ confiscationis & similibus obtinet.* 522. *usque* 525. *Bonorum confiscatio quatenus adhuc hodiè sit in reservatis.* 526. & 527. *Thesauri extra bona vel feuda Imperio devoluta non sunt hodiè de reservatis.* 528. *Imperatoris exceptio ab omni Iuramento fidelium Imperii est ex reservatis.* 529. 530. & 531. *Imperatoris exceptio à fœderibus Principum & Statuum est de reservatis.* 532. *usque* 535. *Commissio cum clausulâ exclusivâ appellationis est de reservatis.* 536. *usque* 539. *Clausula exclusiva appellationis sive appellatione non obstante declaratur.* 540. *Clausula exclusiva appellationis non obtinet in commissionibus austregalibus, secus* 541. *item* 542. *usque* 546. *in commissionibus aulicis.* 547. *Privilegior. de non appellando & de non evocando concessio est de reservatis.* 548. & 549. *Privileg. de non appellando origo ex jure Romano est, & in Germaniâ prima electorum exempla.* 550. *Privilegiorum de non appellando & clausulæ, appellatione remotâ vel non obstante, differentia.* 551. *usque* 555. *Veniæ ætatis concessio ex jure communi originem habet ac declaratur.* 556. *usque* 569. *Veniæ ætatis tribuendæ subordinata privilegia à primo impetratore gratiæ vi diplomatis concessa non valere, deducitur sine confirmatione Cæsareâ.* 570. 571. 572. *item* 593. *Imperator potest dispensare cum l. omnes. 2. C. de his, qui ven. æt. circa annos, ut etsi petens veniam ætatis masculus vigesimum, aut fœmina decimum octavum nondum impleverit, tamen obtineat beneficio majorem ætatem.* 573. *Comes Palatinus etsi habeat privilegium con-*

concedendæ veniæ ætatis, non potest tamen quoad annos impetrantium, quos lex requirit, dispensare. 574. Annorum meta ad veniam ætatis jure communi requisita potest statuto vel consuetudine tolli. 575. & 576. Venia ætatis nec statuto vel consuetudine permittente concedenda esset planè puero. 577. Veniæ ætatis etiam infra viginti annos concedendæ privilegium sano sensu intelligendum. 578 & 579. Veniæ ætatis tribuendæ jus Cæsareum quatenus differat à Principum & Statuũ concessione majorennitatis. 580. Imperator dispensare potest cum minore ætate Principis ad administrationem Principatus. 581. Annorum octodecim expleta ætas in successoribus Electoratuum sufficit ad administrandum etiam citra dispensationem. 582. usque 587. Annorum octodecim ætas citra dispensationem non sufficit in Principe non-Electore ad administrandum; sed 588. & 589. benè cum dispensatione. 590. 591. & 592. Electoralis administratio quoad annos ætatis ob legem Aureæ Bullæ non videtur dispensabilis. 594. & 595. Imperatoria concessio veniæ ætatis, nisi expressa sit specialis annorum impetrantis mentio, intelligenda est juxta jus commune. 596. Veniâ ætatis concessâ secundum usum probatio morum non est necessaria. 597. usque 607. Moratorium quatenus adhuc sit de reservatis. 608. usque 612. Exemptionis concessio à Cameræ jurisdictione est de reservatis. 613. & 614. Exemptiò à subjectione Imperatoris & Imperii differt ab exemptione jurisdictionis tribunalium Imperii. 615. Exemptio à jurisdictione Cameræ non est extendenda ad causas à Camerali jurisdictione exceptas. 616. usque 620. Exemptus privilegio à jurisdictione Cameræ an intelligatur hoc ipso exemptus à judicio Imperiali Aulico. 621. Exemptio ab Imperatoris jurisdictione includit exemptionem tribunalium Imperii. 622. Privilegia exemptionum sunt odiosa. 623. usque 628. insignium concessionis jus est

 de

de reservatis. 629. & 630. *repressaliarum concessio sub certis requisitis est licita & Imperatori competit.* 631. & 632. *nec non* 642. & 643. *Repressaliæ non concedendæ contra Status Imperii, sed contra exteros.* 633. & 634. *repressalias si concedat Princeps aliquis vel Status Imperii, Camera decernit mandata sine Clausulâ, quod,* 635. & 636. *declaratur.* 637. *usque* 641. *Repressaliæ quæ licitæ quæve illicitæ?* 644. *Repressaliæ Cæsareanæ & Statuum contra exteros ritè concessæ quatenus differant?* 645. *usque* 649. *Repressaliæ discernuntur à bello & quibus effectibus?* 650. *Argumentum à bello ad repressalias quomodo valeat?* 651. *Repressaliarum Ius est de reservatis, licèt jus belli propriè dicti hodiè in Imperio sit comitiale.* 652 *usque* 658. *Indictio comitiorum est de reservatis, sed restricti exercitii ex consensu Electorum & finibus Germaniæ.* 659. & 660. *Electorum conventus pro consensu Comitiorum an necessarius?* 661. *Cæsaris legatio unica ad Electores pro consensu comitiorum efflagitando sufficere videtur.* 662. & 663. *Electorum consensus Comitiorum locum & tempus respicit.* 664. *Electorum consensus in comitiorum indictione, num debeat esse unanimis?* 665. *Cæsareæ legationis literæ credentiales ad Electores.* 666. *usque* 670. *Comitiorum præsentium indictioni, quâ ratione Electores implorati consenserint.* 671. *Electoralis consensus requirendi modus ex usu censetur arbitrarius Cæsari.* 672. *usque* 675. *Cæsareæ literæ propter comitia indicenda triplices.* 676. *Indictionis comitiorum forma refertur.* 677. 678. & 679. *Indictionis literæ, quatenus comparari possint citationi forensi.* 680. *usque* 685. *Ordines Imperii vocari possunt ad comparendum personaliter in comitiis, vel per legatos sufficienti mandato instructos.* 686. *Legati Comitialis mandatum plenius quid requirat.* 687. & 688. *Indictio Comitiorum cur reservatis strictè acceptis annumerata, non vero propositio delibe-*

*deliberandorum comitialium.*689.*Reservata latiori significatione accepta subdistinguenda veniunt.*690.*Reservata quà talia communicationem excludunt.* 691.*&* 692.*Reservatorum novæ concessiones minuunt jura Imperatoris.* 693.*usque* 716.*Reservata quæ & quatenus concedi, aut præscriptione immemoriali acquiri possint vel non.* 717. *usque* 726.*item* 736.*usque* 739.*Exemptio totalis à subjectione Imperatoris & Imperii an & quatenus privilegio vel immemoriali præscriptione acquiri possint nec ne?* 727.*usque* 733.*Concessionem privilegiariam & immemorialem præscriptionem æquiparari declaratur.* 734.*&* 735. *item* 740.741.*&* 742.*Privilegiũ exemptionis totalis ab Imperio, cum subjectione & jure civis, persistere nequit, secus privilegium de non appellando.* 743.744. *&*745.*Privilegium exemptionis tribuit titulum & præsumptionem boni initii præscriptionis.* 746. *Privilegia minuentia jus Imperii ut odiosa in dubio excludenda.*

EX ordine nunc dicendum est, de illis Reservatis Cæsareis, quæ secularia concernunt, ea multa sunt, & huc referendum supremum Imperii dominium, cujus in- 1
tuitu Antoninus Imperator olim se dixit mundi Dominum in *l.* ἀξίωσις. 9.*ff. de L. Rhod. de jact.* Non est equidem ignotum illum textum vulgo perstringi à Politicis & historicis, qui orbem terrarum nulli Imperatorum Romanorum unquam subfuisse, nec solidâ ratione universale illud orbis dominium adstrui demonstrant, quorum sententia verissima est, 2
& ex suprà deductis satis asserta; habuit nimirum omni tempore Imperium Romanum suos terminos ac fines, quibus discernebatur à regnis & populis exteris liberis, unde & hostes suos omni ævo vidit, quod vel de illo tempore, quo ad summum potentiæ fastigium pervenerat, ipsi Romani scriptores testantur; è multis nominabimus paucos. Lucanus, inter initia sui poëmatis, quo loco civile bellum Cæsaris & Pompeji improbat, ita hac de re scribit: *Tunc si*

similia, & Marchionatus quidem, Burggraviatus, ac Landgraviatus, quatenus principatus sunt sub generali nomine der Fürstenthümer includuntur, quanquam intuitu nominis & officii originalis ad comitatus quoque re-
49 ferri possint; sub eodem genere Fürstenthumb etiam complecti licet comitatus origine dignitatis tales, sed principatibus hodiè pares, Gefürstete Graffschafften; item Baronatus Imperii, Abbatiæ vel Præpositura Ecclesiasticæ, quamvis nec comitatibus propriè, multò minus principatibus includantur, per expressam illam notam &c. quatenus in feudum Imperiale recognoscuntur, ad reservatam Imperatori jurisdictionem pertinent, quòd vel exemplis relatis subincludantur, vel saltem ex paritate rationis, præsertim publici comitiorum juris assimilari
50 iisdem videantur: bona tamen nobilitatis immediatæ eo jure habita, ut Cæsareæ cognitioni personali reservata ac jurisdictioni ordinariæ Cameræ privilegiisque Au-
51 stregarum exempta crederentur, hactenus nondum apparuit; nec argumentum valet à foro Austregali, quod nobilitati immediatæ cum Comitibus & Baronibus commune est, ad reservationem Cæsareæ jurisdictionis & cognitionis personalis; Certè reservatio *d. t. 7. ord. Cam.* regalia bona ibidem expressa vel sub iisdem comprehensa vel intellecta non tantùm eximit à Camerali, sed etiam ab austre-
52 gali foro, de quo in proximè præcedenti Ordinationis contextu varia per diversos titulos habetur dispositio. Progredior ad secundum, ubi objecti sive bonorum cognitionis reservatæ qualitas feudalis est, ex verbis textus præmissis
53 sanè principatus vel provinciæ Imperii in feudum teneri solent per Principes, qui ab Imperatore desuper investiuntur, *ex 2. F.* 10. Dantur tamen quandoque dynastiæ in Imperio, quæ jure proprio non nexu feudi possidentur, cujus gene-

ratores diſtinctum ab Imperio Romano agnoſcunt Perſarum
regnum & utriusque diſcretos terminos *in l. Mercatores.* 4.
C. de Commer. Cumque Perſarum gente ut liberâ à Romano-
rum Imperio Juſtinianus gloriatur feciſſe pacem, eamque in-
ter magna refert publica negotia. *in præf. Nov.* 1. Ex 8
quibus & ſimilibus aliis ſatis conſtat, Imperatorem Ro-
manum non univerſi orbis dominium vel poteſtatem ſupre-
mam ſibi jure aſſerere, ſed tantum orbis Romani, quâ in re
doctiorum virorum noſtræ ætatis conſenſus eſt. Verum il-
lud plus dubii videtur habere, dum de orbe Romano lo-
quimur, non veteri amplitudine, ſed quatenus modernis
finibus continetur, an ſupremum ejus dominium adhuc Im- 9
peratori noſtrâ ætate competat, & in juribus reſervatis ponen-
dum ſit necne? Affirmativam de dominio ſupremo directo
jam aſſerui, eamque probant manifeſtè conceſſiones feudo-
rum Imperii; qui enim jure ſuo feuda regalia majora aliaque
confert, eum oportet utique eſſe horum feudorum domi-
num ſaltem directum; ita ſcilicet jure comparatum eſt, ut 10
à domino conferantur feuda, penes quem proprietas ſive Do-
minium directum manet, utili transeunte in vaſallum 2. *F.*
8. *pr. & circa fin. item* 2. *F.* 23 quod certè in Im-
peratore etiam feuda conferente obtinere manifeſtum
eſt, non tantùm quia nullibi excipitur, ſed etiam quia Im-
peratoris quondam adeò libera fuit poteſtas de concedendis
in feudum Imperii bonis, partibus vel provinciis, ut feu-
da ejusmodi, iisque annexæ dignitates regales non ultra
vitam vaſalli protenderentur ex 1. *F.* 1. *ſ.* 1. *&* §. 2. *item*
1. *F.* 14. & quanquam poſteà ſucceſſoriam qualitatem 11
prorſus acceperint. *d. tit.* 1. §. 4. *item* 1. *F.* 8. *in pr.* 2.
F. 50. *&* 55. §. 1. haud dubiè tamen dominium directum
penes Imperatorem remanſit, quod ſanè adhuc probant
tùm inveſtituræ vel earum renovationes in feudis regalibus,
quæ ſi debito tempore ritè non petantur, feuda ſolent 12
amitti. 2. *F.* 55. *in pr. verſ. præterea ſi quis major.* tùm

casus aperturæ, per quam feuda aperta redeunt ad jus Imperatoris, uti patet in Electoratibus ex *Aur. Bull. Carol. Quarti.tit.7.verf.si verò aliquem* eademque est jure communi feudali in cæteris Imperii feudis ratio, licèt Imperator feuda regalia aperta, non nisi consentientibus Electoribus de novo in feudum conferat per *Capit. art.* 30. Igitur ex his omnibus apparet firmumque manet, dominium Imperii ejusque bonorum directum, adhuc hodie ad Imperatorem pertinere & esse de re-
13 servatis Cæsareis. Ex hoc autem jure & hactenus deductis secundum reservatum suâ sponte fluit: potestas conferendi feuda regalia Imperii, quam adeò Imperatoris esse constat, ut tempore interregni nec vicariis, qui multa tamen Imperatoris jura interim exercent, collatio feudorum regalium tribuatur, sed nominatim Imperatori vel Regi Roma-
14 no reservetur in Aureâ Bullâ *tit.* 5. Sunt igitur reverà omnes Imperii Principes ac Proceres, qui feuda habent Imperialia, Imperatoris vasalli, quippe cui ratione feudorum Imperii uti experientiâ constat, juramentum fidelitatis præstant. *Limn.*
15 *l.* 4.*addit. Iur.publ.cap.* 7.*n.* 36. ubi tamen addit Imperii veriùs, quàm Imperatoris, eos vasallos esse; sed hæc ex principio erroneo dicta sunt, quasi scil. Imperator sit merus administrator, non dominus jurium Imperii, cujus contrarium jam assertum est, sed videamus, quæ Limnæus, vel ab eo allegati, in contrarinm afferant. Is igitur *lib.* 1. *de jur. publ. cap.* 10.*num.* 36. & ibidem *in addit.* pro stabiliendâ suâ opi-
16 nione hæc adducit: (1.) Imperatorem esse administratorem Imperii, cui administratio commissa sit, juxta literas Electorum ad Carolum Quintum Imperatorem *apud Goldast.* in Reichs-Handlungen *pag.* 94. (mihi 97.) & juxta *recess. Imp. de anno* 1559. *in pr.* ubi de depositâ Imperii administratione per Carolum Quintum & susceptâ per Ferdinandum Primum mentio fit, jam verò, pergit ibi Limnæus, administrator is est, qui alieno,

non

non proprio nomine agit, idque præter Accurſii teſtimonium ad *rubr. C. d. adminiſtr. rer. publ.* auctoritate Friderici Impe- 17
ratoris apud *Sigon. de regn. Ital. lib.* 12. *pag.* 296. *& Goldaſt. tom.* 3. *conſt. Imp. pag.* 334. Ordines Imperii ita alloquentis: *Imperii Romani, cujus apud nos adminiſtratio, penes vos verò, qui optimates regni eſtis, auctoritas reſidet*; nec mi- 18
nus ex ſententiâ exauctorationis Wenceslai, apud *Gold. tom.* 1. *conſt. Imp. pag.* 379. ubi dicitur Wenceslaus *veluti miniſter ſacri Romani Imperii partibus functus in Mediolanenſi ditione*, cui adeò non conveniebat alienatio, idem probare voluit; in *addit. d. l.* Limnæus porrò adjecit Cardinalis Cuſani, Ottonis & aliorum conſentientium ſibi Scriptorum auctoritates, maximè verò Auguſti & Caroli Magni Imperatorum exempla, quorum ille, Romani Imperii procurationem ſibi ut parenti demandatam aſſeruerit, hic duntaxat Imperii gubernator in ſuis monumentis nominari voluerit. Verum hæ rationes 19
tanti ponderis non ſunt, ut à ſententiâ priore quemquam dimoveant; reſpondetur enim primò, nullam eſſe conſequentiam: Imperator eſt adminiſtrator Imperii, ergò tantùm adminiſtrator, nec jus ſupremum Imperii, quod cur vocetur dominium, ſano ſenſu nihil obſtat, eidem verè competit; patet ſanè in omnibus regnis ſive abſolutis ſive reſtrictis re- 20
ges adminiſtrare, ſed malè quis hinc argumentabitur, iisdem non eſſe ſupremum jus vel dominium regni; atque ſic nec ex literis Electorum ad Carolum Quintum, nec *ex d. Rec. Imp. de anno* 1559. contra dominium Imperatoris in rebus Imperii ſolidi aliquid colligi poteſt. Reſpondetur ſecundo ad 21
orationem Friderici Primi Imperatoris itidem non ſequi: Penes Imperatorem eſt adminiſtratio Imperii, penes Ordines verò auctoritas, ergò Imperator ſimplicem tantùm habet adminiſtrationem, & nullum dominium rerum Imperii, debuit ſc. Limnæus dominium ſupremum à dominio abſoluto nulliſque legibus vel conventionibus quoad exercitium

reſtricto

restricto distinguere, quorum prius per præmissas rationes rectè asseritur, non posterius, neque inconveniens est etiam in
22 privatis causis, aliquem esse dominum, & tamen non habere facultatem alienandi, ut fit in marito respectu fundi dotalis. *pr. Inst. quib. al. lic. vel non. tt. ff. & C. de fund. dot.* item in bonis fideicommisso subjectis, *l. non ideò. 66 ff. de rei vind. l. species. 15. ff. de aur. arg. leg.* item quoties quis ex dispositione legis vel testatoris vel ex conventione alienare prohibetur dominii exercitium, certo respectu restringitur, *l. fin. C. de reb. al. non*
23 *al.* quamvis in substantiâ negari non debeat, & quæsiverim ego ex adstipulatoribus Limnæanæ opinionis, si ad Imperatorem sola pertinet rerum Imperii administratio, quî fiat, ut in magnis Imperii feudis apertis ad eundem pertineant emolumenta, ex *d. art.* 30. *Capit.* quæ res certè metam administrationis simplicis egreditur, sed magis coarguit consolidationis jus dominii utilis cum proprietate, ut in aliis feudorum
24 dominiis directis. Respondetur tertiò, in sententiâ exauctorationis Wenceslaum non dici, propriè, sed comparativè *veluti ministrum* ditionis Mediolanensis; reverà enim bonus Imperator bono ministro in hoc tertio comparatur, quòd res Imperii conservet, nec alienet uti bonus minister res domini sui, cujus contrarium Wenceslaus ex tenore sententiæ exauctorationis fecit, ex hoc verò non sequitur Imperatorem nullum habere dominium rerum vel
25 bonorum Imperii. Respondetur quartò, exempla Augusti & Caroli Magni posse retorqueri adversus Limnæi opinionem; constat enim hos Imperatores reverà monarchicè administravisse Imperium. Ergo nec nomen patris Imperii, quo Augustus, nec nomen gubernatoris, quo Carolus Magnus fertur usus esse, obstabit dominio Cæsa-
26 reo rerum Imperii; nec certè ratio est, cur Antoninus Imperator Mundi (quod si de orbe Romano accipiamus, verissimum est) dominum se dicere potuerit, si de Augusto hoc

hoc nefas dictu ſit anteceſſore Antonini vel de Carolo Magno occidentali ſucceſſore, neque alius quàm comparativus ſen- 27
ſus eſt, ſi quando rempublicam ut pupillam, Imperatores verò vel reges, ut tutores ejus conſideremus, quòd non minus conveniat, illos Reip. vel Imperii, cujus adminiſtrationem ſuſceperunt, quàm tutores pupillæ alicujus, bona & jura defendere ac conſervare, quanquam per ſe. maximum hos inter remaneat diſcrimen, cum Imperatoribus. vel re- 28
gibus in rebus vel bonis Imperii aut Regni longè eminentius jus ſit diſponendi ac percipiendi emolumenta, cum planè nullum tale competat tutoribus reſpectu rerum pupillarium: Planè quod de Majeſtate reali aſſertur, accuratiorem indaginem politicam vix ſuſtinet; quid enim eſt rea- 29
lis ſic dicta majeſtas, quàm inſignis quædam in regnis electivis circa res & negotia publica ordinum auctoritas? Hæc ſcilicet eſt ficta illa perſona, cui majeſtatem diſtinctam ab Imperatoriâ vel regiâ perſonali tribuunt, ſed minus accuratè & fruſtrà, quod præſentem quæſtionem attinet; loqui- 30
mur enim hic de majeſtate, quatenus Politicis ſignificat ſupremam poteſtatem, quo ſenſu nec rebus vel bonis Imperii aut regni, quippe quæ vim imperandi vel regnandi nullam habent, nec Ordinibus, quibus auctoritas quidem in publicis, at non ſuprema poteſtas vivo Rege eſt, rectè attribuitur. Et ſi ad ſpeciem præſentis materiæ deſcendamus, ne quidem congruè explicare poterunt, quid nomine Imperii intelligant, qui Principes & Ordines noſtros magis Imperii quàm Imperatoris vaſallos eſſe aſſerunt; nam ſi ſenſu materiali 31
de terris Imperio ſubjectis accipant, res deridicula eſt, hunc vel illum Principem terrarum Imperii eſſe vaſallum, idque de territoriis extra cujusque Principatum eſt manifeſtè falſum, v. g. Electorem Saxoniæ eſſe vaſallum partium 32
Imperii extra Saxoniam, & idem in aliis, quòd ſi de ipſa Saxonia accipias, non minus incongruum apparet,

Electorem sui Electoratus vasallum esse; finge de univer-
33 sis Imperii terris id accipi, haud magis verum defendere poteris, quia nemo Principum Procerumve vasallum se fatebitur quarumcunque provinciarum Imperii; neque enim ab illis terris de principatu suo est, sed ab Imperatore investitus
34 jure Cæsareæ potestatis; nec feliciùs interpretari licet superius assertum sensu formali vel de statu Reip., quia vivo maximè Imperatore ejus jura diversa non sunt, vel de ipso Ordinum cœtu, quia non magis quisque Princeps Principibus cæteris vel constatibus cunctis sese admittit vasallum, quàm singulis ex illo cœtu, quippe cum neque à singulis neque à con-
35 junctis feuda sua Imperialia propriè acceperit, ergò id restat, Imperatorem, quia jure suo investituram facit, esse etiam feudorum Imperii dominum directum, cui non obstat consueta vasallagii forma, quâ Principes fidelitatem Imperatori & Imperio jurant; neque enim propterea ad Imperium magis quàm ad Imperatorem jus concessionis referendum est, neque opponendum invicem Imperatoris & Imperii jus, quin idem, quod Imperii est, Imperatori quoque competit jure delatæ supremæ potestatis Imperii, atque sic mentio Imperii in vasallagio expressa obligationem ad tuendum præsertim in interregno statum publicum, non separatum jus infert, quare non animadverto, quo sensu, quaque
36 ratione solidâ rectè asseratur: Principes & Proceres nostros magis Imperii, quàm Imperatoris esse vasallos, cum Imperatoris etiam & prius quidem, quàm Imperii, in formâ juramenti fidelitatis fiat mentio. Quod porrò aucto-
37 ritates attinet existimantium, Cæsarem mero administrationis jure omni potestatis supremæ dominio seclusæ gerere res Imperii, dissentiunt alii, quorum per argumenta præmissa cæteraque hactenus deducta meritò censetur probabilior hac
38 in re assertio. Hoc amplius notandum majorum regalium discrimen in modo collationis; nam Ecclesiastica per sceptrum,

ptrum, ſecularia per vexillum conferri more obtinuit, vulgo noſtris dicta: Scepter-Lehen und Fahn-Lehen / *d. t. 5. A. B.* Iſte, mos in utroque feudorum genere antiquus 39
fuit, in Eccleſiaſticis tamen prima origo evidentior videtur, quæ ad illa tempora referenda, quibus anterior inveſtitura Epiſcoporum ab Imperatoribus per baculum & annulum regulariter concedi deſiit; expreſſa ſanè hujus collationis per ſceptrum diſpoſitio habetur, ac mentio in formula pacis Calixti ſecundi Pontificis cum Henric. 5. Imper. conventâ, de quâ plura *tit. præced.* dicta, at feudorum ſecularium majorum collatio per vexilla, (quæ res beneficia iſta ſub lege curæ militaris tradita ſignificabat) uti antiquior eſt, ita non origo precisè certa, utut ſit hodiè uſitatior, eſt in ſecularibus feudis majoribus ritus inveſtituræ per enſem, cujus capulum vaſallus vel mandatarius ejus apprehendit, & extremum conum deoſculatur. *Vult. de feud. lib. 1. cap. 7. num. 29. Knichen de Sax. non prov. jur.* 40
verb. Ducum c. 4. n. 55. Beſold. cum alleg. in theſ. Pract. Voc. Fahn-Lehen. *in addit.* Negat tamen Limnæus, *in addit. lib. 4. de Iur. publ. cap. 7. num.* 32. morem inveſtiendi per vexilla penitùs abrogatum, ſed certè nec ipſe inficias ire poteſt, pluribus Electorum Principumque Imperii exemplis non vexillis, ſed enſe inveſtituras peractas, quæ res hactenus continuo quoque uſu probata, & promiſcuè quidem in feudis majoribus ſive ſecularibus ſive Eccleſiaſticis Principum, ut vix noſtrâ ætate exemplum allegari queat inveſtituræ per vexillum vel ſceptrum; neque apparet, cur magis ſolennem cum Li- 41
mnæo dicere debeamus morem inveſtiendi per vexillum, quàm per enſem, cum hic utique juxta *Otton. Friſing. de reb. geſt. Frid. Primi cap. 5. & Hottom. diſp. feud. 23. p.* 123. fatente d. l. ipſo Limnæo, illuſtrior ſit, eodemque ritu reges ſoleant inveſtiri, qui adeò modus inveſtituræ regiæ Ele-

ctoribus Principibusque nostris haud dubiè est honora-
42 tior. Illud tamen admonendum insuper, non omnia feuda, quæ regalibus annumerantur, ejus esse conditionis, ut per vexillum quondam sint collata, aut hodiè per ensem concedantur, sed sola feuda Principatuum vel his paria, itaque Comitum & Baronum similiaque feuda haud eâ prærogativâ censentur, ut ab ipso Imperatore, adstantibus Proceribus Aulæ adhibitoque ense evaginato conferantur, sed potiùs per Consilium Imperiale aulicum, ubi tamen minimè existimandum est, ea propter collationem talium Imperii feudorum de reservatis Cæsareis non esse, siquidem adhuc jus illud solius, dum vixit & Rempubl. mo-
43 deratur, Cæsaris est, ex cujus commissione Senatus Cæsareus Aulicus habet exercitium investituræ in feudis, per *Ord. Imp. Aul. tit.* 2. Tertium insigne reservatum, quod ex præmissis colligitur, est jurisdictio inter vasallos & de feudis Imperii, per *text.* 1. *F.* 18. *&* 2. *F.* 34. *in pr.* ratio est aperta; qui enim dominus directus feudorum est, eaque confert per investituram, jure feudali est judex competens in controversiis feudalibus inter vasallos, quæ regula etiam in Imperatore quoad vasallos Imperii meritò servari debet: Videtur tamen restringi ex ipso textu *d. t.* 34. *in pr.* ut obtineat tantum inter capitaneos, qui dicti sunt Imperii Proceres majores 1. *F.* 1. *in princ.* quanquam Mediolani diversum jus obti-
44 nere referatur *d. t.* 34. *ibid.* nimirum, ut omnes qui à rege vel Imperatore de feudis investiuntur, cum etiam in disceptationibus feudalibus habeant judicem; differentia igitur per *d. t.* 34. usus Mediolanensis à lege Corradi, (is Conradus Imperator, ut rectè Cujacius *d. l.* annotavit, non, ut perperàm Hottomannus, à Gothofr. ibi relatus, censuit, Lotharius fuit) differentia, inquam, in hoc extitit, quòd lege hac Cæsareâ vasalli Imperatoris non regales, quales hodiè sunt Imperii Nobiles immediati respectu feudorum, quæ ab Imperatore
reco-

recognoſcunt, in judicio Parium non apud Imperatorem de hoc genere controverſiarum diſceptaverint, secùs ac conſuetudine Mediolanenſi, cui Baldus *ibid.* Legem Conradi præferendam cenſet. Referunt eam legem *Cujac. lib. 5. feud. pr. & Goldaſt. tom. 3. conſt. Imper. p.* 327. & 328. ut rectè in margine Conrado Tertio adſcribendam cenſet; ea verò de capitaneis expreſsè non diſponit, ſed de valvaſoribus majoribus, qui ſcil. gubernandæ plebi ab Imperatoribus quondam in civitatibus fuere præpoſiti; aſt hi etiam Capitaneorum nomine per extenſionem comprehenduntur. 1. *Feud.* 17. Quicquid ſit, de reſervatis Cæſareis, haud dubiè eſt in feudis Imperii & inter vaſallos Imperiales jurisdictio, quanquam pro diſtinctione perſonarum & qualitatis feudorum vel Imperator ipſe, vel alii ex ejus commiſſione partes judicis ſuſcipiant, ſunt tamen ſola regalia feuda Imperii inter Proceres controverſa noviſſimis legibus Imperatoriæ cognitioni ac dijudicationi tantùm reſervata, in *Ord. Cam. pag. 2. tit. 7. his verbis:* **Ob auch Sachen vorfielen / Fürstenthum / Hertzogthumb / Graffschafften / ꝛc. belangend / so vom Reich zu Lehen rühren / so einem Theil gäntzlich und endlich abgesprochen werden sollen / deroselben Erkantnüß wollen wir der Römischen Käiserlichen Majestät / oder Ihro Liebden / und Käiserlichen Majestät Abwesens uns als Römischem König vorbehalten haben.** Ubi quatuor notatu digna occurrunt: 1. Objectum Cæſareæ reſervationis ipſum. 2. Objecti qualitas, 3. Genus cauſæ vel judicii; & 4. Modus exercendi judicii. Objectum ſunt bona Imperii inſignia, Principibus & Statibus conceſſa, interque eos controverſa, qualia referuntur per tria exempla Principatuum quo nomine tàm ſeculares, quàm Eccleſiaſtici Principatus comprehenduntur. Ducatuum item & Comitatuum reliqua per notam &c. ſubjiciuntur, ubi ſine dubio intelligi debent expreſſis

45 46 47 48

similia, & Marchionatus quidem, Burggraviatus, ac Landgraviatus, quatenus principatus sunt sub generali nomine **der Fürstenthümer** includuntur, quanquam intuitu nominis & officii originalis ad comitatus quoque re-
49 ferri possint; sub eodem genere **Fürstenthumb** etiam complecti licet comitatus origine dignitatis tales, sed principatibus hodiè pares, **Gefürstete Graffschafften**; item Baronatus Imperii, Abbatiæ vel Præpositura Ecclesiasticæ, quamvis nec comitatibus propriè, multò minus principatibus includantur, per expressam illam notam &c. quatenus in feudum Imperiale recognoscuntur, ad reservatam Imperatori jurisdictionem pertinent, quòd vel exemplis relatis subincludantur, vel saltem ex paritate rationis, præsertim publici comitiorum juris assimilari
50 iisdem videantur: bona tamen nobilitatis immediatæ eo jure habita, ut Cæsareæ cognitioni personali reservata ac jurisdictioni ordinariæ Cameræ privilegiisque Au-
51 stregarum exempta crederentur, hactenus nondum apparuit; nec argumentum valet à foro Austregali, quod nobilitati immediatæ cum Comitibus & Baronibus commune est, ad reservationem Cæsareæ jurisdictionis & cognitionis personalis; Certè reservatio *d. t. 7. ord. Cam.* regalia bona ibidem expressa vel sub iisdem comprehensa vel intellecta non tantùm eximit à Camerali, sed etiam ab austre-
52 gali foro, de quo in proximè præcedenti Ordinationis contextu varia per diversos titulos habetur dispositio. Progredior ad secundum, ubi objecti sive bonorum cognitionis reservatæ qualitas feudalis est, ex verbis textus præmissis
53 sanè principatus vel provinciæ Imperii in feudum teneri solent per Principes, qui ab Imperatore desuper investiuntur, *ex 2. F. 10.* Dantur tamen quandoque dynastiæ in Imperio, quæ jure proprio non nexu feudi possidentur, cujus gene-

generis bona licèt immediata, non pertinent ad Imperatoris 54
personalem cognitionem reservatam, ideoque de his defectu qualitatis à lege *Ord. Cam.* requisitæ in Camerâ vel alibi disceptari & judicari potest, quale exemplum Dynastiæ Rœmhildensis refertur in *Rec. Imp. Erfurtensi de anno* 1567. §. Darauf zu unterschiedenen. 20. ubi dicitur, de eâ dynastiâ (Rômbild.) litem in Camerâ & alibi pendentem esse, sed 55
de dynastiis Imperii, quæ nexu feudi ab Imperatore recognoscuntur ex præmissis, nec in Camerâ nec apud Austregas disceptari debet, sed apud Imperatorem vel Regem Romanum. Genus causæ vel judicii tertio loco hac in re considerandum dixi, idque propter verba textus *Ord. d. t.* 7. 56
So einem Theil gäntzlich und endlich abgesprochen werden sollen, ex quibus colligere licet, tale genus disceptationis subesse debere, ubi in peritorio vel saltem possessorio plenario judicium agitetur; nam in illo haud dubiè per 57
sententiam definitivam penitùs alicui res controversa abjudicanda est, quia quod ad petitorium attinet non datur aliud judicium, in quo, ubi sententia adversa in rem judicatam transiverit, gravamen illatum queat reparari; in possessorio etsi jure civili aliud obtineat per *l. un. C. si de mom. poss.* 58
tamen ex quo postmodum jure Canonico possessorii disceptandi duplex ratio prodita est, summariè scilicet & plenariè, ita quidem, ut sententia possessorii plenarii (quod à perfectiore disquisitione sic dictum) pro definitivâ haberetur, ex *c. fin. x. de jud. & c. fin. x. de caus. poss. & propr.* eaque etiam possessorii plenarii ac summarii distinctio usu 59
practico servaretur, controversias regalium feudorum, sive in petitorio sive in possessorio plenario de his inter Proceres Imperii disceptetur, ad reservationem Cæsaream pertinere censeo, juxta *text Ord. d. l.* 7. Sed in summario pos- 60
sessorio, quia gravamen non tantùm in petitorio, sed pos-

sessorio

sessorio etiam plenario est reparabile, sententia modici præjudicii & minimè definitivæ vim habere censetur; itaque tale summarium de reservatâ cognitione personali Cæsaris in feudis regalibus non erit, sed ad Cameræ quoque disceptationem poterit referri, quoniam constitutio *d. t. 7.* tunc
61 demum feuda regalia Imperatoriæ cognitioni ac decisioni specialiter reservat, si eo genere judicii contendatur, quo res controversa alicui penitus veniat adjudicanda, quod in summario possessorio haud evenit. Verba porrò Ord. d. t.
62 gäntzlich und endlich. etsi pro synonymis vel ectheticis haberi possint, tamen non incongruè ad diversum reducuntur sensum, ut si de toto feudo regali, vel majori aut insigniore parte ejus, sine quâ feudum ipsum vix persisteret, lis agitaretur, reservatio Cæsarea locum sibi vindicet, secùs si de aliquo jure vel parte minutiore, quæ momentum vel nullum vel parvum ad feudi substantiam afferret, eam scilicet
63 litem, si quis in foro etiam Camerali cognosci dijudicarique posse arbitretur, nec adeò de reservatis esse Cæsareæ cognitionis specialis, meâ sententiâ, non errabit. *Conf. disp. mea 1. ad Recess. Imper. de anno* 1654. *th.* 70. *& disp.* 2. *th.*
64 58. Huicque assertioni usus satis clarè adstipulatur; videmus enim passim controversias de juribus vel partibus quibusdam feudorum regalium in Camerâ cognosci ac decidi, idque etiam necessitas suadet, ne alioquin causæ Cæ-
65 sareæ cognitioni ac decisioni reservatæ nimis multiplicentur, & reservatio ipso disceptationum numero Cæsari, cujus cognitio & sententia in arduis maximè causis requiritur, molestiam afferat, quæ sanè intentio & scopus Legis illius reservatoriæ ex conjecturâ veri-
66 simili haud fuit. Venio ad quartum, nempe ad modum exercendi, de quo loquimur, judicii reservati, quæ consideratio inter scriptores Juris publici admodum est controversa. Ventilatur enim hic celebris illa quæstio de jure Prin-

cipum

cipum, vom Fürsten-Recht oder Gericht, utrum nempe Imperator in disceptationibus regalium Imperii feudorum 67
debeat adhibere Pares Curiæ sive consessum Principum, qui votis suis sententiam dicant, an citra Pares Curiæ in hoc genere controversiarum Imperator cognoscere & judicare possit, forte in consilio Imperiali Aulico? Prodiit ante multos annos ac seculo decimo septimo scriptum Anonymum de 68
hac ipsâ quæstione fori competentis in causis regalium feudorum Imperii, quod Actis suis Publicis posteà inseruit *Lundorp. tom. 1. p. 23. & sequ.* qui refert eundem auctorem fuisse Marquardum Freherum Consiliarium Palatinum. Is adstruit in illo scripto affirmativam de Paribus Curiæ adhibendis, & negativam de foro Aulico circa has controversias. Hujus 69
auctoris vestigia premunt & sequuntur. *Limn. de jur. publ. lib. 2. cap. 9. num. 54. Beckmann de dicast. Cam. cap. 1. sect. 3. §. 6. Burgoldens. ad Instr. pac. discurs. 19. p. m.* 1045. quam sententiam ego etiam secutus sum in *disp. 1. ad rec. Imper. de anno* 1658. *th.* 66. *& sequ.* eamque pluribus rationibus & exemplis comprobavit ac declaravit circa causam successionis Juliacensis *Klock. tom. 1. cons. 7. per tot.* Sed ex ad 70
verso alii contra censuerunt, causas hujusmodi feudorum regalium ad conjudicium Parium non pertinere, quos inter sunt *Reinking. de regim. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 4. cap. 19. num. 27. & sequ. Wurmser. exerc. Iurisp. 7. quæst. 10. Arum. discurs. 3. ad A. B. th. 41. pag. 167. Carpzov. de leg. Reg. Germ. cap. 9. sect. 12. num. 23. 24. & sequ. Stamler. de reserv. §. 38. num. 2. 3. & seq.* aliique plures. Argumen- 71
ta in utramque partem adducuntur à scriptoribus *l.* c. & quæ pro priore assertione militare videntur, summatim ad tria capita referri poterunt, videlicet ad leges vel constitutiones, ad usum antiquissimum Imperii & ad publica testimonia. Pro primo capite referuntur constitutiones Friderici Secundi & Sigismundi Imperatorum, quarum illa apud 72

Goldastum pag. 2. Der Reichs-Satzungen. pag. 22. his verbis exhibetur: Der Hoff-Richter soll die Leuthe richten, die Ihm klagen von allen Leuthen, ohne Fürsten und andere hohe Leuthe, wo es gehet an Ihr Leibe, oder an Ihr Recht, oder an Ihr Erb, oder an Ihre Ehr,
73 daß wollen wir Selber richten. De Sigismundi verò constitutione, suprà allegatus Anonymus, vel Freherus (si is scripti autor sit) In kurtz und gegründetem Bericht über die Frag de adhibendis Paribus in causis regalium feudorum, ita loquitur apud Lundorp. *d. pag.* 23. Zu Basel ist durch höchstermelten Käiser (Sigismundum, de quo ibi sermo) und die Fürsten des Reichs ein Gesatz gemacht worden, daß der Käiser in Sachen, so eines Fürsten Leib, Ehr, und Lehnschafften betreffen, so wohl geistliche als weltliche Fürsten, ja auch wohl gefürstete Aebte niedersetzen
74 möge. Usum vetustissimum Imperii quod attinet, jam in Francorum Imperio Carolinæ familiæ consuetum fuisse tradunt, ut in controversiis majorum feudorum adhiberentur Pares curiæ ita *post Tillet. in memorabil. & Bignon. in not. ad lib.* 1. *formul. Marc. Limn. lib.* 2. *addit. jur. publ. cap.*
75 9. *num.* 40. Negari certè nequit & demonstrant varia à Klockio *d. cons.* 7. ex antiquitate Germanicâ adducta exempla in causis proscriptionum, vel ubi feudum regale per feloniam apertum cuidam ex Principibus Imperii abjudicandum esset, consuevisse Pares curiæ asscisci, qui de causâ cognoscerent & sententiam suam dicerent, sed an hoc fuerit præcisæ necessitatis & in jus firmum abierit considerandum est ul-
76 terius; Certè Reinkingius & alii adhibitionem parium in cognitionibus ac dijudicationibus hujusmodi causarum referunt ad res meræ facultatis, unde Imperator haud obligetur, ad Pares in posterum adhibendos; omnia enim, quæ hac de re contigerint exempla, voluntaria fuisse ex parte Imperato-
77 rum, nec debere ad necessitatem juris trahi. Publica testimonia,

monia, quæ tertium principale argumentum pro primâ assertione præmissâ suppeditant, desumuntur partim ex literis Sigismundi Imperatoris, quas ad Concilium Basileense transmisit mense Julio anno 1434. & geminâ formâ auctor ille anonymus (vel Freherus) sub num. 1. & 2. Scripto præallegato addidit, ac Lundorpius exhibet *d. tom.* 1. *act. publ.* pag. 27. & 28. geminâ, ut dixi, quidem formâ annotatæ sunt, epistola tamen una videtur fuisse; nam & Imperator idem Sigismun- 78
dus & ad eosdem Patres scilicet concilii Basileensis scripsit tenor etiam literarum, locus à quô Ulma civitas, & conceptionis tempus valdè conveniunt; quicquid sit, cum Ericus Saxo Lovenburgensis Dux & Fridericus Quintus Marchio Misniæ de electoratu Saxoniæ contenderent, ac Ericus dux causam ad Concilium Basileense pertrahere tentaret, Impe- 79
rator Sigismundus, vel unâ istâ vel iteratâ epistolâ, apud patres Concilii intercessit & palam protestatus est, causam eam ad se & Pares Curiæ Imperialis pertinere, ac more solito & consuetudine Imperii & Parium Curiæ esse terminandam
Testimonium Cæsareum ulterius continetur literis Friderici 80
Tertii Imperatoris ad Henricum Bavariæ Ducem, cui celebris controversia cum Alberto Duce Bavariæ fuit, itaque prorogato cognitionis termino, cum lis ad Cameram Imperii devolvi videretur, & hinc se gravatum censeret Henricus Dux causam iteratis literis Fridericus Imperator excusavit, & in hunc modum rescripsit: Und wiewohl in denselben un- 81
sern Brieffen geschrieben stehet, auff den Gerichts-Tag unsers Königlichen Kammer-Gerichts, ꝛc. So ist doch unsere Meinung nicht gewesen, und auch noch unsere Meinung nicht, daß solch Recht in unserm Kammer-Gericht, daß wir mit niedern Personen von Fürsten, und umb Sachen, die unserer und des Reichs Fürsten Ehr Leib oder Leben nicht berühren, besetzen, soll oder solte außgetragen werden, sondern allein vor unserer Majestät

82 und unserer und des Reichs Fürsten, die wir zu uns setzen werden, quo quidem tenore hæc Friderici Tertii epistola scripto suprà allegato sub *num.* 12. adjuncta est & exhibetur pariter *à Lundorp. d. tom.* 1. *pag.* 32. adjecta quidem anonymo huic vel Freheriano scripto complura alia documenta per extractus, sed minoris momenti ad præsentem
83 controversiam; sunt enim instructiones Ministris Principum à Dominis datæ, protestationes, si judicium minùs rite constitutum videretur, & similia, ex quibus sanè Cæsarea reservata
84 metienda non sunt. Fundamenta secundæ opinionis itidem ad tria ista capita, leges, usum & publica testimonia reduci
85 possunt; leges quatuor sunt, quæ ad hanc rem pertinent: 1. præallegata Lex Conradi Tertii Imperatoris *d. t.* 34. 2. *F. in pr. juncto textu d. t.* 18. *ex* 1. *F.* ubi Rex vel Imperator inter capitaneos regni (qui Principes & Proceres Imperii sunt) judex est, sed de conjudicio Parium Curiæ altum silentium. 2. Adducitur ipsa illa Friderici Secundi Imperatoris constitutio, quæ pro primâ sententia fuit allegata; nam quamvis ex eâ constet, cognitionem Cæsari reservatam, ut sic ordinarium judicium de hoc genere controversiarum non rectè officio fungi censeatur, quo quidem sensu eandem Friderici Secundi constitutionem pro argumento adduxi *in d. disp.* 1.
86 *ad recess. Imp. de anno* 1654. *th.* 66. tamen hinc secundæ opinionis assertores negant pervinci jus Principum, quia Cæsari personaliter reservata censetur ista cognitio & dijudicatio in hisce causis per verba, oder an ihr Recht, oder an ihr Erb, quorum alterutrum feuda regalia Imperii complecti probabile est, & tamen de simultaneo judicio Principum ibidem, ut in lege Conradi, planè nihil exprimitur. Ejusdem 2. argu-
87 menti est à Carolo Quinto Imper. posita lex in Ordnung des Regiments de anno 1521. §. Ob auch Sachen vorfielen. 7. & à Ferdinando Primo repetita *in Ord. Cam. d. t.* 7. Quia & ibi in feudis regalibus jurisdictio Cæsari reservatur,

&

& nihil de conſeſſu Parium vel verbo additur, quam rem,
qui pares haud requiri in dijudicandis hiſce controverſiis ſen-
tiunt, haud improbabiliter urgent. Eſt inſuper 4. Lex *Inſtr.* 88
***Pac. art.* 5. §. *quoad proceſſum*,** quæ huic ſententiæ hodiè
in ſubſidium affertur; ſi etenim Cæſareæ majeſtati, ut ibidem
dicitur, liberum eſt in cauſis arduis & ubi veroſimiliter
tumultus in Imperio metui poſſunt (quales utique ſunt
controverſiæ regalium feudorum) quorundam Electorum vel
Principum vota aſciſcere, ergò hoc ipſum non incumbit
ex juris neceſſitate, quod enim liberum eſt facere, adhoc 89
ipſum quis non obſtringitur de jure. Atque hæ ſunt leges,
quæ pro poſteriori ſententiâ judicium Parium haud admitten-
te allegari ſolent ac poſſunt. Nec ſanè deeſt uſus quanquam 90
recentior, quo ſoli Imperatores ſine Principum conſeſſu ac
votis regalium feudorum cauſas cognoverunt ac dijudica-
verunt: ita Carolus Quintus inter Ferdinandum primum
Regem Romanum & Wirtenb. Ducem Ulricum, ut ſuprà
retuli, judicem egit; ſic & Rudolphus Secundus ad ſoli- 91
tarium ſuum examen aſſumſit cauſam ſucceſſionis Ducatus
Juliacenſis, & cum Joh. Sigismundus Elector Brandenbur-
gicus per literas, quas Lundorpius *d. tom.* 1. *Act. publ. pag.*
85. *&* 86. exhibet, conſeſſum Parium Curiæ peteret, Impera-
tor idem huic petito non annuit, uti videre eſt ex reſcripto,
quod *d. l. pag.* 90. *&* 91. ad eundem Electorem miſſum
Lundorpius habet; ac licet poſteà in Pares Curiæ Imperator 92
referatur conſenſiſſe, id tamen libero arbitrio & ſub ex-
preſsâ cautelâ factum, ne hæc res in conſequentiam ab ul-
lo allegaretur, daß sich sonsten auff diesen Fall
niemand zu beruffen / oder solches in conſequentiam zu
ziehen habe. *Burgold. d. diſcurſ.* 19. *pag.* 1060. Matthias
Imperator in cauſâ Hessen contra Hessen, cum Mauritius 93
Landgravius Haſſiæ ex hac ipſâ ratione non conſtituti judi-
cii Principum, declinaſſet Cæſareum forum, rejectâ declina-

toria litis contestationem sub præjudicio injunxit, sed & in causâ Lüneburg & Braunsweig, das Fürstenthum
94 Grubenhagen betreffend, definitivè pronunciavit. Ferdinandus Secundus non modò causam jam dictam Hessen contra Hessen, præsentibus pluribus Imperii Principibus, absque voto tamen, sed & causam Baden contra Baden per sententiam decidit, *Reinking. d. cap.* 10. *n.* 28. *&* 29. est insuper
95 exemplum Marchionis Malaspinæ ex partibus Italiæ jussu invictissimi Imperatoris nostri evocati ad aulam Cæsaream ut causam diceret de feudis Suveri & Montis Simonis, quorum non debito tempore petita fuerat investitura, aliud refero infr.
96 *inf. tit.* & ex his aliisque præjudiciis scriptores secundæ opinionis usum probant vel probare possunt Imperatoriæ jurisdictionis circa feuda regalia secluso Parium judicio. Testimonia quoque publica non desunt insignium Imperii Principum, qui Cæsari solitarium judicium examinandi ac decidendi regalium feudorum controversias tribuunt, quos inter nominandus præcipuè est Elector Saxoniæ Christianus Secundus, qui per literas Principibus unitis respondit, Cæsarem solum ut supremum caput, non Principes vel Proceres Imperii, judicis partes subire in his causis, verba epistolæ refert
97 *Burgold. d. l. pag.* 1059. *&* 1060. Neque solus hic Elector, sed alii etiam Duces Saxoniæ, huic sententiæ calculum dederunt. In der außführlichen Deduction deß Chur- und Fürstlichen Hausses Sachsen, das erledigte Fürstenthum Gülich betreffend, cujus deductionis tenorem concernentem judicium Cæsaris solitarium transumpsit & expressit *Rein-*
98 *king, d. l. num.* 27. Quibus accedit Electorum, Principum ac Statuum Pragæ congregatorum assertio satis clara, quâ in causâ successionis Juliacensis jurisdictionem Consilii Imperialis Aulici agnoscunt, prout apparet *ex resol. eorundem de dato* 28. *Maji* 1610. *apud Lundorp. d.*
99 *tom.* 1. *pag.* 92. §. zu dem wir verhoffen. Sed certum est hujus

Con-

Conſilii Aulici jurisdictionem à ſolo Cæſare collatam, Reichs-Hofr. Ordn. *Ferd. Tertii Imper. tit.* 1. *in pr. item tit.* 2. *pr. &* §. Wir befehlen. Igitur hi ipſi Principes & Status dubio procul agnoſcunt Cæſari ſoli ac ſeorſim à partibus curiæ competentem circa regalia feuda jurisdictionem. Atque hæc ſunt controverſiæ hujus, quæ circa modum exercendæ jurisdictionis Cæſareæ in feudis Imperii regalibus agitatur, potiora ab utraque parte fundamenta. Quæ ſi exquiſitè per- 100
pendimus, apparet: 1. Opinionem priorem lege vel conſtitutione Imperii nullâ defendi; nam nec Friderici Secundi, nec Sigismundi præallegata conſtitutio nullam facit mentionem de neceſſariò adhibendis Paribus curiæ in cognitione vel deciſione cauſarum feuda regalia concernentium; neque ulla alia lex, conſtitutio vel capitulatio Cæſarea idem ſtatuit;
hinc Principes Statusque uniti cum ad reſponſum Chriſtiani 101
Secundi Electoris Saxoniæ ulteriores darent literas apertè confeſſi ſunt, judicium hoc Principum non lege vel conſtitutione aliquâ, ſed moribus & conſuetudine, ut alia multa, introductum fuiſſe, ceu annotavit *Burgold. d. pag.* 1059. Apparet 2. Judicium hoc Principum ni- 102
ti conſuetudine; eam enim probant tot actus & præjudicia, à Limnæo, Klockio & aliis *l. c.* numeroſè allegata, & præterea ſatis clarè, præcitata. Sigismuudi 103
Imperatoris epiſtola, quâ expreſſis verbis teſtatur controverſias regalium feudorum ad ſe & Pares curiæ pertinere, idque pro more, ſtylo & conſuetudine Imperii, quæ epiſtola potiſſimum primæ opinioni præbet fundamentum; nam in literis Friderici Tertii Imperatoris, quas ad Henricum Bavariæ 104
Ducem ſcribit, præſidii parum eſt; quia non dicit hic Imperator ſe juris neceſſitate obſtrictum Pares curiæ denominare velle, quorum judicio & votis Bavarica controverſia terminetur, ſed tantùm ſignificat, quæ ſit animi ſui eâ in re 105
ſententia, quòd nimirum non in Camerâ Imperii, ſed in Judicio

Judicio Parium litem iſtam velit cognoſci atque decidi,
106 quemadmodum ſi hodienum Imperator reſcripto exprimeret, ſe hanc vel illam cauſam arduam requiſitis certorum Electorum vel Principum votis diſceptaturum atque deciſurum, hinc minimè ſequeretur, id fieri jure exigente, vel ad conſtitutionem judicii hoc ipſum requiri, cum quidem conſtet, eam adhibitionem & rogationem votorum Cæſari
107 eſſe liberam ex *Inſtr. pac. d. §. quoad proceſſum*; ex quibus colligere licet, præter vetuſtam obſervantiam & epiſtolam Sigismundi Imperatoris, judicium Parium Curiæ in feudis re-
108 galibus Imperii nullis niti argumentis, quæ ſoliditatis ſpeciem habeant, ipſa tamen illa antiquitatis obſervantia auctoribus poſterioris ſententiæ videtur iterum abrogata par-
109 tim per leges recentiores, partim per uſum contrarium, ut priùs retuli. Aſt regeri poterit, leges iſtas & Imperii conſtitutiones more majorum intelligi, nempe ut Imperatori reſervetur jurisdictio circa feuda regalia, ſed adhibitis Paribus curiæ exercenda, quo ſen-
110 ſu Ordinatio Cameræ *d. t.* 7. & leges ſimiles non videntur obſtare judicio Principum, de quo loquimur; ſed re penitiùs conſideratâ magis eſt, ut adhuc obſtare dicantur; nam 1. licet adhibiti ſint Principes vel Proceres in diſceptationibus feudorum regalium, & etiam vota ſua dixerint, quibus
111 plerumque Imperatores ſoliti fuerunt acquiſcere, tamen non conſtat, ea vota fuiſſe omninò deciſiva, quaſi ſcilicet
112 Imperator juris neceſſitate eam debuerit ſententiam dicere, quæ Principum votis prorſus fuerit conformis, imò potius contrarium demonſtrari poteſt, quia Principes & Proceres
113 univerſi non poſſunt legem condere invito Imperatore, cur ergo pauci foro Cæſareo adhibiti de arduis feudorum cauſis ſententiam jure dicere queant eo adverſante? Reverà probabilius apparet non jure perſe, ſed Imperatoriâ auctoritate atque conſenſu valuiſſe aſſiſtentium Principum vota pro judiciali ſententiâ, idque eò magis cenſendum eſt, quòd ipſius Impe-

Imperatoris Sigismundi testimonio hæc Principum vota vo-
centur consultiva, daß nemblich die Fürsten Käiserlicher 114
Majestät hierinnen, was im Recht zu sprechen, gerathen
haben, ceu videre licet ex documento sententiæ inter Du-
ces Bavariæ per Pares Curiæ pronunciatæ, quod Freheriano
scripto sub num. 10. est adjunctum, & à Lundorpio exhibi-
tum d. *tom.* 1. *pag.* 31. *&* 32. Verba hanc rem concernentia 115
notari merentur, atque huc ex tenore hujus sententiæ tran-
scribi; ea sic *d. n.* 10. referuntur: Darumb unterredeten
wir (Sigmund Römischer König) uns mit unsern
Chur-Fürsten und Fürsten, die bey uns zu Gericht sassen,
und ward **Uns von Ihnen gerathen**, ꝛc. quæ dispositio
aliquoties repetitur, quemadmodum etiam sequens clausula:
Also haben wir mit unsern Chur-Fürsten und andern 116
Fürsten, Geistlichen und Weltlichen, die bey uns zu Ge-
richt gesessen sind, uns gründlich und wohl darinn ent-
sunnen, und **sprachen darumb, als Sie uns dann
auch gerathen haben, mit unserm Königlichen
Spruch und Urtheil**, und Krafft diß Briefs zum Recht
als recht ist. Ecce formulam præclaram Cæsareæ sen- 117
tentiæ, quæ Noribergæ die Jovis ante Dominicam Palmarum
anno 1431. in consessu Principum, quorum nomina post
subjiciuntur, à Sigismundo tunc Rege Romano inter Duces
Bavariæ prolata est, atque illi ipsi Principes ad finem senten- 118
tiæ denominati dicuntur sententiam tulisse in verbis:
So sind die Chur-Fürsten und Fürsten, die bey uns zu
Gericht gesessen, und Urthel **gesprochen** haben, die
Ehrwürdige Conrad zu Mäintz, und Dietrich zu Cöllen,
Ertz-Bischöffe unser und des heiligen Reichs in Teutschen
Landen, und in Italien Ertz-Cantzler, Conrad Bi-
schoff zu Regenspurg, die Hoch-gebohrne Wilhelm und
Stephan Pfaltz-Grafen bey Rhein und Hertzogen in
Beyern, Adolph Hertzog zum Berg, zu Gröllern und

zu Gülch, und Grafe zu Ravenspurg, und Ruprecht
Sein Sohn, Bernhard Marggraf zu Baden, Johan-
nes und Leipold Land-Grafen zu Leuchtenberg und zu
119 Hag, rc. Ex quibus liquidò constat fuisse in causâ Bava-
ricâ, Electoribus & Principibus his vota revera consulti-
va, quamvis dicantur sententiam protulisse; nam Sigismun-
dus Imperator sententiam reapse dixit conformem votis con-
sultivis Principum assidentium, id quod verba suprà literali
120 tenore prorsus pervincunt. Deinde considerandum est 2. le-
ges interpretationem sumere ex consuetudine subsequente;
cum igitur actus recentiores ostendant, Imperatores reservatam
sibi jurisdictionem ita exercuisse, ut Pares Curiæ regulariter non
adhiberent, vel si quando id factum, clausulam de sibi non
præjudicando, neve actus in consequentiam traheretur,
121 vel allegaretur, expresse addiderint, certè leges contra judi-
cium Parium suprà relatæ juxta regulam bonæ interpreta-
tionis, vix aliter poterunt, quàm sic intelligi, ut hodiè so-
lus Imperator etiam citra consessum Parium Curiæ quæstio-
nes regalium Imperii feudorum & cognoscat & sententiâ suâ
122 dirimat, *l. si de interpretatione. 37. cum l. sequ. ff. de ll.* Nec
debet objici ex textu *d. l. si de interpretatione*: magis probari
adhibendos adhuc hodiè Pares Curiæ, cum consuetudo pri-
sca id exegerit, ut suprà dictum, ac interpretatio ex casibus re-
trò contingentibus declarare videatur legem; nam respon-
123 detur particulam *retrò*, in textu ibi positam dextrè accipien-
dam esse, nempe de observantiâ, quæ retrò, id est, ante casum
controversum obtinuerit, quamvis legem declarandam fue-
rit subsecuta, cumque jam à Caroli Quinti Imper. ætate
124 more antiquo in controversiis regalium feudorum, vel non vel
rarò ac sub cautelâ casus in consequentiam haud allegandi
125 Pares Curiæ adhibiti fuerint, vetusta illa consuetudo tanti
temporis usu contrario videtur vel abolita vel sic infracta, ut
jam difficile appareat secundum illam ex juris necessitate
pro

pro formando regalium feudorum judicio adhuc requirere Pares, præsertim cum tot exquisitissimis Capitulationibus Cæsareis de eo Principum Procerumve jure confessus in causis regalium feudorum citra proscriptionem vel declarationem banni, de quâ posteà nihil reperiatur dispositum; quod enim Beckmannus scribit *d. sect.* 3. §. 7. in novissimâ capitulatione Leopoldina *art.* 30. 31. & 32. satis firmiter cautum, 126
ne Imperator inconsultis Electoribus & Principibus de feudis regalibus cognoscat, ex inspectione verborum capitulationis facilè refellitur, articulo enim trigesimo de feudis regalibus apertis mentio est, eorumque nova investitura alligatur consensui Electorum, minimè cognitio Cæsarea in contradictorio judicio vel jurisdictione conten- 127
tiosâ, de quâ quæstio est; sic & art. trigesimo primo de sollicitudine Cæsareâ in renovandis feudorum Imperii investituris disponitur, sed iterum nihil de cognitione & judicio in feudis regalibus, utrum oporteat adhibere Pares vel non; 128
articulus trigesimus secundus feudorum in futurum aperiendorum contributiones Imperio præservat, sed rursus de adhibitione parium in judicio regalium feudorum altum silet; nec magis deferendum Praxi, quâ Beckmannus *d. l.* ait, id 129
hodiè in Imperio Germanico confirmatum & adhuc observari, quando vix ullum præjudicium, quo nostra ætate in cognitione regalium feudorum Pares curiæ velut ex juris necessitate & citra cautelam vel clausulam reservatoriam, fuerint adhibiti, allegare liceat, tot verò quibus non adhibiti, partim nostri, partim superioris seculi, exempla extent ac suprà relata sint in contrarium. Porrò nec in fundamentis 130
posterioris opinionis deest, quod curiosus aliquis desideret; nam constitutiones allegatæ expressè non excludunt judicium Principum, das Fürsten-Recht, & nominatim Instrumenti pacis dispositio *in d. §. quoad processum* accipienda videtur de requisitione, quæ motu proprio Cæsareæ Majestatis fit, uti tunc liberum sit in arduis causis exigere quorundam

Electorum ac Principum vota, ex quo tamen vetustus mos præcisæ adhibitionis ad instantiam unius vel alterius partis,
131 non planè apparet, abrogatus; denique actus præallegati, quibus Pares Curiæ, cum de feudis regalibus disceptaretur, non interfuerunt, consideratione antiquitatis recentiores sunt; at in controversiis jurisdictionum, actus antiquiores præsum-
132 ptionem pro se habent. *c. licet 9. ubi comm. Dd. x. de prob.* Quid ergò in tam diversis utriusque partis argumentorum ponderationibus tandem sentiendum? Puto secundo loco relatam opinionem sano sensu intellectam nihilominus præponderare legibus; nam licet prædictæ constitutiones nec de inclusione, nec de exclusione Parium Curiæ in cognitione regalium feudorum expresse disponant, tamen expresse reservant hanc cognitionem Imperatori, ergò pars altera pro-
133 bare debet, quòd includantur Pares Curiæ in hoc negotio, sed hoc nullâ lege cautum reperitur; deinde videtur antiquæ observantiæ per actus recentiores Parium Curiæ ab ea cognitione exclusivos derogatum esse indè à Caroli Quinti tempore, *vid. Staml. de reserv. d. §. 38. num.* 14. Constat verò, ut in aliis, sic in materiâ jurisdictionis exercendæ respici posteriora tempora, si actus possessorii vel quasi præcedentes le-
134 gitimè fuerint interrupti, prout deduxi hanc rem *in disp. de possessor. jurisdict. th.* 45. *& sequ.* ut nunc nihil repetam de qualitate actuum & quòd verosimile sit, magis ad consilium justæ decisionis, quàm ad decidendum suâ auctoritate Pares in hujusmodi judiciis ab antiquo fuisse requisitos; sed quicquid sit ad extremum juri & æquitati maximè consen-
135 taneum arbitror, ut distinguamus regalium feudorum causas; nonnullæ enim tantum concernunt jura partium litigantium, ut sunt causæ successoriæ horum feudorum, quibus pars parti vult in successione præferri, quædam verò involvunt etiam interesse ipsius Imperatoris, veluti si feuda dicantur aperta, sive ex defectu stirpis sive per feloniam;

niam; quæ prioris generis sunt causæ regalium feudorum, meritò referri debent ad solius Imperatoris examen ac de- 136
cisionem, idque probare censeo argumenta pro posteriore assertione præmissa ac declarata, quâ parte limito & restringo *disp. meam 1. ad rec. Imper. de anno 1654. l. c.* Ast causas posterioris generis non æquè ad solitariam Imperatoris cognitionem, sed magis, ad Principum & Parium Curiæ judicia pertinere, arbitror per sequentes rationes: 1. Quia 137
jure communi cautum est, ne quis in propriâ causâ partes judicis suscipiat. *l. un. C. ne quis in prop. caus.* quam rem DD. merito intelligunt & de Imperatore vel Rege superiorem non recognoscente. *Brunnem. & al. ibid.* Quanquam enim le- 138
gamus Antoninum Imperatorem in causâ fisci sui judicâsse, *l. proximè. 3. ff. de his, quæ in test. del.* ac hodienum in summis Imperii tribunalibus causas fisci Cæsarei disceptari constet, tamen cognitio illa ad regulam trahi non debet, cum vel Comes Palatinus Rheni Cæsareis causis judex constitutus sit in *Aur. Bullâ tit. 5.* cujus jurisdictio licet in feudis regalibus, ut suo loco dicetur, cesset, tamen argumento est, non debere Imperatorem ipsum in his arduis 139
causis, quatenus interesse proprium concernunt, judicium exercere, cum id non faciat in causis aliis similibus. 2. Jure feudali satis provisum est, ratione interesse, quod do 140
minus habet in feudo, non debere ipsum solum de controversiâ ejus feudi judicare, sed potius Curiam vel Pares Curiæ, prout asserit text. 2. t. 15. ubi quæstio de re fuit, an sit feudalis nec ne, item text. 2. F. 46. ubi feudum fuit, evictum, & sic utroque casu ratione subversantis interesse, negat feudista cognitionem domini esse, sed Curiæ vel Pa 141
ribus eandem attribuit. 3. Hoc ipsum exemplo & confessione Sigismundi Imperatoris ostenditur, qui in controversiâ de Belgicis provinciis. ob eandem causam, quòd & ipse jus in illas prætenderet, judicium planè declinavit in literis ad Conradum Electorem Moguntinum, quas

Scriptum suprà sæpè allegatum *sub num.* 28. expressit, & *Lundorp. d. tom.* 1. *pag.* 36. exhibet verba concernentia hoc
142 tenore satis aperta sunt: Und nemlich auch darumb, daß uns das nicht gebühret / nachdem nun wir auch meinen Recht zu demselben Nieder-Land zu haben, und in unser eigenen Sach nicht Richter geseyn mögen, und weil die Sach des heiligen Reichs treffentliche Lehen anrühret, So haben wir Fürsten, Grafen und Herren Räthe darumb gehabt, und meinen, daß billich seye, daß dieselbe Sach vor des
143 Reichs Mannen außgetragen werd. 4. Ipsa vetustatis exempla, quibus in disceptatione regalium feudorum Pares Curiæ adhibiti sunt, pleraque leguntur de secundo genere fuisse, nimirum causarum privationis, quando quis ob feloniam vel quâ aliâ ex causâ feudum per sententiam debuit amittere, ita ut illud ad Imperatorem tanquam dominum & novam ejus collationem spectaret; in
144 cæteris causis, quibus tantùm de jure vasallorum Imperii inter se contentio fuit, vel Pares non requisiti sunt, vel non nisi ad votum consultivum, ut suprà deduxi, maximè verò causæ proscriptionum, quibus feuda regalia simul abjudicabantur, rogatis Parium Curiæ votis more antiquo
145 cognosci & decidi consueverunt atque utplurimum in Comitiis Imperii, quo referenda sunt, Conradi Bavariæ Ducis ab Henrico Tertio, Ottonis Bavariæ Ducis ab Henrico Quarto, Henrici Lotharingiæ Ducis, item Sigfridi Comitis Palatini ab Henrico Quinto, Henrici Bavariæ Ducis à Conrado Tertio, Henrici Leonis Bavariæ & Saxoniæ Ducis à Friderico Primo, Ottonis Wittelsbachii ab Ottone Quarto, & Ottocari Bohemiæ Regis à Rudolpho Primo, Imperatoribus proscriptorum exempla relata à Klo-
146 ckio *d. consf.* 7. *à num.* 172. *usque* 182. quæ sanè adhuc magis rem declarant, fuisse scilicet Principum aut Parium curiæ sententias

tentias

tentias sive in Comitiis sive extra in causis privationum, & præcipuè proscriptionum requisitas ab Imperatoribus, & præter punctum juris dubio procul, ex ratione politicâ, quòd minus invidiæ habere censerentur decreta in tàm arduis & 147
per se odiosis causis, si non à solo Imperatore prolata, sed Principum quoque vel Parium consensu firmata essent, & sic Klockii præjudicia ad causas privationum ac proscriptionum, non verò successionum feudorum regalium pertinent, eoque etiam sensu probabiliter epistola Sigismundi Imperatoris intelligi poterit, quia Erici quinti Saxo-Lauenburgensis Ducis causa privationis fuit de abjudicando scilicet Saxoniæ Ducatu ob non legitimè petitam investituram. Hoc amplius tamen 148
novissimis etiam legibus cavetur, ut de modo & ratione proscriptionis vel declarationis banni contra Principes Statusque Imperii in Comitiis deliberetur, quorsum hæc materia tanquam adhuc decidenda expresè remittitur per *Instr. pac. Cæsareo-Succ. art.* 8. *§. habeantur* (cujus ad verbum repetitio est in *I. P. Cæs. Gall.* §. 64.) item *per Recess. Imper. de anno* 1654. §. In Fällen, 162. *circ. fin.* Pro præsenti sanè statu cautum in Capitulatione est, ne 149
quis Principum vel Ordinum Imperii proscribatur sive in bannum declaretur ab Imperatore, sine præscitu & expresso consensu Electorum causæ non participum. *Capitul. Leop. art.* 28. (qui in Josephinâ Capitulatione repetitus & vigesimus septimus est) Monita Statuum ad hunc articu- 150
lum requirunt cæterorum quoque Ordinum consensum, sed ea res hoc puncto ex consensu nondum perfecta est, licèt exemplis præmissis comitiorum auctoritas antiquitati satis videatur conveniens; neque tantùm in notorio casu pacifragii publici, sed in aliis etiam, ubi quis meruit pœ- 151
nam banni Imperialis, etsi de notorio capitulatio d. l. nominatim concepta sit, ea dispositio locum invenire debet, propter verba: Auch in diesem Fall, quæ sunt impli-

cativa

cativa contextus prioris, idque clariùs expresserunt Prin-
152 cipes, ac Ordines reliqui in monitis *d. art.* 28. Unde quis colligat, proscriptionem adversus Principes & Status Imperii etiam ex capite pacifragii hodiè non esse planè arbitrariam, sed alligari Statuum & omnino Electorum consensui, undè hoc ulterius colligendum: Videri vota Electorum hodiè decisiva hac in re; sine quorum enim consensu
153 proscriptio Principis alicujus vel Status juxta legem fieri non debet, ejus votum utique decisivum est, quod hoc charactere præsertim internoscitur à consultivo; ast verò ad omnem feudorum regalium privationem hæc Capitulationis dispositio cessante literâ non exporrigitur, veluti si quis ex-
154 tra crimina proscriptioni vel banno obnoxia commisisset feloniam, quâ feudo Imperii juxta consuetudines feudales 1. *F.* 5. *&* 2. *F.* 24 privandus foret, aut si quis con-
155 tra constitutionem Frid. Primi Imperatoris, 2. *F.* 55. *in pr. vers. præterea si quis.* intra annum & diem non petiisset renovationem investituræ dolo vel negligentiâ, ut hinc feudum amittere deberet, certè non ex Capitulationis lege hisce casibus Pares Curiæ adhibendi eorumque vota roganda essent, quanquam idem adhuc asserendum videatur ex antiquitate rationibus præmissis, atque adeo cau-
156 sas successionum ac privationum in controversiis, regalium feudorum quoad requisitionem Parium discerni debere arbitror, ut in illis haud sit locus, utique non ex juris præscripto vel consuetudine hodienum indubiâ, judicio Principum; (vulgo Fürsten-Recht) in his verò, si non quoad formam veterem, ipso tamen effectu in personis Electorum vel Statuum, maximè si subvertetur causa banni & proscri-
157 ptionis, idem adhuc obtineat; quin & in illa successionis specie, quâ forte controversia emergeret, num feudum sit apertum ex decessione stirpis primi acquirentis, juxta *text.* 2. *F.* 11. si Imperio tale aliquod feudum diceretur apertum, Pares

Pares ex requisitione haud denegandi videntur, eodem probabili argumento, quòd non minus quàm in casu aperturæ per delictum, hac etiam specie subversari interesse Imperatoris, 158
ac rationes suprà propositæ adhuc videantur militare; atque hæc de nobilissimâ in feudis regalibus circa judicium Parium controversiâ, ex quibus utique satis liquet, jus hoc supremum, quamvis quodammodo certis casibus restrictum, adhuc in reservatis Cæsareis meritò ponendum fuisse. Huc 159
insuper debet quartò referri jurisdictio suprema & universalis, cui omnes intelliguntur subjecti, qui sub Imperio sunt, sive mediatè sive immediatè, mediatè ut privati, quos hinc Imperator in mandatis rescriptis, aliisvè processuum literis vocat suos & Imperii fideles consuetâ formulâ, Unser und deß 160
Reichs liebe Getreue, immediatè verò ut Nobiles & Status Imperii non recognoscentes alium Superiorem, qui sit Imperatore inferior, eamque supremæ jurisdictionis universalitatem cernimus, & quoad personas & quoad causas; quoad personas, quòd Cæsar omnibus decem circulis Imperii mandandi injungendivè potestatem habeat, *Rec. Imper. de anno* 1576. §. Derohalben. 118. *& Rec. Imper. de anno* 1603. 161
§. Insonderheit aber 56. item quòd omnibus & universis Imperii Electoribus, Principibus, Comitibus, cæterisque Statibus, Nobilibus etiam ac ignobilibus & plebejis cujuscunque conditionis hominibus, mandandi prohibendivè legitimam habeat facultatem, uti videre est ex constitutione pacis publicæ de *anno* 1495. *rubr.* Fried-Bott. *& rubr.* welche und Fried-Botte willen in die Acht kommen. Ordn. des Land-Friedens *de anno* 1521. *rubr.* Wie der Land-Fried zu halten gebotten und verpönt ist. *& rubr.* Handhabung Friedens-Rechts §. Darauff befehlen / Käyserlicher Land-Fried. *De anno* 1548. *d. rubr.* wie der Land-Fried. *& d. rubr.* Handhabung Friedens-Rechts. §. und gebieten. *Rec. Imper. de anno* 1555. §. Setzen

Hhh dem-

demnach 14. & §. Setzen demnach 34. *Rec. dep. Imp. de anno* 1600. §. Dieweil aber. 5. *vers.* So wollen wir. *Rec. Imp. de anno* 1654. §. Setzen demnach. 6. & alibi sæ-
162 pius. Quoad causas quoque supremæ jurisdictionis Cæsari competentis universalitas apparet ex *Ord. Aul. Imper.* tit. Von Sachen in Reichs-Hoffrath gehörig. 2. *in pr.* ubi causæ tam publicæ quàm privatæ universaliter committuntur jurisdictioni Consilii Imperialis Aulici, ergò necessariò hæc universalis potestas debet esse penes Cæsarem committentem, præcipuè cum ordinatio hæc Aulica consensu publico Imperii hodie nitatur, dum aliud in Comitiis (quod hactenus nondum contigit, conventum haud fuerit *Capitul.*
163 *Leopold. art.* 41. Itaque duos Characteres habet Cæsarea jurisdictio, nempe quòd sit universalis, tàm ratione personarum, quàm causarum, nisi quatenus lege vel consuetudine est restricta, & quod sit suprema, quæ posterior
164 conditio adeò Imperatoriæ majestati manifestè convenit, ut Ulpianus JCtus, stultum esse dicat illud admonere à Principe sive Imperatore Romano, qui in jure civili Principis nomine intelligitur, appellare fas non esse, cum ipse sit, qui provocatur, in *l.* 1. §. 1. *à quib. app. non lic.* ultimo scilicet loco, aliàs hæc ratio Ulpiani bona non esset, cum & alii provocentur judices, à quibus tamen, si superiorem habeant, provocatio est; igitur penes Imperatorem, ad quem ultimo ordine provocatur, necessariò suprema jurisdictio
165 esse debet, hinc ab Imperatore ipso dicta sententia jure maiestatis est inappellabilis, cum Electorum & Principum quorundam sententiæ ex privilegio inappellabiles sint, unde nec prætextu melioris informationis, sive ab Imperatore malè informato ad melius informandum appellare permittitur, cùm Imperatoris sententia pro se habeat præsumptionem
166 sufficientis causæ cognitionis, ex his, quæ scribit *Gail.* 1. *Obs.*

Obs. 155. *num.* 7. unde talis appellatio tempore Matthiæ Imperatoris rejecta fuit in causâ Hessen contra Hessen, & Notarius, qui eam coram se admisit, jussu Cæsareo Notariatu privatus; nec revisionis aut supplicationis specie, in- 167
fringi sententia Cæsarea potest ab ipso Imperatore prolata, quoniam hoc remedium jure communi tantum proditum reperitur, adversus sententias præfectorum prætorio, *l. si quis.5.& auth.quæ supplicatio.C.de prec.Imp.off.Nov.*119. *cap.5.l.un.C. de sent.præf.præt.* minimè verò adversus sententiam ipsius Imperatoris, quæ uti non per appellationem, ita nec per supplicationem vel revisionem retractanda est, *Nov.* 113.*cap.*1. Cui ad amussim conveniunt, quæ haben- 168
tur in Reichs-Hofr. Ordnung. tit. von Relation der Action. 5. ubi hæc leguntur verba: Was auch einmahl in contradictorio judicio cum causæ cognitione, und mit unserm Vorwissen ordentlicher Weiß abgehandelt und beschlossen ist, dabey soll es allerdings verbleiben/ und dasselbe von niemanden von neuem in cognition gezogen, noch dessen Execution gehindert werden. Appellare tamen permissum à rescripto Cæsareo, pa- 169
tet ex *l.* 1. *§.* 1. *ff. de appell.* Sed & contra sententiam Cæsaris, ex novis & prægnantissimis causis quandoque, licet rariùs, dari in integrum restitutionem, patet ex *l. minor.* 18. §. 1. *cum.sequ.ff. de min.* quæ ratio diversitatis subsit, dixi *decis. Pal.* 101. *in notabil.* 3. *num.* 17. quò me brevitatis studio remitto. Porrò ex universali jurisdictione Cæsareâ sequi- 170
tur, Imperatorem esse quoque judicem competentem in causis criminalibus, idque non tantùm confirmat jus commune *ex l. fin. C. ubi sen. vel clar.* ibi: *nullius alterius judicis, nisi nostræ pietatis hujusmodi esse cognitionem.* Sed etiam suprà ex Goldasto relata Friderici Secundi Imperatoris constitutione, in verbis: Ohne Fürsten und andere hohe

Leuth, wo es gehet an Ihr Leib, rc. das wollen wir
171 Selber richten; quanquam justum videatur tali specie consensui Electorum vel Parium Curiæ locum tribui, per suprà dicta circa proscriptionem, quæ cum sit mors civilis, constituta circa illam, magis circa mortem naturalem obtinebunt, sed & circa quaslibet pœnas afflictivas corporis, quas adhuc in Austregarum ac Dominorum territorialium judiciis Fridericianæ illius constitutionis verba exclu-
172 dunt; nolo hoc titulo hujus argumenti rationes sub examen vocare, quibus diversi scriptores in causis criminalibus Principum Statuumque, vel austregas, vel dominos territoriorum judices asserunt, id unum adjicio, non in eo verti quæstionem, num Imperator vel ex generali delegatione austregis, uti quidem *Limn. lib. 9. jur. publ. cap. 5. num. 70.* hac de re loquitur, vel ex generali jurisdictionis omnigenæ & ordinariæ concessione aut investiturâ, dominis territoriorum etiam merum imperium attribuisse censeatur,
173 sed potius in hoc: num concessio meri Imperii extendenda sit ad casum, quo Principum aut Statuum aliquis reus ageretur, quod utique negandum est, per *d. l. fin.* ex cujus tenore indubium apparet, eos etiam, qui merum Imperium à supremo Principe concessum aliàs habent, tamen illud exercere non posse in personas illustres, & similes, quibus Provinciarum Imperii administratio publica est com-
174 missa, sed solum Imperatorem jure communi cognoscere ac decidere criminales causas contra tanti fastigii personas posse, delegatum verò Imperatoris, cui hoc specialiter commissum, cognoscere solùm causam, sed decisionem ad
175 Imperatorem committentem referre debere, quantò minùs igitur contra Principes & Proceres Imperii nostri, qui eminentiori longè jure, quàm veteres Præfecti vel Præsides, Imperii Provincias tenent, argumentum valebit in causis crimi-

criminalibus eos vel austregali foro, ex generali delegatione vel dominorum territorii Jurisdictioni, tanquam ex loco delicti, subesse, cum neutro casu in textu *d. l. fin.* re- 176
quisita specialis commissio adsit, quæ tamen nec si adesset ex tenore hujus textus facultatem decidendi tribueret; contra Imperii Nobiles immediatos sine dubio etiam Impe- 177
ratoris jurisdictio in criminalibus fundata est *arg. d. l. fin.* dum etiam illi, *qui sine administratione* (præfectoriâ puta, præsidiali vel quâ simili) *honorariis decorati fuerint codicillis*, quibus verbis textus diploma concessæ nobilitatis ein Adels-Brief/ congruè intelligi potest) in criminalibus causis Imperatoris judicium subeunt, *Schubhard. de Austreg. th. 5. lit. a. Rümlin. ad A. B. p. 2. dissert. 1. th. 5. ibique Myl. in not. add. disp. mea 1. ad rec. Imp. de anno* 1654. *th.* 82. *& disp.* 3. *th.* 76. Quod verum puto, sive quis in suo sive in alieno 178
territorio delinquat, etsi nonnulli scriptores contrà sentiant, & in suo tantùm territorio delinquentes Proceres ac Nobiles immediatos jurisdictioni Imperatoriæ, in alieno verò, jurisdictioni territoriali subesse existiment, quam sententiam sequitur *Ruland. de Commiss. pag.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 6. sed refellit duramque non sine ratione censet *Schubhard. d. l.* certè utrumque casum sive crimen in suo sive in 179
alieno territorio commissum proponatur, complectitur indistinctè tam juris communis dispositio *d. l. fin.* quam Friderici Secundi præallegata constitutio, ut sic etiam sine discrimine generalis jurisdictio suprema Cæsaris, salvo tamen, quod ad Principes & Status attinet, exercitii modo, scilicet ascitis Paribus Curiæ, locum habere dici debeat.
Ad reservata quintò pertinet jus edicti universalis per Im- 180
perium proponendi; dicitur verò edictum jure communi legis species, quæ per provincias Imperii jussu Cæsareo palam promulgatur ad observantiam in negotiis incidentibus,

181 uti videre est *ex l. leges. 3. C. de ll.* & secernitur à lege ut species à genere, quod non omnes leges edicti formam habeant expressam, quo quidem charactere jussionis Cæsareæ jure civili internoscitur edictum, de quo loquimur, ab edicto prætoris, quòd hoc prætoriâ non Imperatoriâ auctoritate proponatur, unde edicta alia Principis sive Cæsaris, alia Magistratuum asseruntur. *Pac. in annal. Cod. ad*
182 *tit. de ll. num.* 17. Sed scrupulus alicui suboriri queat, quâ ratione potestas edictorum per Imperium adhuc hodiè competere possit Imperatori, cum nomothesia universalis Comitiis adstringatur per *Instr. Pac. artic.* 8. *§. gaudeant.* Respondeo, edicta Cæsarea non esse legibus vel constitutionibus Imperii opponenda, sed conformia habenda, itaque si quid publicè sancitum vel aliàs jure proditum sit, & forsitan appareat negligi, Cæsareæ & potestatis & officii esse ad salutem Reip. edictis per Imperium propositis hoc observandum in-
183 jungere; Tale fuit Ferdinandi Primi edictum monetarium, de anno 1559. quo leges monetariæ comitiales ad communem observantiam per Imperium publicatæ sunt; Tale & Ferdinandi Tertii edictum executorium Instrumenti pacis, quo capitula conventa restituendorum jubentur executioni demandari, taliaque fuerunt superiori bello Gallico & vel hodiè sunt invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi edicta avocatoria, quibus milites Germani à signis & stipendiis hostium
184 sub pœnis legitimis constitutionum Imperii avocantur, item prohibitoria commerciorum hostilium, & quæ similia sunt ad salutem publicam emissa edicta, quibus Imperator ea jubet vel vetat fieri, quæ leges vel constitutiones volunt aut prohibent; quod si vero edictis

edictis controversa bona vel jura involvantur, non solet esse æquè felix successus vel obsequii gloria, 185
prout contigit Divi Ferdinandi Secundi edicto circa restitutionem bonorum juriumque Ecclesiasticorum, quod post varia certamina per pacificationem Germanicam, antiquatum, certè ad calendas Januarias anni 1624. fuit restrictum. *Instrument. pacis artic. 5. §. terminus.*
& §. quæcunque monasteria. Cæterùm forma in edictis 186
Cæsareis per Imperium publicè proponendis ea servatur, ut Principes & Status de affixione publicâ requirantur, quæ res per programma typis impressum fieri solet, cui Cæsareum edictum verbotenus insertum, & sic in illo territorio ad omnium subjectorum defertur notitiam,
pariterque etiam pœnæ contravenientibus ac immo- 187
rigeris comminatione edicti determinantur, hæ eveniente casu in personis vasallorum vel subditorum Principibus feudorum vel territoriorum dominis permittuntur, juxta *artic. 27. Capitul. Leopold.* quod memini antehac in Electoratu Palatino tempore Caroli Ludovici Electoris in quæstionem vocarum, atque sic ponderatis circumstantiis observatum, ut fisco Electorali compendia cesserint.
Et hæc de jure reservato in edictis. Sextum jus reservatum 188
dici potest supremæ dignitatis apex, quo non tantùm in Imperio respectu Electorum, Regum & Principum, qui Imperium recognoscunt, sed apud exteros quoque Reges ac Potestates, Imperator noster fert honoris prærogativam; hanc enim ei competere concedunt Turcæ, Tartari, Persæ, aliique Reges vel populi barbari, si quando apud eos negotiorum publicorum incidat communicatio, quam rem eleganter complexus est *Dominus Mulzius in repræs. Imper. Majestat. pag. 1.*
cap. 1. §. 11. & sequ. Sed & Christiani orbis Reges, 189
puta,

puta, Poloniæ, Sueciæ, Galliæ, Daniæ, Angliæ, Hispaniæ, item respublicæ Christianæ, Venetorum, Belgarum, Helvetiorum, &c. Imperatoris majestatem comiter observant, ac venerantur, ceu probat idem *Mul-*
190 *zius d. l.* §. 17. *usque ad* §. 24. Equidem de Turcarum Imperatore illud affirmandum est, præcipuum honorem Imperatori nostro eum deferre quoad alios Reges vel Principes, non verò quoad se, usque adeò, ut, cum Imperium Romanum Orientale subegerit sibi hinc & prærogativam honoris & jus aliquod in Occidentale (quod tamen suprà jam explosum) esse existimet, idque inprimis
191 de Solymanno Sultano referri solet. Plane uterque prætextus Turcicus sive prærogativæ honoris, sive juris cujuscunque in Imperium Romanum occidentis vanus est; nam quod priorem attinet, Romani Imperii in occidente origo & Metropolis Roma, partes verò & Provinciæ Orientales huic accessio fuerunt, &,
192 quanquam ob translationem Imperii Constantinopolis ut nova Roma floruerit, resque occidentis irrumpentibus exteris plurimum neglectæ sint, tamen ex quo in Occidente versâ vice potentissimi Imperatores Romani rempublicam moderati sunt, hi Orientalibus, tùm quòd Romam veterem Imperii caput, & Italiam armis primum contra hostes defensam sibique acquisitam, dehinc etiam pactitio jure & consensu (quâ de re su-
193 prà) sub Imperio tenerent, ob res egregiè gestas non tantùm non postponi, sed præferri meruerunt; quarum rerum de Carolo Magno egregia extant apud Aventinum testimonia *lib.* 4. *Chron. rubr.* Von denen Bottschafften der unglaubigen König. & rubr. wie alle König der Welt ein Auffsehen hätten auf Käiser Carl
194 *p. m.* 332. Neque ea gloria cum Carolo Magno extincta fuit, sed

ſed per ſtirpem continuata, poſtque eam in novâ Saxonum & Francorum Orientalium gente ſub Henricis, Ottonibus & Conradis maximè floruit; ſub Henrico Primo dicto Aucupe victi primùm feroces Hungari, qui ſub Ottone Primo ad internecionem deleti, tributum, quod anteà ipſi extorſerant, penſitare coacti ſunt; Henrico Tertio, poſt expeditionem 195
Hungaricam, Petrus Rex, coronam, ſceptrum & inſignia regni Hungariæ ad pedes depoſuit, & ſic regnum ipſum clientelari fide ab Imperatore recepit, ut Aventinus deſcripſit *lib. 5. chron. rubr.* Wie der Käyſer aber in Hungarn zog. §. Der Käyſer fuhr. & §. Als er nun. Admodùm etiam Conradi 196
Tertii expeditio in terram ſanctam & illuſtris maximo prælio de Perſis & Saracenis ad flumen Meandrum parta victoria glorioſa fuit & commendabilis, quam Nicetas Choniates literis conſignavit in rebus geſtis Manuelis Comneni Imperatoris Conſtantinopolitani *p. m.* 139. nolo ſequentium Imperatorum in Aſiâ vel Europâ res præclarè geſtas ex variis hiſtoriis referre, dum vel noſtra tempora ſufficere poſſunt, qui- 197
bus tot inſignes victorias, Auguſtiſſimus Imperator noſter injuſto bello petitus ab hoſte Turcâ reportavit, eique poſſeſſiones, propè intra duo ſecula maximis copiis & variis bellis occupatas intra paucorum annorum ſpatium, iterum ademit & recuperavit, ut ſive gentis noſtræ antiquitatem ſive origi- 198
nem Imperii Romani Occidentalis, ſive decus imperandi per propè nongentos annos, ſive meritorum & rerum egregiarum gloriam priſci ac noſtri ævi conſideremus, nihil cauſæ appareat, cur Imperator Romano-Germanicus Turcico Sultano palmam concedat. Secundus prætextus omni ratione 199
deſtituitur, ut ſuprà jam oſtenſum, nec difficulter poteſt reprimi; nam ipſimet Conſtantinopolitani Imperatores poſt avulſum Occidentem nihil omninò juris reliquum habuerunt, in partibus Imperio Romano Germanico ſubjectis, ergò multò minùs Imperator Turcicus, dum ab eâ gente nondum

per ducentos quinquaginta annos captâ Conſtantinopoli Imperium Romanum Orientale penitus eſt debellatum atque
200 extinctum. Equidem Græci Imperatores, cùm adhuc rerum in Oriente potirentur, interdum eò ſuperbiæ proceſſerunt, ut noſtros Imperatores aſſererent ſui Imperii regnum tenere, quaſi Italiæ regnum adhuc foret ſupremi dominii Conſtanti-
201 nopolitani, ſed verbis & factis Imperatores Romano-Germanici reſtiterunt, cujus rei exemplum inſigne præbet Imperatoris Manuelis Comneni légatio ad Conradum Tertium, quem ut Regem Imperii Manuelis legatus Nicephorus allocuturus erat, ſed Conradus Tertius Imperator tam diu legatum non
202 admiſit, dum titulum iſtum mutaret, & Conradum ut Imperatorem alloqueretur, prætereaque hanc rem adeò indignè tulit, ut per literas ad Manuelem graviter exprobraret, uti perſpicere licet ex epiſtolæ Conradinæ tenore, quam exhibet *Goldaſt. tom.* 3. *Conſt. Imper. pag.* 328. ubi Conradus ſe Imperatorem Romanum ſcribit, Manueli autem chariſſimi filii & illuſtris Græcorum Regis titulum tribuit, neque le-
203 gimus poſteà deſuper à Manuele quid ultrà repoſitum. Quòd ſi vel maximè Imperatores Conſtantinopolitani juris aliquid habuiſſent in Imperium Romano-Germanicum aut ullam ejus partem, certè hoc ipſum nullâ probabili ratione prætenderent Turcæ, quibus nihil amplius, quàm quod armis occupaverunt, ex jure victoriæ ceſſit, quam rem, cùm ſuprà jam conſideraverim, pluribus hic perſequi vel repetere non
204 lubet. Ex his ergò nec dubitandum eſt de ſupremo dignitatis Imperatoriæ culmine, quam rem etiam ex ſtylo ac titulo majeſtatis non reciproco colligimus, dum Imperator hunc titulum à Regibus aliisque poteſtatibus accipit, ſed non retribuit, dignitatisque Regiæ expreſſione aliove titulo reſpondet *Dn.*
205 *Mulz. d. l.* §. 8. Addere tamen ſolent Reges majeſtati Imperatoriæ affectionis quoque titulum noſtro idiomate valdè uſitatum, Liebden; ut ſignificent, & ſe Imperatoris majeſtatem comiter vene-

venerari, ad Regium observare fastigium; quam scribendi formam Daniæ Regibus, sed feudorum intuitu tribuit *Myller. in not. Rümlin. d. thes.* 5. Quemadmodum verò penes Imperatorem suprema est dignitas, ita septimò etiam jus concessionis 206
dignitatum, quas non tantùm illustres sub titulis Ducum, Marchionum, Comitum &c. confert, sed regias etiam, ac ut vetera paucis attingamus, Imperatores Romani Judæis, Parthis aliisque populis, auctoritate Reges designare soliti fuerunt, *Herm. in fasc. Jur. publ c. XI. n.* 97. Exempla nota sunt in He- 207
rode, qui auctoritate Tiberii Judæorum genti Rex præerat; ita datus ab eodem Cæsare Armeniis, Tigranes Rex dicitur, deductusque in regnum à Nerone, *Tacit. l.* 2. *Annal.* quarum re- 208
rum vestigia tum alii Cæsares, tùm multis posteà seculis Imperatores Romano-Germanici, diversis Ducibus, e. g. Bohemiæ, Poloniæ &c. Regios titulos contulerunt, *Reink. lib.* I. *class. V. cap.* 6. *num.* 139. *Hermes d. l.* Contrà accidit Burgundionum 209
Regibus, ut ab Imperatore Conradi subacti Regium titulum amitterent, vid. *Avent. lib.* 5. *Chron. tit.* Wie Käyser Conrad in Burgund zog. Exemplis priscis, quibus debellatis, Regius titulus est ademptus, ita Poro Indorum Regi ab Alexandro Magno devicto nihil præter Regium nomen teste Curtio, ablatum; Sic à Paulo Consule Perseus Macedoniæ Rex victus 210
captusque humanitatem victoris expertus est præter Regii tituli ademptionem, *Liv. lib.* 45. *histor.* Sed in Burgundis post longa tempora id egit Carolus pugnax Burgundiæ Dux, ut auctoritate Friderici III. Imperatoris Regium titulum Ducibus ejus gentis, restitueret, quamvis posteà hoc propositum caruerit successu, *Metteran. Belg. histor. lib.* 1. *p. m.* 5. & 6. Ratio au- 211
tem hujus juris vel prærogativæ est insignis atque eminens populi alicujus vel Monarchæ præ cæteris orbis terrarum potestatibus auctoritas, quâ qui Regium titulum obtinuissent, se ejus fastigii cæterorum quoque Regum gentiumque judicio participes habitum iri censuêre; quam prærogativam

212 cur non & hodiè Imperatori competere asseramus, ut casu emergente eandem exerceat, ac pro Ducali Regium honorem dignitatemque exemplis prædecessorum Imperii Duci alicui, meritis & familiâ insigni tribuat, nihil est, quod obstet.
213 Minùs dubitandum de Ducum, Principum, Comitum vel Baronum dignitatibus, quas exempla Ferdinandi Secundi, Ferdinandi Tertii, ac Leopoldi nostri, Imperatorum pluribus collatas demonstrant. Verùm hæc res declarationem ac re-
214 strictionem patitur ratione effectus, quia tituli hi illustres, quanti quanti sint, non tribuunt jus voti comitialis in Imperio nostro, sed ad eam rem plura requiruntur, de quibus suo
215 loco. His proxima sunt, & inter reservata commemoranda privilegiorum Imperialium jura, *Stamler. de reserv. §. 3. n. 6.* excipiendis videlicet iis, quæ recentioribus capitulationum legibus aliisve sunt excepta; quædam ex his simpliciter interclusa apparent, ut privilegia exemptionum tributariæ functionis, Schatzungs-Freyheiten, sed & id genus alia, velut servitiorum aliarumve præstationum, quæ dominis territoriorum de-
216 bentur, indulta immunitatum *vid. art. 3. cap. Leop.* quædam quoad exercitium certo modo sunt restricta, ut privilegia vectigalium, stapulæ, & similia, *art. 21. d. capitul. cumsequ.* quæ
217 alligantur consensui Electoralis Collegii, item privilegia monetarum, *art. 34. de capitul.* Cætera lege vel pactione non adempta libera manent, ut privilegia de non appellando, nundinarum concessiones, *l. 1. ff. de nund.* quanquam & in his commerciorum intuitu soleat pro interesse requiri viciniæ consensus vel saltem communicata notitia, quæ tamen sine lege sic ob-
218 servantur, ex illo, ut arbitror, capite, quo in genere nefas habetur juribus vel privilegiis Statuum antiquioribus per novas concessiones derogare; per *d. art. 3. capitul.*
219 juncto *Rec. Imp. de anno 1654. §.* Weil auch *166.* Verùm quia privilegii concessio latissimè patet, non refero generaliter in numerum, sed per species. Sit igitur jus con-

concedendæ civitatis, quæ res privilegio Cæſareo tribuitur Knipſch. *de jur. Imp. l.* 1. *c.* 6. *n.* 6. cum aliis; & effectum inter cætera habere videtur, ut incolæ infimæ ruſticorum conditioni, tanquam cives oppidani, eximantur, reſervatum octavum, quod jus ſenſu univerſali per Imperium intelligendum eſt. Ad idem argumentum referenda ſunt interque reſervata connumeranda nonò indulta ſtudii univerſalis, utique cum 220
effectu collationis dignitatum Academicarum, per ea quæ *tit.* 10. dicta ſunt; neque enim Principes Imperii, quantacunque dignitate fulgeant, id jus in Principatu ſibi aſſerunt, ut absque Imperatoriâ auctoritate conferantur gradus honorum Academicorum, inſigne hujus rei teſtimonium ſuppeditante *Inſtr. Pac. art.* 10. §. *præterea* 13. ubi in provinciis Germaniæ, publicâ pacificatione conceſſis ipſi reginæ Sueciæ tunc compaciſcenti, ab Imperatore privilegium Academiæ erigendæ tribuitur. Neque ab hoc loco ſegreganda planè ſunt vectiga 221
lium privilegia, quæ licet hodiè non niſi collegio Electorali 222
conſentiente tribuantur, tamen à ſolo Imperatore adhuc conceſſa intelligi poſſunt, quia Electores tantùm conſentiunt concedenti, aliud verò utique eſt negotium contrahere, vel perficere, aliud in illud conſentire, quemadmodum etſi dominus 223
feudi conſentiat, nec alienatio circa illum conſenſum valeat ex lege Friderici & veteri feudorum conſuetudine, ſolus tamen vaſallus alienare feudum intelligitur, eoque pertinet *text. l. aliud.* 160. *ff. de reg. jur.* ubi aliud eſt negotio conſentire, aliud illud contrahere, quod cur non & in publicis ac materiâ reſervatorum obtineat, nulla lex vel ratio refragatur; itaque hoc ſano ſenſu conceſſionem vectigalium hodiè etiam in reſervatis numerare licebit, quæ res decimum reſervatum efficiet. Jus ſalvi conductus Cæſarei undecimum eſt à pari æſti- 224
mandum cum jure viarum publicarum, de quo infrà, atque ſic à ſalvo conductu territoriali differt, quòd per totum Imperium, territorialis verò non ultra territorium ſecuritatem tri-

225 buat. Hucque pariter duodecimò referenda stapula ad exponendas vendendasque merces, quæ prætervehuntur, ab Imperatoribus concedi sueta, & si qua similia sunt jura, quæ tamen sic declaranda veniunt, ut non habeantur pro puris & meris reservatis, sed pro dependentibus à consensu Electorali, quan-
226 tum ac exercitium, licèt, uti dictum, concessio ipsa quoad substantiam soli adhuc hodiè adscribenda sit Imperatori, neque hæc contraria sunt ex suprà *tit.* 9. relatis, ubi dictum in explicatione definitionis reservatorum, ea non dependere à concursu
227 vel consensu Statuum in exercitio, quia intelligi debet consensus comitialis, non certi collegii Ordinum; ab illo enim consensu universali si qua jura Cæsarea pendeant in exercitio magis ad comitialia, quàm reservata propriè dicta referenda videntur, quanquam jus propositionis Cæsareæ, obfirmationis placitorum comitialium, & similia, si quis ad reservata reducere, vel sub his sensu latiore comprehendere velit, non est, cur
228 dissentiamus. Ampliùs & decimò tertiò in reservatis numeramus jus auctoritativum arrogationis, item decimoquartò jus legitimandi spurios, quæ jura hîc intelligi debent ut universalia, respectu totius Imperii eoq; sensu de reservatis sunt; nec mi-
229 nùs decimoquintò jus dispensandi de legib⁹ positivis, ad quam speciem pertinent, concessio factionis testamenti, quæ ab Imperatore his, qui eam jure communi non habent, tribui potest, *l. pen. ff. qui test. fac. l. si quando.* 34 *pr. C. de inoff. test.* item dispensatio de gradibus nuptiarum lege positivâ prohibitarũ, ne liberorum legitimo statui obsint, *per l. qui in provincià.* 57. *ff. rit. nupt.* item gratiosa restitutio, *l.* 1. *ac tt. C. de sent. pass. ac rest.*
230 & quæ similia sunt. Verùm hæc jura Statibus Imperii communicata hodiè esse usu constat, ac suprà relatum est, nihilominus quòd Imperator per totum Imperium exercere possit, & sic ea jura & id genus alia, eminentiori modo adhuc habeat, rectè asseritur suprà assertum, ea sc. adhuc reservatis accensenda esse,
231 quorsum & referendum decimosextò jus confirmandi, quod Cæsareæ Majestati competit respectu eorum, quæ à Principibus

bus

bus & Statibus peraguntur, ut sunt transactiones, pacta successoria, statuta, privilegia aliaque negotia, quibus Cæsarea confirmatio publicum robur addit; quarum rerum exempla passim obvia sunt, & aliqua prius relata, eoque faciunt textus. *l. adoptio 38. ff. de adopt. & l. si Senat. 31. ff. de rit. nupt.* Reichshofr. Ordn. *tit. 2. in princ.* Sed missis hisce devenio ad consideratio- 232
nem illorum jurium, quæ in *const. Frid.* expressa *& d. tit* 10. enumerata ac declarata fuerunt, non jam verò illius tituli scopus hic repetendus est, nempe quæ singula illa jura sint, ætate Friderici pro regalibus habita; sed an hodienũ Imperatori competant, nec adempta, sed in reservatis ponenda sint? Ubi ex ordine primum occurrit jus armandiarum, sive armorum publico 233
rum, quod hodiè dubio procul diversam obtinet à veteri instituto formam atque naturam; Imperatoris enim olim fuit, exercitus Imperii conscribere, ac in hostem ducere vel jubere duci, præsidia Imperii nomine locis congruis disponere & omninò eorum, quæ bellum publicum concernebant, præ aliis supremam curam gerere; ast hodiè hæc sollicitudo merè co- 234
mitialis est ex lege *Instr. Pac. art. 8. § gaudeant.* quinimò & an- 235
te pacem Westphalicam curam rei militaris Imperii ad comitia relatam fuisse docent leges Imperialis militiæ *Recessui Imperii* de an. 1570. subnexæ, multisque punctis adauctæ & emendatæ in *Rec. Imp. de anno* 1641. à §. bey den andern Puncten. 31. *cum multis sequentibus.* Sanè Carolus Quintus Imperator, ut 236
copiæ Imperii expeditioni Romanæ & pro ritu coronationis destinatæ, quæ fuerunt equirum quatuor, ac peditum viginti millia, contra Turcas hostes ducerentur, liberè legitur consensisse *in præf. Recess. Imp. de anno* 1522. Vix tamen hoc satis urgens suppeditat argumentum pro supremo armorum jure reservato, quia illarum copiarum utique in numero libera videtur 237
Ordinum Imperii fuisse promissio, & si vel maximè eo adhuc tempore hoc jus in reservatis fuisset, per recentiores tamen Imperii leges jam relatas, ab eo esset recessum; quod si perpenda- 238
mus jus armorum particulariter, respectu certi principatus vel

districtus

districtus terrarum haud dubiè hodie territoriale est, quod non tantùm leges circulares suprà explicatæ, sed usus etiam ac bellorum experientia testatur, dum territorialis militia auspiciis domini territorii conscribi alique solet, ex quibus colligi dixeris jus armandiarum hodiè de reservatis amplius non esse, quatenus sc. hæc comitialibus ac territorialibus ju-
239 tibus contradistinguntur; nam universale per Imperium armorum jus ex deductis nostrâ ætate comitiale, particulare ve-
240 rò territoriale est; putem tamen haud negandum, directionem militiæ Imperii comitiali auctoritate conscriptæ ad Imperatorem referri, quod vel ex *d. Rec. Imp. de anno* 1641. multis locis liquet, nominatim ex §. So wollen wir. 37. § wir haben aber. 42. *cum tribus* §§. *proximis* §. weniger nicht. 49. &c. cui rei etiam usus modernus adstipulatur, dum quæ copiæ circulorum Statuumque vicinorum sunt, non minùs quàm Cæsareanæ curâ & directione victoriosi Ducis Ludovici Serenissimi Principis Badensis, pro publicâ tutelâ per aliquot an-
241 nos Gallis hostibus ad Rhenum oppositæ fuerunt. Huc & facit suprema cura in exterorum regum rerumve publicarum delectibus per Imperium permissis Imperatori relicta, *arg. Rec. Imp. de anno* 1594. §. demnach setzen. 28. *cum* §. *sequ.* Secundum quæ jus armandiarum sive armorum, etsi non quoad auctoritatem conscribendi vel hospitandi militis Imperialis, tamen quoad potestatem directionis hujusce militis conscripti, non obstante pacificatoriâ lege, quæ hunc casum non expressè
242 complexa est, in reservatis numerari haud immeritò poterit; nec videtur conscripta militiæ directio, conscriptionis vel hospitationis auctoritati similis, quippe cum militia sine capite dirigente vix consistere, minùs Imperio utilis esse queat contra hostes, & aliæ leges publicæ hanc facultatem Impe-
243 ratori satis clarè tribuant, ut per appendicem verborum *d.* §. *gaudeant.* ibi: *nihil horum aut quicquam simile*, directio Imperatoria armorum Imperii præclusa non appareat, hoc igitur sano sensu armorum Imperii, barbaro nomine, armandiarum jus

jus Cæſari adhuc ſalvum in reſervatis decimo ſeptimo loco ponere licebit. Succedunt viæ publicæ, quarum jus, hodiè 144
ipſum quoque territoriale eſt, ſed ſano ſenſu, nimirum quoad curam & proviſionem Principum Ordinumque in ſingulis territoriis, quæ res jam jure Romano priſcis provinciarum Præſidibus injuncta fuerat, videlicet, ut curarent publicam ſecuritatem in provinciâ commiſsâ, uti patet ex *l. congruit*, 13. *ff. de off. præſ.* Ac multò magis Principibus & Statibus Impe- 145
rii noſtri convenit, quorum jurisdictio non ut veterum Præſidum Romanorum temporalis, ſed perpetua eſt & ad ſucceſſores de ſanguine cum dignitate & officio porrigitur, hinc & publicâ lege demandatur in *Rec. Imp. de anno* 1548. §. ferner zu noch mehrer. 20. Nihilominus tamen viarum publica- 146
rum ſuprema diſpoſitio politica adhuc Cæſari rectè aſſeritur; nam & nomen manſit Käyſerl. gemeiner freyen Landſtraſſen, & ſi quid contrà committatur, mandata decernuntur contra 147
Principes, Status vel Nobiles immediatos de non impediendo uſu viarum publicarum, unde vias publicas hodienum ſupremis juribus Cæſareis adſcribunt *Sixtin. de regal. c.* 4. *n.* 9. 10. & 11. *Roſenthal. de feud. c.* 5. *concluſ.* 20. *n.* 5. *Bocer. de regal. cap.* 2. *num.* 1. *Beſold. in theſ. pract. voc.* Landſtraſſen, *Knipſchild. de civ. Imp. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 112. quanquam minimè negandum, ad Dominos territoriorum, Principes, aliosque Status de regalibus juribus inveſtitos, hoc jus ordinarie intra territorium pertinere, quà de re ſuo loco, atque ſenſu jam dicto viæ publicæ decimum octavum jus reſervatum erunt. Ea- 148
dem ratio fluminum eſt, uti enim non dubitatur, hodiè ad Principes & Status referri fluminum jura publica, ita ſupremam diſpoſitionem, ſi quid contra jura aut Imperii leges in fluminibus committatur, Imperatoris eſſe, nec hodiè ambigi debet, quæ res navigabilia flumina, noſtro idiomate Schiffbare Ströhme, maximè complectitur, licet flumina minora, quatenus navigabilibus aquas ſubvehunt, non excludi de-

249 beant, sed pari jure habeantur in *Const. Frid. de Reg.* Hujus
argumenti sunt privilegia de piscaturâ, ultra territorium conces-
sa, quale Fridericus Tertius Imperator inclytæ Reip. Franco-
furtensi ejusque piscatoribus civibus tribuit in Mœno flumi-
ne, videlicet ut & infra Francofurtense territorium, flumine
secundo, quod genus piscatorii navigii dicere solent Thal-
farth, & suprà, flumine adverso, quod ex usu vocatur Berg-
farth, piscari liceret, quatenus tenor privilegii permitteret;
250 hinc cum illustriss. Dn. Comes de Offenbach, certis locis à
superiore parte, usum piscandi Francofurtensibus piscatori-
bus prohibuisset, ac piscantium retia hac de causâ ablata fuis-
sent, proximo anno in Camerâ Imperii mandatum super pi-
251 gnoratitiâ constitutione petitum ac decretum est, quæ lis ad-
huc pendet, estque insuper nota celebris controversia illustris-
simæ domus Hanoviensis contra Electorem Moguntinum cir-
ca navigium Hanoviense Ordinarium, vulgò Marck-Schiff,
ex quibus & similibus supremam fluminum publicorum curam
252 nomine & jure Imperii adhuc Imperatoris esse, atque in reser-
vatis decimo nono loco hic non immeritò poni, dubitare non
debemus. Portuum & ripaticorum non absimilis ratio vide-
tur, sed rara in Imperio, adhuc verò rariora Cæsareæ disposi-
tionis exempla, quando portus in locis mari conterminis ha-
beri solent, ripatica verò ex Principum Ordinumque, quo-
rum territoria amnes interfluunt auctoritate, pro transvectio-
ne personarum & rerum de unâ ripâ ad alteram, statui deter-
minarique, adeò ut ferè hæc res arbitraria censeatur, non ta-
men negandum arbitror, si quis vel in præstationibus portuum
253 vel ripaticis excessus appareret, Imperatoris & circa has res
jurisdictionem esse, quòd nullibi lege vel usu contrario ex con-
tradictione stabilito fuerit adempta & multò magis ipsa
harum pensitationum concessio, ut species vectigalis Impera-
torii juris censeri debet; itaque eo sensu & hæc jura suis re-
254 servatis complecti liberum foret, sed exempla subsunt ra-
riora, vectigalia ac telonia jam ante relata, quòd adhuc in re-
serva-

servatis sint intuitu concessionis, quanquam Electorum consensui obstricta, declaratum est, quæ res claro insuper testimonio Recessus Imperii de an. 1576. §. daburch dann. 117. satis obfirmatur ponderando verba: sondern will auch diß alles zu unserer Kayserl. besondern Hoheit und reservaten, dann so wohl zu unserer Käyserl. und der Churfürsten reputation Veracht- Schmählerung und Abbruch de facto durchgebracht und fortgesetzet werden. In contextu sc. proximè 255
præcedenti de vectigalibus mero facto usurpatis mentio & relatio expressa fuit, quam usurpationem Imperator Maximilianus II. ad præjudicium suorum reservatorum, suum item & Electorum contemptum vergere adstruit, adeoque ex publicâ hac Imperii lege patet, concessionem vectigalium adhuc hodiè in reservatis numerandum esse, alioquin usurpationes ejus- 256
modi sine privilegio Cæsareo non rectè dicerentur ad præjudicium Cæsareorum reservatorum exerceri, distinctèque satis præjudicium reservatorum ac honoris contemptus profertur, quorum illud ad solum Cæsarem redundet, hic Cæsari & Electoribus pariter ex usurpatione vectigalium illicitâ inferatur. Neque tamen dubitandum est, jura vectigalium & similia 257
olim aliâ ratione Cæsaris fuisse, quàm hodiè; nimirum antiquitus ad Imperatorem reditus ex vectigalibus publicis pertinebant, sive hæc publicanis elocata fuissent, sive per publicos exactores perciperentur, planè in Imperio Romano-Germa- 258
nico usque ad ætatem Caroli IV. Imp. vectigalia potiora ad Rhenum Cæsarei juris fuerunt, & ab eo demum tempore in Electores Palatinos sunt translata; sed hodiè præter concedendorum vectigalium potestatem, quæ & ipsa ut prius dictum in exercitio, Electorum consensui per capitulationes alligatur, nihil superest quod in juribus Cæsareis numeremus, dum vectigalia, quæ in regnis vel provinciis patrimonialibus Imperator habet, sub alio, quàm Cæsareo respectu, ejus sunt. Monetarum jus non solum Frideri- 259
cus Primus Imperator sub regalibus complexus est in *constit*,

suprà explicatâ, sed idem passim etiam in Recessibus Imperii suprà *tit.* 10. jam allegatis pro Cæsareo regali habetur; ast verò in eâ conditione, ut soli Cæsari competeret, non per-
260 stitit, sed Statibus multis communicatum est, ac Bohemiæ Regibus ex antiquo competiisse jus illud cudendi monetas, eosdemque in continuâ possessione ejus fuisse, Bullâ suâ Aureâ testatur Carolus IV. *tit.* 10. ibidemque Cæsareâ auctoritate non tantùm facultatem monetarum ex prisco usu Bohemiæ Regibus obfirmat, sed ad Electores quoque cæteros per speciem privilegii dispositionem eandem extendit, adeò tunc temporis rata fuerunt monetarum privilegia, sed posteà magis magisque aliis etiam, non Principibus tantùm, sed inferioris etiam conditionis Statibus concessa fuerunt, sic ut tunc respublica ex multitudine monetaria jura exercentium, laboret, & gravissima sæpius per abusum in reprobis monetis
261 sentiat dispendia; hinc Imperator Maximilianus Secundus meritò pœnam interminatur amissionis privilegiorum his, qui aliter quàm lege licet, monetas cudi formarique curarent in *Rec. Imp. de anno* 1570. §. da aber jemand 127. & §. alsdann auch. 132. ubi gravissimis verbis rectè asseritur:
262 Die Müntz-Gerechtigkeit seye keine Mercanz, sonder ein Kayserlich Regal, so die Müntz-Stände nicht zu ihrem selbst gesuchten Vortheil, sondern dem H. Reich zu Ehren und Wolfahrt brauchen sollen. Quod si igitur hoc non fiat,
263 jure reservato Imperator utitur & sollicitè rectèque curat, ne respublica ex depravatis nummis quid detrimenti capiat. Duos verò casus hac in re discernere debemus, sc. excusionis reprobæ pecuniæ, & neglectæ animadversionis in trans-
264 gressores; in utroque Cæsar pro supremâ Reip. Curâ Partes officii interponit, sed ad diversos effectus; nam illâ specie, ubi Status fabrefactione sequioris monetæ in leges publicas peccant, ex allegatis textibus locum habent pœnæ amissionis
265 privilegiorum, quas pœnas ipso usu servari præsentium temporum

porum multiplices abusus, omninò suadent, quos nisi severitas legitimarum pœnarum cohibeat, ne irreparabile damnum Imperio ex monetis ærosis attrahatur, maximè metuendum est, casu posteriore non pariter ex legibus Imperii amissio privi- 266
legiorum imminet, sed ex edicto monetario Ferdinandeo sollicitudo puniendi transgressores ad circulos refertur sive constatus monetarios cujusque districtus, ultimoque si ne hi quidem sufficientem debitamque diligentiam præstiterint, ad Imperatorem hæc publica cura transit. Käyser Ferd. Müntz-Ordn. §. So dann ein solcher. 163. & §. würde aber die Obrigkeit. 165. Posteà tamen contra Status negligentes 267
& inobedientes hac in re pœna suspensionis privilegii monetarii constituta legitur in Recessu Imp. de anno 1566. §. Wir ordnen. 169. Ubi tamen ad negligentiam requiritur præcedens scientia vel denunciatio delictorum magistratui facta; nam ex eo solo, quòd delicta in loco commissa sint circa rem 268
monetariam, culpa vel negligentia publica coargui nequit, dum hoc genere peccari solet occultè; hinc Edictum præallegatum, ad constituendos locorum magistratus in culpâ requirit denunciationem anteriorem, sed & cessationem Principis vel domini loci, cui denunciatio facta, *dd. textib.* & præcipuè d. §. Würde aber die Obrigkeit. in verbis: nach beschehener Anzeigung auch säumig oder nachlässig. 2c. 269
quod tanto magis intelligendum est obtinere, quando de suspensione privilegii quæstio est, cum edictum denunciationem illam delicti & subsequentem Statuum moram exigat saltem & effectum, ut in subsidium negligentiæ, Cæsarei fiscalis imploratio & cura succedat; & consequenter multarum emolumenta hinc percipiat; plus verò punitur, qui à pri- 270
vilegio monetarum planè suspenditur, quàm qui tantùm ab exercitio pœnæ contra delinquentes uno vel altero casu excluditur: ergò tunc ad effectum suspensionis, tantò magis scientia delicti vel denunciatio est requirenda, imò denunciatio & mora ad solam negligentiam desiderantur, ad pœnam

verò suspensionis privilegii ex *d.* §. wir ordnen, inobedientia
271 insuper requiritur, quæ sanè dolum præsupponit inobedientis, ut quis studio ac sciens in suo territorio delinqui in leges monetarias, reluctetur Cæsareæ dispositioni, quâ non venia danda sit delinquentibus, sed pro defensione ac tutelâ legum
272 ipsiusque Reip. merita dictanda pœna; ea quippe intentio videtur constitutionis, ut legibus publicum præsidium, quod Status non præstant, observantiâ pœnarũ ab Imperatore deferatur, cui sollicitudini qui resistunt, inter inobedientes nec injuriâ referri possunt, unde sequitur, eos, qui de negligentiâ ple-
273 nè convicti eamve confessi non sunt, haud debere vel inter refractarios numerari ad effectum suspensionis privilegii, dispendiive mulctæ pecuniariæ, vel pro exclusis officio haberi quoad certos casus, cum utrobique negligentia ut fundamentum
274 præsupponatur, & priore specie insuper reluctantia dolosa, quanquam si cui ab Imperatore injunctum foret, ut in hos vel illos justis suspicionibus gravatos legitimè inquirat, isque supersederit officio, haud immeritò dici queat, eum esse inobe-
275 dientem ad effectum suspensionis privilegii; reverà enim hic dum non paret, pro inobediente haberi poterit. arg. *l. contumacia.* 53. §. 1. *&* §. 3. *ff. de re jud.* maximè si pluries ac diversis vicibus monitus vel jussus non obtemperâsset; tale enim præceptum Cæsareum vel publica admonitio majorem vim habere debet denunciatione privati, & cessatione subsequente.
276 Hæc verò res eveniente casu ad commissarios Cæsaris solet deferri, uti multis exemplis liquet, neque tamen vel condemnatio pœnæ vel executio, nisi in confessos, aut convictos rectè procedet, quòd hæc consentanea esse juri communi constet, & haud dubiè in constitutionibus Imperii supponantur, licet in probatione doli vel negligentiæ jura quoque perspicua ac perurgentia admittere soleant indicia,
277 uti notum est. Cæterum hæc ipsa mandata, quibus Cæsar singulos Status jubet dictare pœnas legitimis monetarum trans-

transgressoribus & omnino leges monetarias observare, juxta *Rec. Imp. de anno* 1570. §. und zu ferneren. 146. *& Rec. Imp. de Anno* 1576. § derhalben. 81. ostendunt jus Cæsareum hac quoque parte reservatum, quod adeò numero vigesimo ponere licebit, exemplo simili, quo suprà concessio vectigalium in reservatis numerata est, quamvis à consensu 278
Electorali dependeat, ac strictius adhuc, quàm jus monetarium, quippe in quo licet consensus Electoralis desideretur, non tamen collegialis unanimis, ut in concessione vectigalis requiritur, *Cap. Leop. art.* 21. *junct. art.* 34. Succedunt mulctæ & pœnæ, quarum jura in tribunalibus Imperii utplurimùm exercentur, & compendia fisco cedunt Cæsareo atque eatenus pœnæ & mulctæ sunt de reservatis adhuc hodiè; nam quatenus jure ordinario territorii vel Status impo- 279
nuntur, ad dominos locorum pertinent; eaque consideratione de his in materiâ jurium territorialium dici congruè poterit, nec verò dubium est, quando de pœnis ex constitutione Friderici quærimus, sintne adhuc hodiè de reservatis, intelligi tantùm pœnas pecuniarias; id enim suadet vox *compendia* in textu ibi posita, quæ nec pœnis corporis afflictivis, 280
nec quibus infamia irrogatur, rectè potest attribui, non quòd plane negandum sit ista pœnarum genera de reservatis esse, cum haud dubiè ad supremæ jurisdictionis exercitium etiam referenda sint, sed quòd extra argumentum inveniantur præ- 281
sentis puncti, quo quænam jura Friderícianæ legis & quatenus de reservatis adhuc hodiè sint, sub examen vocamus, & hoc quidem sensu, pœnæ & multæ ut suprà jam relatum, ita differunt, quòd illæ ex lege, hæ arbitrio judicis determinentur, item quod illæ certæ ac propter auctoritatem legis, sc. si de facto constet, sint inappellabiles, hæ contrà se habeant. Addit Sixtinus ex Rebuffo, Borcholt. & aliis, tract. 282
d. Reg. c. 10. *n.* 23. hanc ulteriorem pœnarum mulctarumque diffe-

differentiam, quòd his nondum determinatis præscribatur anno, non verò illis, cujus rei fundamentum ponunt in *l. un.* §. *fin. ff. si quis jus dic. non obtemp.* ideoque juxta Sixtinum *d. l.* si quid præceptum fuerit sub mulctâ certâ, & præcepto non fuerit obtemperatum, post annum mulcta declarari non posset;
283 verum hæc sententia nec ex textu allegato pervincitur, nec solidâ ratione vel usu firmatur; nam quod ad textum attinet, argumentum de judicio pœnali habet, quo quidem, ut ex contextu patet, vindicatur contemti judicis auctoritas, & parti jussui ejus in actu extremo renitenti pœna judicio pœnali, quanti ea res est, sive pro modo admissi arbitraria, infertur; illud verò judicium dicitur post annum non dari, tanquam pœnale & odiosum, in quo magistratus silentio anni videtur pœnam re-
284 misisse, haud verò illud asseritur, judicio instituto debere declarari mulctam intra annum & omnium minimè id, quod verbis relatis Sixtinus censuit, quod præceptum pœnale, ni
285 mulcta intra annum declaretur, irritum fiat, ut jam declarari amplius nequeat, quia casus *d. l. un.* nec continet tale præceptum, quo judex sub pœnâ aliquid ab initio injunxerit, sed quo ad actum executionis, quem textus per extremum jurisdictionis videtur intelligere, simpliciter more sc. Romano
286 perduci jusserit, huic si pars jussa non obtemperet, ad mulctam magistratui tenetur pœnali judicio, quod ut intra annum instituatur, textus requirit, non verò, ut mulcta intra annum declaretur; ergò ex citato textu vel alio, quia nullus talis habetur, opinio Sixtini aliorumque adstrui haud quaquam potest; ratio etiam huic asserto satis clarè obstat, quia cum continua sit præcepto pœnali haud obedientis contumacia, absurdum fuerit propter lapsum anni solvi comminationem mul-
287 ctæ, ne amplius determinati vel declarari possit; usus præterea judiciorum, præsertim Imperii, planè contrarius est, dum post multos sæpè annos postque multas sententias paritorias, declaratoria sequi solet, iis plerumque casibus, quo mulctam arbitrio

arbitrio judex comminitatus est in mandato, nec lex ipsa pœnam certam determinavit, secundum quæ insuper habenda erit postrema illa mulctarum pœnarumque differentia, 288
quòd ex deductis declaratio non in pœnis tantum, sed & in mulctis post annum salvo jure fieri possit, & sæpè ita fiat in Imperii tribunalibus. Verum hisce missis specialiter considerandæ erunt mulctæ pœnæque, quæ hodienum sunt de reservatis; huc ergò primò pertinent causæ fractæ pacis publicæ, 289
quantum ad pœnam pecuniariam bis mille marcarum auri, cujus Pars dimidia Cæsareo fisco debetur. Handhabung des Friedens, de anno 1495. tit. wie der Landfried zu halten gebotten und verpoenet ist. Item Ordn. des Landfriedens, *de anno* 1521. *tit. eod.* Quin & in genere huc referri debent causæ fiscales, quatenus mulctarum pœnarumve compendia habent, quarum exempla suprà relata fuerunt, ac varia in jure communi occurrunt. *Add. Ord. Cameralis p.* 2. *tit.* 20. 290
per. tot. ubi §. *fin.* regulam ponit, omnes causas, quæ vel jure communi, vel ex *Const. Imp.* ad fiscum spectant à procuratore fisci sub disceptationem vocandas esse, sed notanda personarum differentia est, num immediatè Imperatori & Imperio subsint nec ne, ut priori specie compendia ex mulctis & 291
pœnis Cæsareo fisco, posteriori regulariter Principum Statuumque ærario debeantur, arg. *Cap. Leop. d. art.* 27. quo loco Principum Ordinumque Imperii vasalli & subditi, si ex crimine læsæ Majestatis vel aliter, confiscationis pœnam incurrant, bona amittunt excluso fisco Cæsareo, è quibus feu- 292
dalia domino feudi, allodialia verò domino territorii acquiruntur; neque id tantum in casu universalis bonorum confiscationis, sed etiam in speciebus, quæ in commissum cadunt, obtinet; veluti, si vectigalia fraudentur; dubio procul enim dominus vectigalis, non fiscus Cæsareus emolumenta commissarum specierum percipit, quod usus per Imperium passim demonstrat; quin etiam mulctandi jus contra 293

privatos, regulariter ad Principes & Sratus locorum dominos pertinet, subsidialiter verò & in casu negligentiæ ad Imperatorem, uti prius ex edicto Ferdinandeo, in delictis mone-
294 tariis, dictum est; speciale autem censendum, quod de pœnâ pecuniariâ fractæ pacis publicæ dixi, quanquam confiscatio universorum bonorum ex hoc crimine adhuc ad *d. art. 27. Capitul.* ex generali ejus dispositione referri debeat; item speciale habendum, quòd ex causâ violati privilegii Cæsarei pœnam insertam incurrant contravenientes etiam privati, & sic pro tenore privilegii ad summam fisco Cæsareo hinc obvenientem
295 conveniri possint; læditur enim quodammodo & velut immediatè majestas concedentis privilegium ex contraventione etiam à privatis, præsertim cum universis & singulis privilegii observantia sub interminatione pœnæ demandetur, eaque etiam cognitio in puncto contraventionis videtur Imperato-
296 ris esse, arg. *l. ex facto. 43, pr. ff. de vulg. & pup. subst.* Atque hæ sunt pœnæ, ad emolumentum fisci Cæsarei ex legibus vel privilegiis pertinentes. Mulctarum porrò compendia, quæ arbitrio determinantur, velut in rescriptis vel mandatis, fisco etiam Imperatoris cedunt, & de stylo Cameræ quidem pars dimidia pro tenore mandati, altera enim dimidia parti impetran-
297 ti defertur. Solent verò pœnæ mulctæque ut plurimum certo marcarum auri numero describi, prout facti qualitas graviorem vel leviorem animadversionem efflagitare videtur, v. g. bey 10. bey 20. Marck löthigen Golds 2c. plerumque tamen in mandatis sine clausulâ decem marcarum auri mulcta expri-
298 mitur; ubi non prætermittenda mentio est valoris marcæ, ea, ut *Covar.* scribit *de vet. numm. argent. n.* 4. proportionem habet ad veterem libram Romanam, octo unciarum, sive, quæ est bessis ad assem, ut sic proportio sesqui-altera sit Romanæ libræ, cujus toties in legibus Justinianeis fit mentio, ad nostram marcam, nec illa duas marcas, uti quidem ex vulgi usu, & si rem ex partibus marcæ sedecimis, quas libra nostra usualis gemi-

nas

nas habet, dicendum videretur, ſed marcam cum dimidiâ
complectatur; cum itaque Romana libra juxa leges Juſti- 299
nianeas ſeptuaginta duobus ſolidis æquiparetur *in l. quoties-
cunque. 5. C. de ſuſcept.* & verò ſolidus, communiore opinione
aureo Hungarico, quem ducatum vulgò vocamus, æquiva-
leat, marca autem auri ſeptuaginta duos aureos florenos ſive
Rhenanos Goldgülden, contineat, ſive non aginta ſex Impe-
riales thaleros, cujus monetæ aurei ſc. floreni Rhenani par
proportio eſt ad ducatum, quem Covarruvias refert eſſe mar-
cæ ad libram Romanam, fit ut ſatis exacta appareat marcæ 300
noſtræ ſupputatio & comparatio. Quemadmodum autem li-
bram duplicem referre ſolent Doctores, ponderalem ſc. & nu-
meralem vel nummariam, quarum prior in menſuris rerum,
poſterior in pecuniariâ ſolutione exercetur, ſic mulcta marca-
rum auri, ſub quâ in Imperii tribunalibus per comminationem
aliquid injungitur, quæve extremè inobedientibus tandem per
ſententiam declaratoriam injungitur, absque dubio, non pon- 301
deralis, ſed numeralis eſt, ut ſic condemnati non appendere
aurum debeant, ſed ſolvere pecuniam prædictæ ſummæ,
pari ratione, ut ſi quis in Galliâ, vel Britanniâ ad certum nume-
rum librarum eſſet condemnatus, haud quaquam tamen, quæ
temporum belli iniquitas eſt, floreni argentei minores, quibus 302
nunc utimur, ſufficerent duplo numero ad aureos Rhenanos
ſive proportione ſesquialterâ ad Imperiales, ſed ſicut pleris-
que Imperii regionibus jam placuit, interim dum aliud conſtituatur,
ex valore interno ad normam conventionis Lipſiacæ proportione du-
plâ florenis uſualibus reſpondentem Imperialem thalerum, pari valore
externo recipi, ita in mulctis Imperialibus marca auri non ad duplum 303
numerum aureorum Rhenenſium, ſed Imperialium thalerorum, æſti-
manda erit; adeoque marca auri in pœnis & mulctis non 144. ſed 192.
florenos jam nunc uſuales efficiet, ſed de his ſatis; & jam abun-
dè conſtat legibus uſuque, jus mulctarum pœnarumque Im-
perialium in reſervatis eſſe, quod adeò undeviceſimum nu- 304
mero. In conſtitutione Friderici ſequuntur bona vacantia, quo-
rum jus ex legibus Romanis ad fiſcum Cæſareum pertinere haud

 dubi-

dubium est, & suprà jam assertum; Verum hodiè jus bono-
rum in quolibet territorio vacantium ad Principes, Status
ac Dominos territoriorum referri debet, atque sic casus vel
nullus vel valdè rarus est, quo fisco Cæsareo ex bonis vacan-
305 tibus quid obveniat, aliud obtinet in feudis ab Imperatore &
Imperio recognitis, quæ ex decessione familiæ vasallorum
ad jus plenum Imperatoris recidunt, ita sc. ut ex his insignio-
ra, putà regalia absque consensu Electorum aliis in feudum
conferri nequeant, sed Cæsareo fisco incorporanda sint. *Cap.
Leopold. art.*30. Quorum tamen bonorum feudalium à vacan-
306 tibus priscis diversa conditio est, dum ex consolidatione do-
minii utilis cum directo per aperturam, Imperator jus quæsi-
tum habet ante omnem occupationem, neque ante appre-
hensionem ea bona, ut verè vacantia, nullius, sed Impera-
toris esse, idque propter dominium directum cum utili consoli-
307 datum, dici debeant; quare non puto, sensu proprio hoc exem-
plum feudi aperti bonis vacantibus respondere, & quia priva-
torum bona vacantia ad dominos territoriorum pertinent, in
Statuum verò & Nobilium immediatorum bonis vix vel raris-
simè casus datur, ut pro vacantibus haberi debeant, jus hoc
308 prætereundum, atque omittendum videbatur, sed nihilomi-
nus in bonis Statuum Nobiliumve Imperii allodialibus, si ita
contingeret, desertis, aut vacantibus, quin jus supremi Impe-
309 rii obtineat, nihil est quod obstare censeamus; sic & si quo
casu eveniret, solitudines locorum in Imperio relinqui, negli-
gentibus dominis territorialibus, Imperatoris quoque suprema
cura videretur prospiciendi, ne hac ex parte Respublica pate-
310 retur detrimentum. Igitur hoc quoque jus inter reservata ac
duodevicesimum licebit ponere. Similis est ratio in bonis,
quæ ut indignis auferuntur legibus contrahentium incestas
nuptias; condemnatorum ad ultimum supplicium, vel pro-
311 scriptorum; nam hæc quoque, quatenus privatis adimuntur,
territorialia regulariter hodiè sunt, *arg. d. art. Cap.* 27. in imme-
diatis

diatis tamen (licet rarior usus sit) reservatis accensenda, quæ adeò numerum explent vicesimum tertium, vicesimum quartum & vicesimum quintum; haud dubia verò est horum 312
jurium respectu nostræ ætatis & temporum Friderici differentia, quando tunc regalia plura Imperatoris fuerunt, quæ postea dominis territoriorum, vel cujusque fisco particulari cesserunt, ut verosimile appareat, tunc & in privatis bonis Cæsari vel fisco Cæsareo sua jura fuisse. Sed hæc hodiè in immedia- 313
tos contingente casu exercerentur. Porrò inter reservata referendum vicesimo sextò venit jus cursus publici, cui hodiè postæ nomen, sed diversâ iterum ratione ac olim; hoc enim jus tempore veteris Imperii in perceptione angariarum & parangariarum constitit, dum equos cursorios & paraveredos, 314
provinciales alere tenebantur sumptibus suis, ut suprà fuit explicatum; ast hæc onera non jam Imperatori, sed territorio- 315
rum dominis præstantur à subditis, quanquam durante bello non desint exempla, quibus ad publicas necessitates velut ad subvehendam annonam militarem, tormenta & reliquos belli apparatus Duces Cæsarei vel etiam Commissarii vicinos Status equos plaustraque poscerent; quod imaginem quandam veteris angariandi vel parangariandi juris præ se fert, eadem & navium exigendarum aut quandoque propter usus bellicos arre- 316
sto obstringendarum ratio esse solet; sed Status onera talia magis voluntate & in Remp. amore atque erga Imperatorem reverentiâ, quàm præcisâ juris necessitate, utique quoad quantitatem vel numerum indictionis, agnoscere hodiè & præstare 317
videntur; certè illud patet, ab his ipsis jus postæ Imperialis modernæ toto cœlo discrepare; nec enim amplius sumptibus provincialium aluntur equi cursorii, sed eorum, qui postis sunt præpositi, qui vicissim hinc sua ex literarum aliarumve rerum commissarum transportatione sentiunt compendia; estque hodiè jus postarum nihil aliud, *quàm suprema de cursu publico Imperium disponendi potestas*, quæ Imperatori com-

 petit;

318 petit; hinc in *Rec. Imp. de anno* 1641. *§.* übrige. 93. post-regal. & in *art.* 35. *Capitul.* Leopoldo Augustiss. Imperatori adscribitur in verbis unser general-Obrist Reichs-Post-Ampt,
319 quod in feudum conceditur, uti ex contextu apparet, & quidem juxta rescriptum Leopoldinum Pragense de dato 13. Febr. 1680. Comiti (hodiè Principi) de Thurn, Valsassinâ & Taxis, cujus adeò curæ superiori quotquot sunt per Imperium Magistri postarum subjiciuntur, ac in his, quæ directionem cursus publici concernunt, parere tenentur, adeoque non est ambi-
320 gendum, posse generalem postarum Imperialium præpositum excessus vel defectus inferiorum hac in re corrigere, vel pro circumstantiis etiam mulctam his dictare, arg. *l. cui jurisdictio. 2. ff. de jurisd. l. un. ff. si quis jus dic. non obt.* sive etiam ex causâ prægnante, maximè si peccata circa cursum
321 publicum non correxerint, eos ab officio suspendere aut prorsus removere, aliosque substituere, arg. *d. rescr. Leopold.* in verbis: Item Straff und Buß der Post-Bedienten und Post-Verwandten, so sich in ihren Aemptern und Diensten ohngebührlich erzeigen, auch sonsten ingemein, und insonderheit allen und jeden, so den general-Postmeister-Ampt oder dessen inspection anhängig 2c. vide Dn. *Mulz.* hoc rescriptum Cæsareum integro tenore exhibentem in *repræsent. Imp. Majest. p. 2. c. XI. pag.* 439.
322 *& sequ.* Ex his sequitur officium hoc generale non auferendum vasallo, nisi illis casibus, quibus domino feudi id jure permittitur; colligere licet ulterius hoc feudum esse regale;
323 habet enim annexam dignitatem officiumque regale, inspectionem nimirum ac sollicitudinem vicariam cursus publici, quo intuitu consequens porrò est, officium hoc individuum esse; nec enim plures dari postarum præpositos generales,
324 adeoque ratio facit, dum filii plures sunt hujusmodi præpositi, post patris obitum non nisi uni primogenito forte, vel alii juxta modum concessionis Cæsareæ officium obvenire, sicut aliàs

aliàs jure feudali cautum constat, ne feuda regalia dividantur, 2. *F.* 55. §. 1. *vers. præterea.* Hoc loco notanda differen- 325
tia est postæ Cæsareæ Imperialis & Cæsareo-Aulicæ, quarum illa ab Imperatore per totum Imperium dirigitur, unde & nostrâ vernacula nomen Käyserl. Reichs-Post, hæc verò tantum per regna ac provincias hereditarias, ut mandata Cæsarea commodiùs in quasque horum regnorum vel provinciarum partes perferantur ab aulâ, & rursus ad Cæsarem & aulam undecunque referantur. Hoc discri- 326
men postæ Cæsareæ duplicis ostendit ipsa Capitulatio Invictissimi Imperatoris nostri. *d. art.* 35. *ibi*: insonderheit aber der damit general belehnte Reichs-Postmeister wieder alle von unserm Kayserl. Hof-Post-Ampt, von jenem biß dahero im Reich beschehene oder noch ferner anmassende Eingriff und Verschliessung absonderlicher Ampts-Paqueter gehandhabet, & infrà: Hingegen unser Käyserl. Erb-Land und Hof-Post-Ambt bey seiner in Anno 1624. erlangter investitur und deß general Reichs-Postmeisters auff dieselbe ertheilte Revers, in den Erb-Landen gantz ohnbeeinträchtiget verbleiben und dabey geschützet werden solle. Ubi apparet, controversiam inter utriusque 327
hujus postæ præpositos fuisse de commodis pecuniariis literarum, & ita lege capitulationis decisam, ut in Austriâ & cæteris provinciis Imperatoris compendia percipiat epistolarum, quæ ad aulam Imperatoriam perferuntur, aulicæ postæ præpositus, qui dicitur esse Comes de Paar, in terris verò Imperii, præpositus postæ Cæ- 328
sareæ Imperialis; controversiam eandem pluribus refert *Dn. Mulz. d. cap.* XI. *n.* 46. *& sequ.* Absque dubio autem hoc 329
intelligendum de epistolis non immunibus, pro quibus sc. postæ consueta pensitatio præstanda, id quod probat ipse textus capitulationis *d. art.* 35. *ibi*: Vermittelst der Reichspostenan-

ankommender und abgehender Brieff und Paqueter ge-
330 gen erhebendes billiges Postgeld gelassen rc. Itaque Imperatoris, majorum Ministrorum & Consiliariorum literæ, quia immunes sunt à taxatione postæ, *Hornigk de jur. postar. c. 6. n. 6. & sequ.* sub istis non comprehenduntur. Unus est locus, qui ex Constitutionibus Imperii reservato Cæsareo juri postarum
331 videtur objici posse, nimirum Recessus Imp. Spirensis *de anno* 1542. §. und damit man. 45. in verbis: wollen gemeine Stände Ordnung geben, daß derhalben ein Post an gelegene nahe Stadt gelegt unterhalten werde. Sed si rem accuratè consideremus, hic textus reverà non obstat; neque enim posta illa fuit generalis per Imperium, quæ sc. est de reservatis Cæsareis, sed certo loco extra ordinem instituta ad finem maturæ communicationis eventuum belli Turcici,
332 unde minus rectè jus postæ generalis supremum Statibus communicatum, aut in illos translatum quis urgeret; neque enim hoc in illo textu dicitur, sed simpliciter postam à Statibus ordinatam, cui Imperator cur se opponeret, nihil causæ habebat, videlicet, cum hoc institutum ad Reip. utilitatem collimaret, nec juri Cæsareo supremo ac generali circa postas
333 Imperii quicquam derogaret. De cætero ea est cursorum Cæsareorum publica securitas, ut tùm ipsi, tùm personæ & res, quas duxerint secumvè portaverint, speciali Cæsaris protectioni subsint, ideoque in violatores deprehensos graviùs soleat animadverti, ac licet hodiè cursus publicus non amplius ut
334 olim solis negotiis publicis, sed privatorum etiam commodis, velut ductu securiore personarum transportatione epistolarum aliarumve rerum frequentissimè serviat, non tamen ea propter amittit principalem naturam suam vel scopum primævi instituti, atque adeò publicis cursoribus hodienum vel maximè incumbit, probè curare Cæsaris vel Reip. negotia sibi commissa, idque & cursu veloci, & fide erga personas, quas publico nomine comitantur, & fideli epistolarum rerumque,

quas

quas transpotant exhibitione; hæc breviter de postis. Vige- 335
simò septimò regalibus reservatis adnumeranda est suprema
collectarum Imperii dispositio; ea plerumque speciem su-
perindicti habet; consueta enim patrimoniorum onera sive
tributa, Schatzung oder Landsteur, dominis territoriorum
præstantur, quâ de re suo loco; sed collectæ Imperii diver- 336
sæ conditionis sunt; Imperatori enim vel Imperio ad publicam
necessitatem vel utilitatem præstantur, quo omninò referen-
da est collatio extraordinaria ad felicissimam expeditionem re-
galem, cujus mentio fit *in c. un. quæ sint reg.* suprà expli-
cato; haud negaverim fodrum, quod vocant, Imperatori 337
& exercitui ejus Italiam ingresso ab incolis præstari suetum, pro-
ut post *Otton. Frising. l. 2. hist. c. 12. & Radev. lib 2. c. 5.* de-
scribitur *à Lehm. Chron. Spir lib. 5. c. 67. p. m. 539.* subintel-
ligi posse cum Cujacio & Hottomano; sed minimè tamen
fodrum solum generalia verba extraordinariæ hujus collatio-
nis explere censeo, atque sic etiam pecuniarias pensitationes, 338
velut hostenditias, quas dicunt, ex 2. *F.* 40. quatenus in adju-
mentum Imperatoriæ expeditionis solvuntur, includi, secun-
dum ea, quæ suprà scripsi. Nec solum expeditionem Roma-
nam, dum Imperator (ponamus ita, nam id hodiè ex suprà
dictis minus usitatum) cum exercitu Romam venit accepturus
coronam à Pontifice, & Remp. moderaturus; sed quam- 339
cunque aliam forte contra Turcas vel quoslibet Imperii ho-
stes susceptam locum facere collationi arbitror, quæ ad jura
Cæsarea in constitutione Friderici refertur: neque his nunc
pluribus insisto, quando hujus loci argumentum concernit
non tam explicationem veterum jurium Imperialium suprà
jam factam, quàm reservationem pro statu præsenti. Secun- 340
dum hæc igitur, cum Romana expeditio maximè celebris
esset, certa contributionis norma singulis mensibus præscri-
pta, inque libro æstimi publici, quem vulgò matriculam Im-
perii appellant, prodita fuit, ex quâ re constat, quantum

quemque Principem vel Statum contribuere oporteat per singulos menses durante expeditione, & hic est frequentissimus ille ad normam expeditionis Romanæ introductus collectarum Imperii publicarum modus, vulgò Römermonath oder
341 Reichs-Steuer nach dem Römerzug. Alius ætate Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum obtinuit ad mensuram cujusque patrimonii ut plurimum indictus; dico, ut plurimum: nam in personis Judæorum capitatio fuit, atque ista contributionis publicæ species nomen communis denarii vel nummi pensionarii habuit, Anschlag nach dem gemeinen Pfen-
342 ning, & pro re natâ minutior fuit vel auctior; vid. Königl. Satzung von dem gemeinen Pfenning de anno 1495. per tot. Erklärung des Landfr. de anno 1500. tit. von dem gemeinen Pfenning. *Rec. Spir. Imp. de anno* 1542. §. und wiewol. 50. *cum* §§. *sequ. Rec. Imp. de anno* 1544. §. als wir aber. 26. vers. und demnach *Rec. Imp. de anno* 1545. und nachdem. 12. *Rec.*
343 *Imp. de anno* 1551. §. nemlich alss. 102. *cum* §§. *prox.* par hæc collectandi ratio fuit illi, quæ nostro tempore in Batavis exercetur ad normam proportionis ducentesimæ, uf den 200sten Pfenning, dum posterioribus illis Imperii recessibus de annis 1542. 1544. 1545. & 1551. de millenis singulis, quos quis, quibuscunque bonis in substantiâ haberet quinque florenos, sive de centum dimidium, quæ ipsa proportio est solutionis singu-
344 lorum de singulis ducentis, pensitare debuit; igitur inter duas collectarum Imperii formas hoc discrimen præcipuè intercedit, quòd contributio communis denarii fuerit universi patrimonii, contributio verò expeditionis Romanæ bonorum tantùm immediatorum, quæ quisque his tributis obnoxia ab Imperatore & Imperio recognosceret; quemadmodum verò collecta communis denarii per universum Imp. magnam pecu-
345 niæ vim sine dubio effecit, sic multa confusio evitari vix potuit propter incertitudinem æstimationis patrimoniorum; hinc
346 Status Imperii priorem collectæ modum ad normam expeditionis Romanæ, ut expeditiorem elegerunt in Comitiis Augu-
stanis

ſtanis *de an.* 1548. *teſte illius anni & loci Receſſu* §. wiewol num. 95. ibi: vermög deſſelben alten Anſchlags des Römer-zugs / welchen dann die Ständ gemeiniglich dißmal / von mehrer Richtigkeit wegen / gewilliget ꝛc. Et poſtea ſanè prior 347
collectarum forma ſola in uſu remanſit, juxta quam duo Statibus curæ fuerunt, nempe ut juſta eſſet taxationis Matriculæ adæquatio; deinde ut arbitrarium votum comitiale circa numerum menſium; hinc quoad prius membrum, dum plures territorii ſui vel ditionis æſtimationem matricularem graviorem conqueſti ſunt, deſiderata eſt moderatio matriculæ, ſed quia hæc res facti eſt, exploratio vel ad circulos vel commiſſarios re- 348
jecta fuit eo fine, ut univerſalis & adæquata in facto cognoſceretur, ac pòſt introduceretur proportio; ea verò res ultimam adhuc deſiderat manum; quanquam exempla non deſint eorum, hac noſtrâ præſertim ætate, quibus moderatio matriculæ Statibus nonnullis benignè fuerit obtenta; ſollicitudo altera usque adeò in votis extitit circa collectas, ut Status quoad hanc materiam nollent majoribus obſtringi, certè hic articulus, num in collectis Imperii majora locum habeant, deliberationi ulteriori & conventioni publicæ reſervatus eſt per tabulas *Pacis Germ. art.* 5. §. *in cauſis*. unde colligere licet, & quæſtio- 349
nes de collectis Imperii, quo numero præſtentur comitiales eſſe, & hanc ipſam de pluralitate votorum, juxta *Inſtr. Pac. d. l.* nondum deciſam, imo ne in hunc quidem diem lege aliquâ publicâ, quæ hac de re non extat, reſolutam. Quòd verò Im- 350
perator ſupremum collectarum Imperii jus hodienum habeat, tùm inde conſtat, quod idem jus ex *Conſt. Frid.* ſæpè allagatâ ei competat, nec ademptum ſit, tùm ex *Rec. Imp. de anno* 1576. doch ſeynd wir. 27. ſatis apparet, ubi Imperator promittit, ſe curaturum, ne pecuniæ collectarum ad alios quàm belli Turcici uſus convertantur, deſuperq; etiam, ut id fieret, ab Ordinibus dicitur eſſe imploratus, ergò neceſſariò penes Imperatorem adhuc jus collecta- 351
rum erit, cùm alioquin nec de hac ſollicitudine fuiſſet à Statibus imploratus, nec eam probabiliter in ſe ſuſcepiſſet; haud relevat, ſi quis contrà

 inſtet,

instet, hanc curam officii Cæsarei esse & ad administrationem referendam, quia jura omnia, quæ ad officium Cæsa-
352 reum quà tale pertinent, inferunt aliquid, quod Imperatori, supremo capiti competat, adeoque in reservatis haud immerito ponuntur; nam licèt Imperium pupilli, Imperator verò tutoris administrantis, quæ comparatio & in aliis regnis Reip. cum Regibus esse solet, vices subire videatur, haud dubiè tamen administratio Imperii publica, ab administratione tutelæ privatâ, ut suprà jam consideratum est, multis modis discrepat, & vel in hoc maximè, quòd jura regni admini-
353 stranda, ad minimum usu & exercitio legitimo, regis ipsius, sint, secus verò se habeant bona & jura pupilli quoad tutores,
354 qui planè aliena administrant; accedit quòd Imperator huic vel illi ex numero Ordinum, collectas ex toto vel ex parte, gratiosè possit remittere, utique si Reip. hæc talis gratia haud noceat, quod in tutoribus vel curatoribus privatis ite-
355 rum non obtinet. Probat eandem sententiam adhuc ulterius *Recessus Imp. Noribergensis de anno* 1522. *in princ.* ubi Carolus Quintus Imperator Belgradi sive Albæ Græcæ occupationem per Turcas commemorat, tum subsidia Statuum, videlicet quatuor millium equitum ac viginti peditum sibi pro expeditione Romanâ repromissa, cautiùs eo tempore in bellum Turcicum converti subnectit, quam in rem ipse liberè con-
356 senserit ibi: Haben wir auß freyem Willen zugelassen, bewilliget, auch mit Churfürsten, Fürsten und Ständen, und deroselben Bottschafften allhier vereiniget, daß solche vier tausend zu Roß, und zwantzig tausend zu Fuß, in aller maß dieselbe uns von den Ständen des Reichs zugesagt sind, und darnach weiter erklärt wird, zu Widerstand dem Türcken 2c. gewendet und gebraucht wer-
357 den sollen. Quòd si Imperatori non competeret suprema hæc subsidiorum Imperii dispositio, sed res meri esset officii, jam ante ad hoc Carolus Quintus obstrictus fuisset juris necessitate,

sitate, & per consequens in eam mutationem ac conversio-
nem militiæ Imperii haud consensisset prorsus liberè, id quod
tamen in verbis suprà allegatis Recessus Noricus manifestè
expressit, eadem verò utique ratio est & in pecuniis, militi- 358
bus ad publicos usus Imperatori repromissis, ergo utrobique
etiam eadem hac in re debet esse dispositio. Quanquam ve- 359
rò hæc ita planè sese habeant, tamen dubitandum non est,
ipsique Recessus Imperii pervincunt, pecunias collectarum
Romanæ indictionis vel expeditionis, haud in alium, quàm
destinatum finem publicæ sc. defensionis esse convertendas,
idque satis ad literam patet ex d. §. doch seynd wir ꝛc. Itaque
jus reservatum in collectis Imperii de numero eorum est, quæ 360
exercitio restringuntur, quanquam suprema dispositio ad-
huc Imperatori competat, ejusque etiam exercitium salvum
sit extra restrictionem. Novissimè hac in materiâ non præ-
tereundum est, continuatis jam per multos annos Gallico 361
iterato, & Turcico simul bellis novam indictionis speciem,
quâ Status aliqui minores, quique armis valent, ac præci-
puè urbes Imperiales sub certâ summâ annuâ, in tributum
vocantur, nomen assignationis huic collectæ datum, quæ in
aulâ Cæsareâ determinatur, & Principibus majoribus Impe-
rii, in adjumentum sustentationis exercituum, quos ultra
portionem matriculæ alunt, & contra hostes publicos ducunt,
vel aliis copiis jungunt, solvitur; quæ res sumptis à tam fune- 362
sto bello Gallico initiis, cum & Turca ab oriente immineret,
nec vel contributiones consuetæ, vel priores contribuendi
modi reprimendis ac propulsandis potentissimis hostibus,
sufficere viderentur, dum hæc scribo, jam in octavum an-
num continuata publicè invaluit, non tamen hac novâ for- 363
mâ, anterior collecta, quæ juxta matriculam & menses ex-
peditionis Romanæ taxari consuevit, censeri debet sublata es-
se, cum ista tantum provisionalis sit, & nullâ lege de tali ab-
rogatione veteris collectæ constet; hoc amplius ipsâ assigna-

364 toriâ collectâ reflecti dicitur ad matriculam & secundum ipsam determinari summa contribuenda; igitur in modo indictionis differentia est, quòd jam non in Comitiis mensium contributionis numerus deliberetur, & statuatur, sed arbitrio aulæ Cæsareæ, quod tamen ut arbitrium quodlibet ex bono & æquo intelligendum erit, sc. respectu adæquationis, & ne Statuum quis præ alio valdè gravetur. arg. *l. si libertus.* 30.
365 *pr. ff. de oper. lib. & l. qui gravatos. 5. C. de cens.* Sanè ad hunc modum non tanti ut olim referret, obtinere moderationem matriculæ, si ex suppositione contrariâ, quod benignitate moderationis demptum quantitati matriculari esset, liceret addere numero mensium, cum utique non intersit,
366 præstet quis collectam quadraginta mensium, quorum singuli æstimentur florenis quinquaginta, an verò pecunias octoginta mensium, etsi singuli valeant tantum viginti quinque; summa enim utrobique duorum mil-
367 lium erit. Verum de his satis, illud pluribus repetere superfluum puto, an collecta Imperii, quæ in bellum publicum erogatur, ordinaria sit vel extraordinaria, quòd jam suprà *tit.* 10. ostensum sit, quæstionem hanc magis disceptari de nomine; nam prout collecta alio vel alio sensu ordinaria dicitur, affirmari aut negari quæstio po-
368 terit; si qua verò collecta, sive ordinariam qualitatem ex lege metiamur, sive ex certâ atque stata præstatione, extraordinaria dicenda est, hæc assignatoria nova est, cum neutro sensu ordinariam habeat qualitatem, utpote ex necessitate belli duplicis introducta, & ratione præstationis temporum varia, nec lege, sed arbitrio de-
369 terminata; hæc de collectis publicis, quæ & quatenus belli tempore indicantur; pauca subjiciam de exactione, ea per constitutiones Imperii demandatur procuratori fiscali, ita sc. ut ad pœnam agat adversus moro-
370 sos; quâ de re *vid. Recess. Imp. Spir. de anno* 1542. §.

Damit

damit auch solcher Ordnung. 69. *Recess. Imp. de anno* 1557. §. und soll der Käyserliche Cammer-Procurator. 51. *Recess. Imp. de anno* 1570. §. Es sollen auch Cammer-Richter. 34. *Recess. Imp. de anno* 1576. §. weiters nach dem. 16. §. daneben sollen auch. 18. & §. damit dann unser Fiscal. 19. *Recess. Imp. de anno* 1582. §§. *iisdem. Rec. Imp. de anno* 1594. und damit unserer Käyserl. 15. *Rec. Imp. de anno* 1598. §. da aber einiger Stand. 16. Hi processus 371
fiscales vel ad pœnam banni vel pecuniariam loco ejus introductam solent institui, per *text. Recess. cit.* supponuntur autem in his duo, sc. comitialis consensus circa collectas, 372
adeoque facta repromissio, deinde mora solvendi subsequens, ut ex *alleg. Recessuum textibus* apparet, ex quibus requisitis primum minus congruit novissimæ collectarum formæ assignatoriæ. Cæterum licet fiscales hi pro- 373
cessus viæ celeriori debeant disceptari, tamen haud sufficiens ex omni parte præbent remedium accelerandis in subsidia Imperii collectis, tùm quòd Status nonnulli nihilominus morosi sint, tùm quòd fiscales etiam processus 374
moram aliquam desiderent. *Conf. d. R. de annò* 1576. *d.* §. weiters nach dem. & *Rec. Imp. de an.* 1598. §. und als wir hiebey. 23. Neque prætereundum hoc loco est, Status Imperii haud præcisè de bonis patrimonialibus vel reditibus ordina- 375
riis teneri solvere has collectas, sed datam ipsis facultatem esse subcollectandi ad hanc rem suos subditos, ita tamen, ne quid amplius indicant vel exigant, quàm præstatio cujusque matricularis deposcit, quæ quidem clausula restrictiva partim 376
apparet in illis Imperii Recessibus, quibus subcollectatio subditorum Statibus est concessa, multoties enim immediatè subnecti solet hæc appendix: doch höher und weiter nicht, dann so fern sich einer jeden Obrigkeit gebührende 377
Anlag erstrecken wird, conf. *Rec. Imp. de anno* 1548. §. wiewohl nun. 95. *Rec. Imp. de an.* 1557. §. So solles derwegen. 49. *Rec. Imp. de anno* 1566. §. dieweil nun. 41. vers. so

soll

soll. *Recess. Imp. de anno* 1576. §. und nachdem 11. verf. So soll. *Rec. Imp. de anno* 1582. §. und nachdem 10. verf. eod. *Rec. Imp. de anno* 1594. §. nachdem nun. 9. *Rec. Imp. de anno* 1598. §. dieweil dann. 11. *Rec. Imp. de Anno* 1603. §. nachdem es nun. 17. *Rec. Imp. de anno* 1613.
378 §. nachdem es. 7. quæ res argumento est, collectas extraordinarias haud promiscuè permitti, sed si causa publicè probata subsit, qualis est defensio Imperii contra hostes, & tunc verò eum modum servandum, quem illa causa lege permitten-
379 te requirit. Sequitur ulterius: Status obligari de jure ad assistendum Imperatori in bellis publicis contra Imperii hostes, quod non tantum probant juramenta fidelitatis præstita, sed etiam præcitati Recessus, quibus singulorum portio contribuenda, vocatur eine gebührende Anlag, hisque & simili-
380 bus verbis obligatio indigitatur, quæ res adhuc clariùs elucescit ex *Rec. Imp. Spir. de anno* 1542. §. und damit solches. 18. in verbis: und darauff bey Pön der Acht gebieten, daß jeder Stand sein aufferlegt Volck bestelle, und abfertige; omnium verò clarissimè ex *Rec. Imp. de anno* 1641. §. und
381 demnach. 86. ubi hæc leguntur verba disertissima: zumahlen jeder Churfürst, Fürst und Stand, vermög des Landfriedens, auch dessen Handhabung und darauff fundirter Executions-Ordnung, und auch anderer Reichs-Constitutionen, das Heil. Röm. Reich, so wol vor außwend- als inwendigen Feinden, mit und beneben uns aller Möglichkeit nach beschützen und defendiren zu helffen, auch die darzu nothwendige Mittel pro quotâ beyzutragen schul-
382 dig und verbunden ist. Sicut igitur ex hactenus deductis suprema collectarum Imperii dispositio adhuc rectè in reservatis juribus ponitur, ita obligatio Ordinum ad collectas non
383 minus certa, & quæstio, an collectæ ad publicam tutelam vel salutem Imperatoris & Imperii præstandæ, extra dubium ponenda est, quæstio verò, quanti ad cujusque vires vel opes restrin-

restringitur in relatis verbis aller Möglichkeit nach, quam rem, sive comitiali concluso, sive arbitrio Cæsareo determinetur, ex bono & æquo temperandam, paulò antè deductum est, & hac moderatione salvâ, non apparet, quâ ratio- 384
ne quis Status communi oneri, cui pro salute Imperii obstringitur, nisi fortè eum vires opesque prorsus destituant, se subtrahere possit, unde neutralitas, quam vocant, sive media statuum conditio in bello nominatim excluditur, per *d.* §. und demnach. præter has verò collectas sunt adhuc aliæ 385
contributiones, quæ non universis Statibus, sed urbibus Imperii incumbunt, vocantur hinc nostro idiomate, der Reichs-Städt Steuer, hæ statæ & ordinariæ sunt pensitationes, quæ Imperatori à civitatibus Imperii adhuc præstantur, uti experientiâ constat, de his accipiendus articulus 29. *Capit. Leop.* in verbis: So sollen und wollen wir neben 386
andern die Reichs-Steuer der Städte, und andere Gefälle, so in sonderer Personen Händ gewaschen, wiederum zum Reich ziehen; neque dubitandum, omnes Imperii civitates huic oneri contributionis ordinariæ ac statæ subjici, quotquot sese, privilegio expresso vel præscriptione immemoriali, quæ vice ejus est, haud exemerint, de cætero adhuc hodiè sunt, qui contributiones urbium ordina- 387
rias per gratiam Cæsaris impetrent, quibus ex concessione Imperatoriâ hæc compendia quotannis solvuntur, quæ sanè argumentum præbent supremi juris Cæsarei; quòd si quis distinguat à collectis bellicis has contributiones, quia annua contributio est, & ordinaria sive pacis sive belli tempore, nec universorum Ordinum, sed civitatum Imperii, haud exemptarum, facilè admittet reservatorum jurium hic poni vigesimum octavum. His verò minus conveniunt, quæ ab omni- 388
bus Imperii Principibus & Statibus, solvuntur ad sustentationem Cameræ Imperialis, annuæ pensiones, quarum dispositionem Status Imperii permisere Cameræ, cujus destinan-
Nnn tur

tur alimentis, ut non fiscali, sed susceptori pensionario Imperiali, dem Reichs-Pfenningmeister, præstari soleant, de
389 quibus suo loco plura. Vigesimum nonum reservatum asseri potest potestas constituendorum magistratuum, ea antehac præprimis ex Imperii Vicariis & Palatinis, quos Imperator constituere solebat, in variis Imperii partibus, satis manifestè perspiciebatur, ac præsertim etiam in terris Italiæ, cui rei documento sunt ea, quæ contingere consueverunt adveniente in eas terras Imperatore, cujus tanta fuit apud Italiæ Proceres & magistratus veneratio auctoritatisque
390 supremæ agnitio, ut universi magistratus insignia deponerent, ac Imperatoriæ confirmationi novæ submitterent. Rem hanc post Radevicum ita describit *Lehmann. d. c. 5.* Wann ein
391 Römischer König oder Käyser in Italiam kommen, daß erstlich alle Hertzogthum, Marggrafschafften, Grafschafften, und in Städten die Burgermeistere des Reichs-Ampt ledig worden, und weltliche Fürsten, Grafen, und Burgermeister, einem König oder Käyser, dieselbe zu ihrer Ankunfft in ihre Händ mit gewissen Zeichen gelieffert, als wie noch heutiges Tags in den Städten des Reichs bräuchlich ist, daß man einem Käyser oder König die Schlüssel der Stadt lieffert, und hiemit das Regiment der höchsten Obrigkeit des Reichs, in welches Namen Burgermeister und Rath in Städten die Obrigkeitliche
392 Verwaltung tragen, resignirt und übergibet, idemque in regalibus in more receptum fuisse addit, ut Cæsareo fisco compendia tunc cederent, tandemque verbis ex *Radev. lib. 2. cap. 5.* transcriptis subjicit: quicunque donatione regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterant, is etiam nunc Imperiali beneficio & regni nomine
393 idipsum perpetuò possideret. Etsi verò dignitatum regalium & consulatuum resignatio, de quâ Radevicus & Lehmannus *l. c.* tantùm ad eum finem collimâsse, ne quis privatâ

au-

auctoritate his uteretur, vel, si usus fuisset, in posterum abstineret, adeoque haud promiscuè necessaria fuisse videatur; quorsum enim attineret aut dignitates aut officia re- 394
signare, si indubia fuisset concessio & legitimus usus; tamen efficax hinc testimonium præbetur potestati supremæ Cæsareæ circa constituendos magistratus; verum hujus tituli consideratio est non de antiquo, qui fuerit tempore Fri- 395
derici, sed præsenti statu, an & quatenus potestas Cæsarea circa magistratus hodienum sit in reservatis, cessat verò dubio procul majorum dignitatum officiorumque publicorum resignatio adveniente Cæsare. Ubique tamen Imperii ei ut supremo capiti politico maxima submissio & veneratio exhibetur, cessat etiam Comitum Vicariorum quales vice Cæsareâ in diversis Imperii provinciis jus olim dicebant, creatio, quanquam comitivæ dignitatis concessio aliàs hodienum 396
haud sit infrequens; locum verò habet investitura de feudis Imperii, quâ Ducum, Marchionum, Comitum &c. sublimia & perpetua jura conferuntur, hi Principes ac Proceres hodienum secundum excellentiam ipsi illi magistratus sunt, quorum constitutio in lege Friderici inter regalia refertur, ac hodiè in Imperii recessibus, Germanica vox Obrigkeit, pas- 397
sim hoc sensu legitur, ut includat Principes & Status Imperii & præsertim frequentissimè in ordinationibus Politicis, sanctione criminali Carolinâ, & edicto monetario Ferdinandi, cujus specialiter considerandus epilogus in §. dann allem nach. 180. jung. *Recess. Imp. de anno* 1654. § wann sich auch. 109. ibi: So soll gegen die schuldhafften Obrigkeiten, so wol als deren geordneten Unterrichter. Facilè tamen ad- 398
miserim, vocabulum magistratus, quo sensu quondam apud Romanos in usu fuit, non exhaurire sublimitatem status, in quo versantur hodiè Electores, Principes & Ordines nostri, quia tunc merum officium designabat publicæ administrationis, & quidem temporalis, hodierno verò ævo jus perpetuum vice

Imperatoris concessum intra terminos cujusque territorii; sed
missis hisce de constitutione magistratuum dicendum est, ea
399 hodiè, quod ad Principes ac Proceres nostros attinet, regula-
riter magis confirmationis speciem habere videtur; perveni-
unt enim vel electione vel successione ad jus Principatus &
territorii, alterutro verò modo investitura superveniens con-
400 firmat jus anterius quæsitum, neque quod de investiturâ jure
feudali proditum est: per eam jus feudi obvenire va-
sallo, aliter intelligendum, quàm de investiturâ pri-
mi acquirentis, nec ad renovationem investituræ, quan-
quam hæc quoque sub præjudicio amissionis feudi intra
annum & diem petenda, extendi debet. Secundum hæc igi-
401 tur non est, ut vasallis Imperii majoribus pro præsenti statu, no-
men magistratuum, strictâ & priscis usitatâ significatione at-
tribuamus; etenim feuda majora electione vel successione
acquiruntur, & cum annexis juribus ad successores perveni-
unt, in quorum personâ per recognitionem novam, ex suprà
402 traditis confirmantur, quæ tamen ipsa confirmatio, quin ad
jura reservata pertineat, & ad punctum de magistratibus
constituendis, referri queat, utut suppositis hisce terminis non
sit præcisa collatio, dubitandum minimè est. Verum casus
aperturæ diversum jus infert in feudis secularibus, cum nimi-
403 rum tunc nova collatio ad Imperatorem revertatur, quod per
Bullam Carolinam expressum est in Electoratibus *tit. 7. vers.*
si verò aliquem, eademque ratio est cæterorum Principatuum
secularium vel comitatuum, ut si quo casu deficiente stemma-
te, sanguinis successorem non invenerint, nova collatio ad
Imperatorem pertineat; hæc autem apertura vel contingit
per mortem, vel per vasalli delictum, ubi prior species agnatis
404 extinctis accidit, posterior ab eodem stipite descendentibus
jus non aufert *ex 2. F. 39.* atque adeò hic casus non suberit re-
servatæ novæ collationi, sanè etiam tunc, quando apertura
fit per mortem vasalli, jus novæ collationis hodiè restringi-
405 tur in exercitio, atque alligatur consensui Principum Electo-
rum,

rum, ut suprà jam dictum ex *Cap. Leop. art.* 30. unde potestas constituendorum magistratuum, si juxta Imperii leges hoc nomine etiam Principes & Status complectamur, est de reservatis in feudorum investituris novis ac primis, eorum videlicet, qui annexa habent magistratuum jura, quin enim tunc hæc collata sint per investituram, dubitare non oportet, quamvis etiam tali casu jus hoc reservatum ex deductis sit 406
restricti exercitii, & magistratus sic constituti eminentiâ juris perpetui territorialis valdè differant ab antiquis. Adhuc verò ulterius hoc jus reservatum in magistratibus propriè dictis obtinet illis nempe, qui juri dicundo per officium collatum merum præpositi sunt, ut judices in tribunalibus Imperii; horum enim, contra quàm Hippol. à Lapide scripsit, constituendorum potestas Cæsaris est, sed pro diversitate judi- 407
ciorum diversimodè; nam in Camerâ Imperii Judicis & Præsidum creatio Cæsarem respicit, Assessorum præsentatio ὡς ἐπὶ τὸ πολλὺ ipsos Status; in tribunali supremo Aulico, Dicasterio item Rottwilensi ac cæteris inferioribus & particularibus judiciis aliter se res habet, quippe cum ad Imperatorem tota judicii constitutio tam Assessorum sc. quam Judicum 408
referatur, de quibus dicendum puto paulò exquisitius. Quod igitur Cameram Imperii attinet, etsi constitutio judicis antehac ad comitia relata fuerit, & ex consensu Ordinum facta vi- 409
deatur in Comitiis Imperii *de anno* 1495. teste ejus anni ordinatione Camerali Maximilianeâ Wormatiensi tit. Wie das Cammer-Gericht mit Richtern und Urtheilern besetzt werden solle, ibi: die alle wir mit Rath und Willen der Samnlung jetzt hier kiesen werden, & ne quis putet, intelligi his verbis solos Assessores, qui ibidem dicuntur Urtheiler, dictio universalis, die alle, ut relativa priorum complectitur etiam Judicem Cameræ, cum de illo, contextu prorsus eodem verborum, ibi fiat mentio; & scrupulum prætereà omnem eximit ordinationis ejusdem Maximilianeæ titulus

proximè subsequens, wie, nach Abkommen des Cammer-Richters, und der Urtheiler andere gesetzt werden sollen;
410 ubi non tantùm Assessorum, der Urtheiler, sed ipsius etiam Judicis Cameræ nova constitutio vacantibus officiis relinquitur Imperatori de comitiali consensu; sic enim disertis verbis cautum ad finem *dicti tituli*: wie nach Abkommen &c. ibi: biß die nechste Versammlung, daß wir oder unser Anwald, mit Rath und Willen der Churfürsten, Fürsten und Ständ oder ihrer Anwäld einen andern Cammerrichter an des ab-
411 gegangenen Statt setzen. Quicquid verò hac in re obtinuerit tempore Maximiliani I. Imperatoris, vel anteà etiam, subsequens certè ætas ab hoc recessit, dum jus constituendi judicis Cameræ soli Imperatori absque ullo consensu Comitiali adscriptum, ceu videre licet (1) ex *Ord. Cam. de anno* 1521. *tit.* Besatzung Cammer-Richters und Bey-
412 sitzer. Sic & (2) Carolo Quinto ut Imperatori soli, & sine ullâ comitiorum mentione potestas attributa legitur constituendi judicis Cameralis in *Recess. Imp. de anno* 1548. §. und nachdem uns. 23. Quæ vestigia etiam secuta fuit Ord. Cameræ Ferdinandi Primi Imperatoris *p.* 1. *tit.* 1. §. Nemlich wollen die Römische Käyserliche Majestät.
413 Neque à Caroli Quinti tempore vix ullum exemplum apparet Judicis Cameræ comitiali Ordinum consensu constituti, sed omnes à solo Imperatore, qui tunc fuit, dati, receptique sunt, ut meritò hoc jus hodiè non comitiale, sed reservatum dicere debeamus, quæ res hoc amplius omni scrupulo caret ex lege pacificâ Imperii, uti con-
414 stat per *Instr. Pac. art.* 5. §. *præterea*, verbis: *Placuit, præter IUDICEM & quatuor Præsides &c. à SOLA CÆS. MAIESTATE constituendos, numerum Assessorum Cameralium ad* 50. *in universum adaugeri*; ubi simul & judicis & quatuor Præsidum Cameræ, qui judices vicarii Assessorum Senatibus diversis præsunt, constitutio Imperatori soli adscribitur, & sic sive respiciamus usum sive leges ipsas, de reser-

reſervatis Cæſareis eſt jus conſtituendi ſupremi magiſtratus in Camerâ. Hoc amplius ipſa jurisdictio Cameræ originariè 415 Cæſarea eſt, quod ſatis liquet ex *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 27. dum dicitur: omnes perſonas cauſasque Cæſareæ jurisdictioni immediatè ſubjectas ad Cameram referri, atque adeò à Cæſare tanquam fonte, cujus fuit & in quo continebatur, ad Cameram profluxit jurisdictio, perque ipſam diſpoſitionem *d. t.* 27. à Cæſare cenſeri debet Cameræ conceſſa; neceſſarium quippe eſt, cum penes Cæſarem ea jurisdictio præextiterit, quam Came- 416 ra jure magiſtratus exercet, Cæſareæ conceſſioni eandem ferri debere acceptam, id quod ad literam quoque expreſſum eſt, in *Ord. Imp. Aul. Ferd. III. glorioſiſſimi Imperatoris*, quæ ſc. horum temporum ut noviſſima, ita uſitatiſſima eſt, ubi *tit.* 2. §. So wollen wir ꝛc. hæc verba habentur: in denen Fällen, darinnen wir und unſere Vorfahren am Reich unſerm Cammer-Gericht concurrentem jurisdictionem zu mehrer Beförderung der Partheyen und unſerer Ubertragung mitgetheilt haben, cujus quidem communicationis manifeſtum argumentum præbet jam allegatus textus ordinationis Cameræ. *d. tit.* 27. hac ſaltem declaratione ſalvâ, 417 quòd non certi peculiares caſus vel pauci ſint communicatæ jurisdictionis Cæſareæ, ſed juxta diſpoſitionem *d. tit.* 27. comprehendantur omnes non nominatim excepti, adeoque in omnibus caſibus, qui per ordinationem Cameralem aliasvè Imperii leges non apparent excepti, jurisdictio Cæſarea Cameræ communicata cenſeri debet, ſed communicata tantum, non privativè translata, quâ de re extra præſentis tituli 418 ſcopum foret plura ſubjicere. Unde non mirum, potuiſſe adhuc aliud ſupremum Judicium ab Imperatore conſtitui, quod in Aulâ Cæſareâ juſtitiam adminiſtraret, huic noſtrâ vernaculâ, nomen des Käyſerl. Reichs-Hof- 419 Raths, & ampliſſima à Cæſare attributa jurisdictio eſt *d. tit.* 2. *Ord. Aul.* §. in unſerm Reichs-Hof-Rath. ꝛc. quæ Aulici conſilii jurisdictio etſi antehac in dubium vocata ſit, peculiari aliquo

aliquo authoris anonymi scripto, quod Lunderpius exhibet *tom.* 1. *act. publ. c.* 3. *p.* 7. *cum sequ.* semper tamen Imperato-
420 res eam propugnaverunt, & adeò quidem, ut suam hinc jurisdictionem & personam peti Rudolphus Secundus Imperator Electorum secularium legatis responderit apud Lundorp. *d. tom.* 1. *c.* 7. *pag.* 31. §. was fürters etlich. planè ipsimet Electorales legati in literis ad Imperatorem sic mentem suam declarant, ut non consilium hoc vel judicium Aulicum ipsum in controversiam trahatur, sed de abusu tantùm jurisdictionis querela sit, *vid. Lundorp. d. tom.* 1. *c.* 7. *p.* 67. §. ob nun wohl
421 Ihr Churfürstl. Gn. Quicquid tamen sit, judicium hoc supremum hodiè citra dubitationem satis est firmum, & haud obscurè probatur ex ipsomet *Instr. Pac. d. art.* 5. *§. ac proinde, jun. cto* §. *quoad processum vid. disp. mea* 1. *ad Rec. Imp. de an.*
422 1654. *th.* 56. *& sequ.* atque sic constat, potestatem constituendorum magistratuum etiam respectu supremi judicii Aulici de reservatis Cæsareis esse tantoque magis, quòd non ut in Camerâ respectu Assessorū divisum jus sit, sed eo quoq; intuitu constitutio judicii à solo pendeat Imperatore, ceu liquet ex *Ord. Aul. tit.*
423 1. *&* 2. Hinc judicium hoc Aulicum totum Cæsareum est, & meritò jus constituendi in reservatis ponendum, non obstante, quòd certâ ratione potestas constituentis restringatur veluti ad aliquos Assessores vel Consiliarios Aulicos recipiendos, qui Augustanæ Confessioni addicti sint, *d.* §. *ac proinde.* nam talis ex-
424 ercitii restrictio non tollit supremum jus reservatum, sed exercitium hoc respectu declarat. Cæterum erroneum est existimare teneri Imperatorem ad exæquationem numeri Assessorum Aulicorum ex utrâque religione, quia hoc non cavetur in lege pacis,
425 cujus verba in *d.* §. *ac proinde.* ita habent: *Cæsareaque Majestas mandabit, ut non solùm in isto judicio Camerali causæ Ecclesiasticæ & Politicæ inter catholicos & Augustanæ confessioni addictos Status &c., adlectis ex utraque religione pari numero Assessoribus, discutiantur & judicentur, sed idem etiam*

etiam in judicio Aulico obſervetur, huicque fini aliquot Auguſtanæ confeſſionis doctos & rerum Imperii peritos viros &c. adſciſcat, eo quidem numero, ut eveniente caſu paritas judicantium ex utraque religione aſſeſſorum obſervari poſſit. Quâ diſpoſitione non hoc dicitur: In judicio Camerali, vel etiam 426
Cæſareo Aulico tot præciſè conſtitutos eſſe oportere Aſſeſſores vel Conſiliarios Auguſtanæ Confeſſionis, quot fuerint Romano-Catholici, ſed hoc: Cauſas controverſas inter utriusque religionis Proceres vel Status, præſentibus aſſeſſoribus utriusque hujus religionis pari numero referri ac judicari debere; etenim ſi ipſum numerum Aſſeſſorum Cameræ legiti 427
mum, nempe quinquagenarium conſideremus, viginti quatuor quidem Catholici & totidem Evangelici ſive Auguſtanæ Confeſſioni addicti Aſſeſſores erunt, pro numero ſc. & jure præſentationis Statuum utriusque religionis, his verò adduntur duo Cæſareani Aſſeſſores per dictam legem Pacis, qui haud dubiè Catholici erunt, ergò ſic viginti ſex Catholicos 428
& viginti quatuor Auguſtanæ Confeſſioni addictos habituri eſſemus Aſſeſſores in Camerâ, ſi numerus legis expleretur, conſequenter numerum non prorſus parem in religione. Huic argumento & conſiderationi accedunt verba Inſtr. Pacis præmiſſa, quibus aſſeritur: *Cæſ. Majeſt. huic fini aliquot Aug. confeſſionis viros doctos & rerum Imp. peritos, vocaturam, ut eveniente caſu obſervari poſſit judicantium ex utraque religione paritas*; igitur ad literam Inſtr. Pacis ſufficere videtur, adeſ- 429
ſe aliquot Evangelicos, quibus in controverſiis utriusque hujus religionis Procerum Statuumque totidem collegæ Catholici ad- 430
hibeantur, ita nimirum par erit numerus tunc judicantium, licet non conſilii pleni, quod totum hiſce controverſiis dijudicandis cum effectu voti ſingulorum ſalvâ paritate intereſſe non poſſet; hunc Inſtrumenti Pacis ſenſum, præter verba adducta divæ memoriæ Imperatorem Ferdinandum Tertium habuiſſe, teſtimonium præbet ordinatio ejusdem Aulica §. Und dieweil die allzu groſſe. & §. Wir wollen auch. Conſtituit nimirum

431 Imperator in priore paragrapho, ut essent octodecim consiliarii Aulici computato Præside, & tamen in posteriore paragrapho sex tantum Augustanæ confessionis assessores se recepturum adstruit, allegatâ in ipsius effectu Instrumenti Pacis dispositione ibi: damit auff begebenden Fall die Gleichheit der Richter von beyderley Religion Assessorn
432 observiret werden möge. Quemadmodum ergò ex his apparet ad præcisè æqualem numerum assessorum utriusque religionis haud obstringi Imperatorem, quia si v. g. sex habeantur Evangelici, & multò plures sint Catholici, tamen eveniente casu controversiæ inter Catholicos & Evangelicos Principes vel Status, ad disceptationem ac decisionem causæ, sex tan-
433 tum Catholici assumi possent, & consequenter observaretur paritas numeri, quamvis collegium totum in utraque religione impar numero esset, ita minus verosimile videtur, si fortè unus tantum aut duo reciperentur satisfieri vel legi ordinationis Aulicæ, quæ sex determinavit; vel Pacis Germanicæ conventioni, dum aliquot saltem Evangelicos sive Augustanæ religioni addictos vocatum iri, ad finem paris numeri ob-
434 tinendum *d. l.* supponit, quæ vocula *aliquot* non tantùm uno, sed duobus etiam plures significatione usitatâ demonstrati non obstante, si res sic declaretur, ut unius Evangelici assessoris consensus vice plurium & parium habeatur, quia constitutio neutra, h. e. neque pacis lex, neque ordinatio Aulica
435 hunc sensum admittit; cur enim aliquot, aut nominatim sex Evangelicos recipi oportuit, si unius etiam recepti votum potestatem paris numeri haberet? Enimverò si rem
436 per se æstimemus, non tanti referre dixeris, unum esse in consilio vel aliquot Evangelicos, si penes unum intuitu Statuum Evangelicorum, cum Catholicis in Aulâ Cæsareâ disceptantium ea resideat auctoritas voti, ut nisi accesserit causæ Catholicæ partis, contra partem Evangelicam concludi legitimè nihil censeatur, quòd facilius certè, non difficilius reputetur, ex pluribus velut ex sex unum, quàm unum ali-

quem

quem ſolum Evangelicæ religionis aſſeſſorem, qui collegio 437
interſit, perſuaderi ad aſſenſum Catholicorum, neque is finis
eſt legis, ut religio favorem cauſæ in adminiſtratione juſtitiæ
inveniat, ſed ut immeritum odium evitet, adeoque ſine
diſtinctione Catholicæ vel Evangelicæ religionis, ea pars in
judicio vincat, quæ juſtiore causâ nititur, & pari quidem
exiſtente hinc Catholicorum pro Catholicis, illinc Evan- 438
gelicorum pro Evangelicis ſentientium Aſſeſſorum nu-
mero, ſine dubio nihil concluderetur, unius verò votum
accedentis ad diverſæ religionis ſententiam ſuperpondium
daret, ex quo fit, ut ſi duo tantùm Aſſeſſores ſint Evangeli-
ci, & plures Catholici, duobus autem illis, interpretativa 439
hæc deferatur paritas numeri, ex acceſſu unius Evangelici
ad Catholicos votum alterius conſortis in religione collegæ,
auctoritatem religionis nullam amplius retineat, ſed ſimpli-
citer locus ſit collectioni votorum ſecundum numerum; ex 440
adverſo, ſi unus è Catholicis conſentiret paucis Evan-
gelicis repræſentantibus paritatem numeri intuitu reli-
gionis, aſſerendum quoque videretur, majora pro Evan-
gelicâ parte ſtare, quemadmodum ſi actu pares nnmero
eſſent utriusque hujus religionis Aſſeſſores, & quis ex
Catholicis accederet voto ſuo conſentientibus cunctis 441
Evangelicis, hæc ſc. conſentanea ſunt ſuppoſitioni de pa-
ritate numeri Aſſeſſorum ex repræſentatione interpretativâ,
nimirum ut minor numerus & vel unius Aſſeſſoris votum
æquivaleat pluribus alterius religionis Aſſeſſoribus, quæ ex-
plicatio in hac Evangelicorum Conſilio Imperiali aſſi- 442
dentium paucitate ferè neceſſaria eſt, ne vel conſti-
tutâ paritate ex æquali numero, conſilium valdè par-
vum appareat, quod gravioribus negotiis minus convenit,
vel dum plures interſunt Catholici, lites forenſes in Au-
lico judicio inter Catholicos & Evangelicos, exclusâ pe-
nitus omni Aſſeſſorum utriusque religionis paritate,

443 formâ minus legitimâ disceptari dicantur. Unde colligere licet, posse hoc sensu plenum haberi consilium, si minori numero Evangelicorum attribuatur interpretativa paritas, non verò sensu altero, quo requireremus æqualitatem numeri actualis Assessorum in causis inter Catholicos & Evangelicos contro-
444 versis, quia numerus Evangelicor. Catholicis longè minor reclamare posset, quæ omnia procedunt quocunque ordine harum religionum diversæ partes in judicio versentur, sive loco actorum sive reorum, sive intervenientium, quos casus & Lex Pacis Germanicæ *d. art. 5. §. ac proinde.* & *Ordin Imp. Aul. d.*
445 *t. 1.* §. wir wollen auch. sigillatim complexa fuit. Neque dubitandum, quod ad paritatem religionis assidentium attinet, solos numerari Consiliarios actuales, sive qui in consilium introducti juramentum præstiterunt, & jus voti habent in causis ibi disceptatis, itaque meri titulares numerum hîc non faciunt, quod utraque Lex Pacis & Ordinationis Cæsareæ competens voti exercitium circa paritatem religionis, in assessore judicii
446 satis clarè præsupponat. Atque hoc est illud insigne jus reservatum, quod Imperator habet in constituendo toto judicio supremo Aulico; licèt restricto aliquatenus ex hactenus dictis exercitio, quo vel uno jure, & sententia anonymi auctoris suprà relata ac notata, quasi sc. Consilium Imperiale Aulicum non gaudeat supremâ jurisdictione, & Hippol. à Lapide opinio, quasi suprema Imperii judicia à solis dependerent Stati-
447 bus, manifestè refellitur; & tantò magis quidem, quòd per leges recentiores hoc jus non Imperatori propriè conces-
448 sum, sed competere declaratum sit. Ejusdem etiam considerationis est potestas constituendi judicii Rotvvilensis & ab origine institutionis, quæ Conrado Tertio Imperatori adscribitur, & per tot seculorum decursum merè Cæsarea, unde Status Imperii, ut vetera omittamus, adhuc hodiè nec judicem constituunt, neque assessores huic dicasterio, neque etiam leges ordinant, sed omnia hæc Cæsarem respiciunt, quod certè & veteris Ordinationis Aulicæ & Reformationis Maxi-

Maximilianeæ leges satis apertè demonstrant, quippe quibus Cæsari uni hujus Judicii constitutio asseritur; idemque testatur *Rec. Imp. de an.* 1532. *rubr.* Rotweilisch Gericht betreffend; cum enim de Curiæ Rotvvilensis defectibus, qui Principibus & Statibus Imperii admodum vergerent in detrimentum, mentio facta esset, non ipsimet Status correctionem ac emendationem susceperunt, sed Carolum V. Imperatorem, ut id fieret, sollicitè implorârunt, quod allegato Recessui his verbis insertum legitur: Haben uns Churfürsten, Fürsten und Stände unterthänigst gebetten, etliche verständige tügliche Personen zu verordnen, gemelt unser Rotweilisch Gericht zu visitiren, und in gute Ordnung zu bringen, & in sequenti contextu subjungitur: Ist unser ernstliche Meinung und Befehl, daß unser Hof-Richter und Urthelsprecher desselben Hof-Gerichts, ein billiges Einsehen haben, und solche Mängel, Mißbräuch und Beschwerden abstellen, quæ sollicitudo licèt ibidem legatur maximè etiam Visitatoribus Cameræ commissa ab Imperatore, tamen pro arbitrio hujus rei potestas data est, sicut docent verba hæc ibidem adscripta, welchen Visitatorn wir hiemit genugsamen Gewalt geben, solche Ordnung und Reformation zu besichtigen, zu bessern, zu änderen, und sonst damit zu thun, was sie vor gut und nützlich ansehen, damit das gemelte Rotweilisch Gericht in bessere Ordnung und Reformation gebracht werden möge. Verum ea res caruit pleno successu, posteaque etiam non defuêre Statuum querelæ; igitur Maximilianus Secundus Imperator medelam hujus dicasterii defectibus curæ suæ duxit, quà de re in *Rec. Imp. de anno* 1570. §. und nachdem uns fürkommen. 71. provisionalis dispositio his verbis habetur: Als haben wir uns gegen gemeinen Ständen, und derer Abgesandten, gnädigst erklärt, und erbotten, vorgemelt unser Rotweilisch Hof-Gericht, durch unsere ansehlich verordnete Commissarien, noch vor dem ersten Maye nächstkünfftig visitiren zu lassen, und zu verschaffen, daß es mit verständigen Urtheilern besetzt, die Procefs und Gerichts-Ordnung gebessert, auch niemand wieder habende eximirende Privilegia, da ihnen dieselbige einmal insinuirt, oder sonsten bewust seynd, citiret, und sonderlich das Wort, Ehehafft, weiters in specie, waserley Sachen darunter begriffen, declariret werden soll. Eaque cura ac promissio Cæsarea reformandi in melius judicii Rotvvilensis executioni postmodum fuit mandata, novaque Reformatio Rotvvilensis auctoritate Cæsareâ introducta, tametsi gravamina & querelæ Statuum in hanc usque ætatem continuentur, quòd casus reservati, vulgò Ehehafften, quibus Privilegia de non evocando cessent, novâ declaratione, nimium censeantur extensi; Nec uno loco Capitulationibus

449 450 451 452 453 454

Cæsareis ea gravamina leguntur inserta, præcipuè verò & formâ ampliori recentioribus. Extat *capit. Leop. quæ art.* 18. de remedio contra excessus, cum primis der Ehehaffts-Fäll,
455 ita statuit: So wollen wir immittelst ꝛc. ohnfehlbarlich daran seyn, daß die eine Zeithero, wider die alte Hof- und Land-Gerichts-Ordnung extendirte Ehehaffts-Fäll abgethan, und die dabey sich befindende Excessus und Abusus, zu welcher Erkundigung wir ohn interessirte Reichs-Ständ ehist deputiren wollen, förderlichst auffgehebt, sonderlich aber Churfürsten, Fürsten und Stände, bey ihren darwider erlangten Exemptions-Privilegien, ohngeachtet solche cassirt zu seyn, vorgewendet werden möchte, handgehabet
456 werden. quibus verbis tria disponuntur, nempe 1. extensionem casuum reservatorum jurisdictionis Rotvvilensis tollendam & cassandam iterum esse. 2. Ad explorandos excessus Judicii Rotvvilensis à Cæsare deputatum iri Status, haud consortes gravaminum. 3. Conservatum confirmatumque iri privilegia exemptionis, quæ eadem in *capit. Ioseph. art.* 17. ver-
457 botenus ferè repetuntur. Itaque derogatum videtur Reformationi Maximilianeæ Rotvvilensis Judicii circa extensionem casuum reservatorum, sive der Ehehafften, per allegatas capitulationes, derogatum etiam vel maximè Carolinæ privile-
458 giorum de non evocando cassationi, quâ Carolus IV. Imperator, ut restitueret Judicio Rotvvilensi pleniorem & antiquam jurisdictionem, ejusmodi privilegia sustulit, solis Austriæ, Stiriæ ac Carinthiæ Ducibus exceptis, quibus sua privilegia integra conservavit. Vid. *Limn. lib. 9. de jur. publ. c.* 3.
459 *p.* 222. Mitius remedium adhibuit Maximilianus I. Cæsar, dum concessionem contra Ehhafften in futurum infirmavit, cui tamen ipsi provisioni & multò magis jam allegatæ privilegiorum cassationi leges capitulationum recentiores videntur adversari in verbis suprà relatis: ohngeachtet solche cassirt zu seyn vorgewendet werden möchte, & reverà specialior
460 est exemtio contra casus reservatos privilegiis de non evocando,

cando, prout post alios rectè annotavit *Knipschild.lib. 2. de jur. & privil. civ. Imp. n.* 228. qui in contextu ex *Reform. Rotvvil.* casus illos reservatos extraxit atque declaravit *ibidem n.* 256. Nec vel hodiè privilegium contra Ehehafften, ob clausulam privilegiorum annullativam Ma- 461
ximilianei indulti de futuro conceptam, nisi forte cum speciali derogatione Maximilianeæ hujus dispositionis, concedi posse verosimilius est, & in Camerâ quondam consideratum circa privilegium Episcopi Ar- 462
gentinensis contra Ehehafften, allegatum, sub Camera præsertim attendit tempus Episcopalis hujus privilegii, quòd nempe Maximilianeum indultum antiquitate superet, & ex hoc capite cum clausula annullatoria futuras tantùm concessiones respiciat, subsistere debeat, vid. *Gylm. tom. 2. Symphor. p. 2. vot. 3. n. 20. Webn. in obs. pract. verb.* Ehehafften. & *verb.* Rotweilisch Gericht. Quod nisi considerandum veniret, 463
nulla ratio fuisset Episcopalis privilegii subsistentiam ab argumento antiquioris temporis arcessere; quò pertinet quòd Maximilianeum illud indultum contra privilegia futura der 464
Ehehafften civitati Rotvvilensi, quæ urbs Imperii est, adeoque communi Statuum prærogativâ gaudere debet circa observantiam privilegiorum, ex *art.* 3. *cap.* concessum legatur. Planè capitulatio Leopoldina in *d. art.* 18. loquitur tantùm de 465
privilegiis obtentis contra casus reservatos recentiores, qui sc. per abusum & contra normam Ordinationis Rotvvilensis veteris introducti sunt ibi: wider die alte Hof- und Landgerichts-Ordnung extendirte Ehehaffts-Fäll abgethan, und die dabey sich befindende Excessus und Abusus &c. aufgehebt rc. Etenim casus illi, quòd privilegiis Statuum de non 466
evocando plurimum derogent, odiosi sunt, adeoque favorabilia, quæ contra obtinentur privilegia, secus ac casus reservati veteres, quibus ob specialem rationem cessantibus de non evocando privilegiis jurisdictioni Rotvvilensi locus relictus est, ut sic facilius defendenda ac manutenenda visa sint privi- 467
legia exemptionum, contra Reformationem Rotvvilensem Maximil. II. plures casus novos complexam, quàm contra ordinationem veterem & indultum sub exclusione contrariorum privilegiorum de futuro expressum. Præter verò potestatem constituendi judicii Rotvvil. hactenus declaratam, Wingartense quoque 468

&

& alia quædam dicasteria provincialia supersunt, præsertim in Sueviâ, quorum potestas æquè Cæsarea est, & reservatis adscribenda, quanquam hodiè, quod singulis Imperii Principibus ac Statibus jurisdictio ordinaria competat in subditos,
469 plerique etiam privilegiis de non evocando gaudeant, minus videantur frequentari, quæ res fortè, cùm subditi primis instantiis suis & foro ordinariæ jurisdictionis relinquendi essent, Status verò & domini Territoriales, præter Austregas, vel in Camerâ vel Senatu Cæsareo Aulico conveniri possent, existimandi causam dedit, ex re Imperii fore, ut Rotwilense & cætera judicia Cæsarea particularia penitus abolerentur. *Vid. Instr. Pac. art. 5. §. visitatio, verf. denique cum etiam de abo-*
470 *lendis.* Sed contrà peculiaris aliqua informatio prodiit, zu Handhab der Röm. Käyserl. Mayt. uhralten Käyserl. Hof-Gerichts zu Rotweil, cujus scripti auctor rationibus non contemnendis ostendit, abolitionem judicii Rotwilensis haud justè mandatum iri executioni. 1. Quòd nefas
471 sit Rotwilensibus hoc dicasterium specie privilegii remuneratorii concessum sine causâ adimi. 2. Quòd ad præjudicium successorum Imperii hoc fieri non debeat, & 3. quod Præsidatus hujus judicii Comitibus de Sulz qualitate feudi obvenerit, quibus hoc jus collatum sine feloniâ vel culpâ, propter quam jura id permittant, justè auferri nequeat. Add.
472 *Burgold. ad Instr. Pac. d. art. 5. §. 20. pag. m. 1127.* Prægnantissima verò præter has ratio contra abolitionem est, quod hæc Rotvvilensis, cæterorumque horum judiciorum potestas sit de reservatis, quæ imminui si non patiatur Imperator, utique non magis vitio vertendum, quàm si quilibet Princeps vel Status Imperii minimè consenserit, ut ex suis juribus terri-
473 torialibus quid perdatur. Sponte verò in hanc abolitionem consensurum Cæsarem minus probabile apparet, cum Caroli Quinti & Maximiliani Secundi exemplis suprà relatis, neque correctio defectuum judicii Rotvvilensis Statuum dispositioni permissa, sed solius Imperatoris arbitrio reservata & peracta

acta fuerit. Equidem ad comitia remissa deliberatio est de abolendis hisce judiciis, *d. §. visitatio. d. art.* 18. *Leop. & d.* 17. *Joseph. Capitul.* Sed nihil hactenus de hoc puncto peractum, quinimò ne concludi quidem cæterorum comitialium negotiorum instar quicquam pro lege potest Cæsare non assentiente, ut nullum argumentum ab eâ remissione duci possit, ad communicationem juris constituendi ista judicia, ergò adhuc hodiè ea potestas est de reservatis Cæsareis, omniaque illa, quæ in judiciis Imperii constituendis Imperator habet, jura ad potestatem creandi vel constituendi magistratus referri debent. Et quanquam merè delegati haud veniant magistratuum nomine propriè sic dicto, quia non habent publicæ administrationis officium ordinarium, tamen, quin Imperatori ea quoque facultas sit delegandi judicem inter Proceres & Status Imperii, dubio omni caret, & probant hoc præter usum multiplicem commissionum textus *Ord. Cam. p. 2. tit. 2.* §. darauff sollen. ibi: in Krafft der Commission, die wir als Röm. König, an statt der Käyserl. Maj. in Krafft Ihrer Liebden und Käyserl. Maj. uns gegebenen Vollmacht und Heimstellung, hiemit einem jeden gethan haben wollen, *& pag. 2. tit.* 4. §. zum vierten. in verbis einen unpartheyischen Commissarium &c. von der Käyserl. Maj. oder in Dero Abwesen, uns als Röm. König zu erlangen. add. *Ord. Cam. p. 2. tit. 3. & tit. 5. it. Ord. Imp. Aul. tit.* 2. §. dieweil aber. ut adeò non tantum magistratus ordinarios in Imp. tribunalibus constituendi, sed & judices primæ instantiæ delegandi potestas penes Cæsarem sit. In constitutione Friderici sequuntur ex ordine argentariæ, sive argentifodinæ, quarum reditus ut aliarum minerarum per Imperium olim Cæsaribus adscripti sunt, & per modum privilegii Electoribus in territoriis suis concessi à Carolo Quarto *in Aur. Bull. tit.* 9. Verùm hodiè hoc jus merè territoriale videtur, uti & alia similia, quia quæcunque compendia territorii dominum

474 475 476 477 478 479

respiciunt, nec Imperator quà talis nostrâ ætate argentarias
vel aurifodinas aliarumve minerarum species habet, licet
cum jure territorii aliis concedat; posset tamen casus con-
480 tingere, ubi ad Imperatorem tales quoque reditus pertine-
rent, putà in feudis Imperii apertis, vel bonis vacantibus, de
quibus suprà dixi invenirentur; tunc enim ut reliqui fructus &
commoda, quæ juris territorialis antè fuerant, ex consolida-
tione utilis dominii cum directo, vel novâ fisci Cæsarei occu-
patione & incorporatione, Imperatoris esse inciperent, ita &
argentariarum & aliarum minerarum proventus; ast quia hi ca-
sus admodum rari, & argentariarum jus, uti dictum, regu-
lariter territoriale est, exemplo similium in reservatis non nu-
481 meramus, licet tali casu, qualem retuli, eveniente, nil obstaret,
quo minus pro jure reservato haberentur argentariæ. Sequun-
tur palatia, sive publicæ Imperatorum ædes, cujus generis &
in veteri Imperio Romano & Germanico plures fuisse dubium
non est, & quidem in prisco Romano duo eminentiora, Ro-
mæ & Constantinopoli, fuisse memorantur palatia; in Impe-
rio occidentali Romano tempore Francorum quatuor, ceu ex
482 Mutio *lib.* 8. *Chron.* referunt, nempe Aquisgrani, Engelhe-
miæ, Noviomagi & Moguntiæ; in Saxoniâ fuisse quinque,
Speculum Saxonicum *lib.* 3. *art.* 62. tradit his verbis: *Quin-
que civitates, quæ Palatia dicuntur, in Saxoniâ inveni-
untur, in quibus Rex legitimis debet præsidere curiis, pri-
ma dicitur Crona, Werliz secunda, quæ modo & in Gosla-
riam translata est, tertia Vualhusa, quarta Alstedte, quin-
483 ta Merseburgum.* Verum quæ olim fuerint Imperatoribus pa-
latia, diversis in Imperii locis historiæ veteris quæstio est, non
hujus tituli vel argumenti, quo de palatiis inquirimus, num ad-
huc hodiè ponenda sint in reservatis juribus, planè ex relatis,
præter Aquisgranense & Goslariense, vix palatium superest,
quod nostrâ ætate Cæsareo juri asseratur, quin refert *Limn.*
484 *l.* 7. *jur. publ. c.* 2. *n.* 2. à Normannis etiam Carolinum pa-
latium Aquisgranense circa annum Christi 1381. fuisse com-
bustum,

bustum, sed aliud substitutum Aquisgrani oportet esse, quippe in quo asserventur insignia, & præsertim corona Cæsarea, ceu scribit *Knipschild. de civit. Imp. l.* 3. *c.* 1. *n.* 8. Goslariense verò, quod pro exemplo moderno Cæsarei palatii adducitur à Sixtino *de reg. c.* 19. *n.* 12. ex Saxonicis solum remansisse in schemate domus Imperialis, evidentia rei testatur, dum cæteræ illæ ædes Imperiales, postquam ad alias Germaniæ gentes Imperii decus pervenit, dominio Ducum vel Episcoporum Saxoniæ accessisse videntur, neque alia causa existimanda relicti Goslariensis palatii; quàm ejus urbis à territoriis Ducalibus vel Episcopalibus exemptio, & ergà Cæsarem obligatio homagii, cujus intuitu magistratus & civis, quod ibi situm fuerat Palatium, pristino juri non potuere non relinquere. 485 Huc etiam referri solet arx Noribergensis; *vid. Sixt. d. l. n.* 13. Sed dissentiunt *Limn. tom.* 4. *jur. publ. in add. ad lib.* 7. *c.* 35. *num.* 6. & *Knipsch. d. lib.* 3. *c.* 8. Momentum in eo est, num arx illa supremo Cæsarum juri exempta sit; nam si haud fuerit exempta, magis nomini palatii litem movent Limnæus, Knipschild. *d. l.* cur enim, si celebre castrum Imperiale fuerit hæc arx, vel olim pro palatio servierit Imperatoribus, ut *d. l.* refert & concedit Limnæus, palatium Imperiale haud dicendum sit, nihil video, præter exemptionem obstare posse, nec enim castrum palatio opponi debet, sed eadem domus Imperatoria, si munita fuerit & castri & palatii nomen, quin habeat, nihil prohibet, de exemptione verò, cum facti sit, hic plura dicere nolo. 486 Utut sit, sufficiat, in paucis celebriora palatiorum Cæsareorum exempla quædam retulisse, quæ licet in eam magnificentiam non ascendant, quam fastigium Cæsareum requirit, imò nec aliorum Principum vel Procerum arces, castra, domus adæquent, jus tamen palatiorum non sinunt ex reservatis penitùs excludere, quod adeò trigesimum numeri & hactenus explicatis addi poterit. 487 Sanè olim quoque certis tantùm civitatibus palatia Imperialia fuisse, ex supradictis apparet, & vel ex ipsâ Friderici constitutione regalium, 488

quando palatia dicuntur in civitatibus CONSUETIS, sc. Palatinis illis, quas Imperatores domibus publicis constituit
489 inhabitare, vel Palatinis præfectis, ut vice Cæsareâ jus dicerent, concedere consueverunt. Cæterum hodiè Cæsareum palatium ordinariæ inhabitationis Viennæ est, vulgò vocatum, die Käyserl. Burg, non in aliquâ civitate Imperiali Palatinâ, quod Palatium, ut & cætera, quæ Imperator habet in regnis ac provinciis suis, sub alio respectu, non quà Imperator habet, atque adeò hoc ipso differre videntur à palatiis Fridericianâ lege positis. Piscationum & salinarum reditus immediatè palatiis jungit constitutio, sed idem judicium de illis est,
490 quod de ripaticis, argentariis & similibus, jam expositum; ea etenim jura hodiè territorialia sunt, nec adeò in reservatis Cæsareis ordinariè numeranda evidenti argumento; quæ antiquitus compendia fuerunt Cæsarei fisci, postmodum cum jure territorii Principum Statuumque emolumentis cessisse, ac
491 tametsi in bonis Imperio apertis idem juris in his, quod aliis territorialibus proventibus, acquirat fiscus Cæsareus, donec de novo aliis fortè cum consensu Electorum conferantur, eadem tamen consideratio subest, quæ in aliis jam fuit, rarioris admodum eventus, ut dum regulam hodiernam & usum re-
492 spicimus, hæc jura in reservatis non ponamus. Bona succedunt committentium crimen læsæ Majestatis suprà ex jure civili per se declarata, de quibus hic quæstio est, an hodiè in reservatis sint; & eo numero haud habenda videtur suadere par ratio, quòd hodiè domini territoriorum hæc quoque commoda fisco suo inferant, approbante capitulatione Leopoldinâ *art.* 27. ubi expressa legitur oppositio fisci Cæsarei, ne feuda ex crimine læsæ Maj. vel aliâ causâ amissa fisco Cæsareo attribuantur, ibi: keines wegs aber dieselbige zum Käys. Fisco einzie-
493 hen, in allodialibus quoque bonis statuitur, ne dominis territorialibus casu, quo confiscanda sunt, intervertantur, sed illorum voluntati ac dispositioni permittatur confiscatio, ubi in contextu notanda verba restrictiva: denen mit den juribus fisci

fisci belehnten, oder dieselbe sonsten durch beständiges Her- 494
bringen habenden Churfürsten, Fürsten und Ständen,
& sic in bonis allodialibus commissis, aut investitura à parte Principis vel domini territorialis debet fidem facere competenti juri fiscali, aut exercitium vel usus non interruptus, quorum alterutrum necessarium est vigore hujus articuli, ut licita sit ex hac restrictione allodialium bonorum confiscatio; non hîc repetam ea, quæ ex jure communi requiruntur ad 495
confiscationem, de quibus in *praxi judic. p.* 2. *c.* 12. *n.* 200. *cum. sequ. & suprà tit.* 10. dixi; sed operæ pretium videtur hunc capitulationis locum aliquantò penitius considerare, & primò quidem de Electoribus & Principibus Imperii hisque paribus vix dubitandum, quin omnes fiscalia jura per investituras acceperint, an verò cæteri omnes & minores Status, item an omnes nobiles hujusmodi concessiones habeant, non æquè expeditum videtur. Divido autem totam hujus rei considera- 496
tionem in aliquot quæstiones, quarum prima est, quæ sint fisci jura, quorum in *dict. art.* 27. fit mentio? Secunda, annon concessio extra titulum investituræ feudalis sufficiat, ut confiscandi jus territoriale confiscationem Cæsaream excludat? Tertia, annon fisci Cæsarei intentio, contra destitutos titulo conces- 497
sionis, fundata sit, ut docere debeant usum jurium fisci non interruptum? Quarta; num omnium fisci jurium, an quorundam saltem usum vel quasi possessionem demonstrare oporteat, ut confiscationi territoriali locus sit? Quinta; quanti temporis debeat esse hic usus vel exercitium fiscalium jurium? Quantum ad primam quæstionem, fisci jura haud dubiè sunt 498
minora antehac sic dicta regalia, quæ neoterici nonnulli Juris Consulti maluerunt dicere fisci jura, distinguentes regalia jura in regalia Majestatis & fisci, quam distinctionem suprà, non magis, quàm quæ priùs obtinuit, in majora & minora regalia accuratam esse ostendi; utut sit, jurium fisci nomen ea complectitur regalia, quæ emolumentum fisco afferunt, ut sunt jura mulctarum, confiscationum & similia; Qui igitur 499

de territorio cum hujusmodi juribus per titulum feudi est investitus, sine dubio in bonis allodialibus committentium crimen læsæ Majestatis vel aliàs ex recentioribus legibus, pœnæ confiscationis obnoxiorum, habet confiscandi jus ad va-
500 sallos & subditos restrictum; neque oportet insertam esse investituræ literis expressam jurium fisci mentionem, quia id textus *d. art.* 27. non requirit, sed satis erit, quem investitum de territorio cum regalibus, sive universaliter mit allen Regalien und Herrlichkeiten / sive indefinitâ saltem locutione, sub quâ cur non fisci regalia comprehendantur nulla, ratio est,
501 ergò investitura de territorio cum regalibus facta inferet fisci jura, vi complexus verborum, quòd fisci jura hæc ipsa sint regalia, quæ maximè veniunt sub generali regalium voce, & aliàs beneficia Imperatoris latissimè sunt interpretanda, *l. bene-*
502 *ficium* 3. *ff. de const. princ.* Circa secundam quæstionem scrupulum faciunt verba allegati articuli capitulationis: mit denen juribus fisci belehnten / quæ concessionis species feudalis est ex propriâ & usitatâ significatione vocis belehnet / & maximè convenit feudis Imperii regalibus majoribus, puta Electoratibus, Ducatibus & id genus aliis, nec facilè reperias vel comi-
503 tatus, quorum investitura non fiat cum regalibus; at si ponamus aliis Statibus vel Nobilibus etiam in territorio non feudali concessionem regalium jurium factam, nulla ratio est, cur non concessio cum effectu quoque intelligenda sit, nec minus exercitium jurium fisci tribuat, quàm titulo feudali subnixa, quia beneficia Imperialia generaliter valere & benignius ac latius intelligi debent, *d. l. beneficia. junct. l. prætor.* 3. §. *divus.* 5. *ff.*
504 *de sepulch. viol.* idque in civitatum Imperii juribus & nominatim in privilegiis confiscandi, quòd valere salvaque & intacta manere debeant, ad literam est expressum in *Instr. Pac. art.* 8. §. *tam in universalibus.* quamvis concessionis feudalis specie attributa non sint; privilegio igitur jurium fiscalium qui muniti sunt Principes Imperiique Status vel Nobiles imme-
505 diati jus confiscandi habent in bonis vasallorum ac subdito-

rum

rum suorum, nec debent docere exercitium, usum vel possessionem, quando ipsos titulus defendit. Ast verò, ut ad tertiam 506
quæstionem deveniam, quo titulo concessionis per investituram vel aliam gratiam aut liberalitatem expressæ, prorsus destituuntur, alio jure censendi sunt, nimirum ut & usum rega- 507
lium territorii vel districtus immediati demonstrent, quandoquidem hæc res facti est, ac nisi quis in publicâ & notoriâ, nec interruptâ, ut lex capitulationis *d. art.* 27. exigit, jurium fisci possessione vel quasi constitutus sit, jus confiscandi ritè habere non videtur, utique sensu privativo & ad excludendum fiscum Cæsareum, de quo articulus iste loquitur; cui accedit, quòd 508
jure communi confiscationis omnium bonorum jus tantùm positis in summâ administrationis potestate publicâ inconsulto Principe, sive ex officio suo permissum fuerit ex *l. un C. ne si in jus princ. eat. jud. lic. confic.* quales fuerunt præfecti prætorio, præfecti urbi, non præsides; *Gothofred. ibid. in not. num.* 64. & cum capitulatio *d. art.* 27. constantem nec inter- 509
ruptum usum requirat, observantiæ difformitas, putà si casibus contingentibus confiscandi jus modò usurpatum à domino territorii foret, modò non obstaret confiscationi territoriali, tanquam deficiente fundamento intentionis, *arg. l. semper. in stipulationibus.* 34. *circa fin. ff. de reg. jur.* Quod non ita præcisè intelligendum est, ut bona debue- 510
rint eveniente aliquo casu in fiscum domini territorialis redacta esse, sed sufficit jus hoc supremum esse exercitum etiam per æquipollens, veluti, si loco confiscationis omnium bonorum, certa summa soluta esset domino territorii, aut si is delinquenti gratiam fecisset & bona restituisset, juxta *l.* 1. *C. de sent. pass. & rest.* aut si per speciem gratiæ, ante sententiam, 511
ne bona confiscarentur, dispensâsset, hi sanè actus vel similes probarent exercitium juris confiscandi, etsi omnia bona actu confiscata non fuissent. Hoc amplius, si casus etiam nullus contigisset, quo de jure liceret hodiè bona confiscare, quâ de

re

re *tit.* 10. suprà dictum, esset autem dominus territorii in aliorum fisci jurium possessione vel quasi constanti ac uniformi, adhuc pro eo in puncto juris confiscandi respondendum di-
512 cerem; trahitur enim usus jurium ad similia, quorum actuale exercitium, hoc solum cessare fecit, quòd casus antè non contigerit, qui si evenisset, nec voluntas domino territorii probabiliter defuisset, nec à paritate rationis aliorum jurium fisci, justa facultas exercitii, atque ex his jam copia suppeditatur resolvendæ quartæ quæstionis, an sufficiat in quasi possessione quorundam fisci jurium constitutum esse, an verò exercitium omnium, ut ex usu locus sit confiscationi terri-
513 toriali, requiratur; prius enim probabilius est, quia jus territoriale qui habet, exercitio unius juris fisci, censetur quoque exercere cætera similia, ex his, quæ scripta reliquerunt Bartol. *in l. fin. n.* 9. *C. ubi & ap. quem cogn. in integr. rest. Innoc. in c. dilectus.* 2. *n.* 3. *X. De Cap. Monach. per text. in c.* 1. *X. de relig. dom. Jason. in l. possideri.* 3. *princ. n.* 40. *ff. de acquir. poss. Alex. lib.* 4. *cons.* 35. *n.* 2. *&* 3. *Cephal. cons.* 418. *n.* 39.
514 Quoad quintam quæstionem videtur requiri immemoriale tempus, per quod præscribi solent jura regalia, ex *c. super quibusdam.* 26. §. *præterea. X. de verb. signif.* & est ratio, quòd possessio per tempus immemoriale æquivalere censeatur expressæ concessioni, *text. & gl. in l.* 1. §. *fin. & l. sequ. princ. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc. & in l.* 1. §. *fin. ff. de acq. cottib. & est.* atque sic omninò se res habet, dum loquimur de præscriptione juris confiscandi, cui causam vel concessio Cæsarea, vel
515 quæ loco concessionis est immemorialis temporis observantia tribuit; possessionis verò vel quasi regalium diversa ratio est; nec enim ad eam tempus immemoriale requiritur, vel jure communi, vel ex *d. art.* 27. *Capit.* poteštque aliquis in perpetuâ sive non interruptâ possessione vel quasi jurium fisci esse constitutus, quanquam temporis immemorialis præscriptionem allegare nequeat; hunc ergò jure territorii subnixum à confiscationis exercitio, si casus occurrat, exclusum dicere,

du-

durum primâ specie videri potuisset, quòd quilibet sit in
possessione suâ legitimâ; h. e. nec vi nec clam nec precariò
acquisitâ manutenendus; sed nihilominus tamen probabilius 516
videtur adversus omnes, Imperatori & Imperio subjectos, qui
nec titulo expressæ concessionis sive per investituram, sive per
privilegium obtentæ, nec immemorialis temporis præscri-
ptione in exercitio juris confiscandi tuti sunt, prævalere jus
fisci Cæsarei, per argumentum ex ipsâ capitulatione, *d. art.* 27. 517
quia verba ejus amplius quid desiderant, quàm possessionem
simplicem, ibi: oder dieselbe sonst durch beständiges Her-
bringen habenden, quæ vocula habenden non meram posses-
sionem vel quasi designat, sed jus fisci possessione vel quasi ac-
quisitum, ut sensus sit: Electoribus, Principibus & Statibus 518
Imperii, qui concessione expresâ jura fisci acquisivissent vel
possessione præscripsissent liberum fore in vasallos & subditos
illud exercere; atqui hoc jus, cum regale sit, præscribi non
potest nisi per immemoriale tempus, *d.* §. *prætereà*, ergò qui 519
sunt meri possessores vel quasi jurium fisci, nec vel conces-
sione vel præscriptione immemoriali eadem acquisiverunt,
confiscandi jus præ fisco Cæsareo exercere nequeunt, quod
quidem tantò minus mirum videri debet, cum in hujusmodi 520
casibus, possessorium non nisi mixtum obtineat, sc. subnixum
titulo, consimili exemplo, quo circa materiam decimarum
in possessorio obstat titulus *c. ad decimas.* 2. *de rest. spol. in* 6.
nec minus in materiâ jurisdictionalium, *c. licet.* 9. *X. de prob.*
atque sic in materiâ collectarum Imperii argumentum desumi
& huc referri potest ex *Rec. Imp. de anno* 1576. §. wo aber
innerhalb. 103. ubi ab exemptione harum collectarum nemo 521
immunis est, ne si causa in possessorio verteretur, nisi qui per
tempus immemoriale nullas Imperio collectas præstiterit, er-
gò idem in causis fiscalibus aliis dicendum, ut nisi quis conces-
sione aut præscriptione immemoriali excipiatur, confiscatio
bonorum Cæsari competat, tum verba capitulationis restri-
ctiva prius relata utique aliquid debeant operari. Secundum

522 quæ dicendum etiam contra mediatæ conditionis homines,
extra illos casus per capitulationem exceptos, jus confiscationis
Cæsareæ adhuc hodiè fundatum & in reservatis esse. Multò
magis autem id conspicuum est in crimine læsæ Majestatis
commisso ab his, qui Imperatori vel Imperio immediatè sub-
523 sunt, quorum bonorum confiscatio non nisi ad Imperatorem
pertinet; exemplum celebre superioris seculi fuit in Duce Saxoniæ
Joh. Friderico, & complicibus nobilibus proscriptis,
quorum bona partim feudalia partim allodialia à Cæsare confiscata
dicuntur, certè de feudalibus per gratiam ex intercessione
plurium Principum Ducis Joh. Friderici filiis de novo
524 permissis & collatis, extat *Rec. Imp. de anno* 1570. §. was
dann sein Hertzog. 40. ut veteres casus similes omittamus;
nostri, quod ad finem vergit, seculi exempla sunt Friderici V.
Electoris Palatini; & belli sociorum, quos Imperator Ferdinandus
Secundus proscripserat, quanquam ea proscriptio
Electorali collegio minùs probata fuerit, bona verò proscriptorum,
quotquot deprehendi occuparive poterant, confisca-
525 ta fuisse constat; nihil causæ habeo, quod alii fecerunt, inquirendi
in justitiam Ferdinandeæ hujus proscriptionis, quæ saltem
exemplum præbet juris Cæsarei, quicquid sit de modo exercitii,
testantur nempe publica scripta, non jus confiscationis,
sed modum Cæsari in controversiam vocatum; ergò hodienum
ex his omnibus in reservatis Cæsaris ponendum est jus
confiscandi bona, quamvis personarum & circumstantiarum
respectu exercitium ex legibus Imperii & usu hodiè sit restri-
526 ctum, atque hoc est jus reservatum undetrigesimum. Sequuntur
thesauri, de quibus idem, quod de aliis fiscalibus, asserendum,
videlicet territorialis juris hodie esse; nam accidentales
casus, qui fortè ex suprà scriptis contingerent in bonis vacantibus
vel feudis Imperio apertis, quo statu, ut cætera territorialia,
jus quoque thesauri fisco Cæsareo cedere, indubium
foret, huc applicari vix debent propter rarissimam contin-
527 gentiam; est nimirum non tantum ratum contingens, vacare
bona

bona Imperio aut feuda aperta esse, sed rariùs hoc statu insuper in his bonis vel feudis reperiri thesaurum, quare ob duplicem hanc & rarissimam contingentiam mentionem magis hic juris thesauri facere, quàm in reservatis Cæsareis idem numerare volui; Atque hæc de juribus regalibus ex constitutione Friderici, quatenus hodiè reservatorum numero sint, vel non, breviter considerata fuere: præter hæc verò & superiùs exposita alia jura Cæsarea reservatis adnumerant, in quibus est jus recipiendi juramenti tùm vasallagii à vasallis Imperii præstandi, tùm homagii civitatum, idque jus duodetrigesimum hic referimus, quo intuitu hoc amplius notandum, quòd in omni juramento etiam feudali à vasallis Imperii præstito excipi debeat persona Imperatoris, cui tam sanctâ & ju- 528
ratâ fide vasalli Imperiales obstricti sunt, ut nullum legitimum adversus Imperatorem præstare possint juramentum, text. 2. *F. 7. & 2. F. 55. in fin. Knipschild. de civit. Imp. lib. 2. c.* 40. *num.* 109. quod, quia correctum vel sublatum nullâ constitutione est, adhuc hodiè obtinere asserimus, cui prorsus affine, 529
quod in materiâ fœderum, tabulis Pacis Germ. proditum est; cum enim Principibus & Statibus Imperii fœdera permittantur, ea tamen permissio ipsâ lege sic restringitur, ut nominatim persona Imperatoris excepta intelligi debeat *vid. Instr. Pac. art.* 8. *§. gaudeant*; quo loco maximè admirandum videtur poni regulam fœderibus defensivis Statuum, & tamen Imperatorem & Imperium excipi; dicat aliquis, defensionem esse 530
juris naturæ, & sic neque Imper. excipiendum; sed respondetur paucis: non defensionem naturalem hic excludi, benè verò fœderis defensivi prætextum, si vi & armis contra leges Imperii & Statuum libertatem nihil agatur, sanè exempla extant fœderum 531
pro libertate vel defensione communi conventorum, ut superiori seculo Smalcaldici, & Lipsiaci anno 1630. inter diversos Electores, Principes ac Status & Regem Sueciæ Gustaphum Adolphum contracti. Tricesimo tertio loco hîc referendum est jus commissionis cum clausulâ exclusivâ appellationis, de quâ clausulâ textus est *in l.* 1. §. 4. *ff. à quib. appell. non lic.* ubi Ulpianus, cum dixisset, solere interdum ab 532
Imperatore ita judicem dari, ne ab eo liceat provocare, subjicit

quæstionem: an & alius ita judicem dare possit, & respondet: non posse, atque adeò censet hoc jus Cæsareum peculiare es-
533 se; quanquam constet Pontifices posteà sub istâ clausulâ: *appellatione remotâ*, consuevisse causas committere sæpius, unde hujus in rescriptis Pontificum & jure canonico frequentissima fit mentio, velut *c. 1. c. causam.* 18. *X. rescript. c. super eo* 15. *c. pastoralis.* 28. *X. de off. & pot. jud. del. c. inter cæteras.* 9. *X. de re jud. c. meminimus.* 9. *c. postremò.* 36. *c. pastoralis.* 53. *c. ut debitus* 59. *c. inquisitioni.* 71. *X. de appell.* & alibi.
534 Neque hæc res efficit, ut commissio sub clausulâ: *appellatione remotâ*, desierit esse de reservatis Cæsareis, dum Pontifices ex assertâ supremâ potestate, quæ Imperatorum fuêre, ad se variis
535 exemplis traxere, de quibus hîc plura dicere metam instituti nostri egreditur, & ex vano disputarem, si quam Pontifices tot rescriptis quasi familiarem habuêre clausulam, hic in dubium vocare vellem, præcipuè cum argumentum ab usu Pontificum contra reservata Cæsarea minùs rectè formaretur; sufficiat causas committere: *appellatione remotâ* soli supremo Principi non inferiori alicui jure permissam, prout sensere *Maranta de ord. jud. part. 6. tit. de appell. n.* 326. *Marches. de commiss. p. 1. c. 8. n.* 12. *Barbos. clausf. 9. n. 2. lit. A.* Eaque assertio clarè probatur per *text. d. l.* 1. §. 4. Quòd verò hodienum in reservatis Cæsareis ponamus jus vel facultatem commissionis sub clausulâ: *appellatione remotâ*, ratio reddi potest, quia nullibi per leges abrogata vel Imperatori adempta est, ut meritò adhuc ei competere dici debeat secundum ea, quæ suprà de reservatis
536 in genere dicta sunt. Illud quæstionis esse solet, quam vim habeat prædicta clausula circa appellationes, utrum indistinctè omnes, an frivolas tantùm excludat? Quod posterius Doctores plerumque tradere solent. *Gonzalez. in d. c.* 1. *X. de rescr. & d. c. pastoralis X. de appell. Barbos. d. l. n.* 15. *cum alleg.* Verum ratio obstat, quâ ipse Pontifex *in d. c. pastoralis* utitur,
537 nimirum si frivolæ solæ appellationes per hanc clausulam excluderentur, ea foret frustranea & inanis, cum per se & circa istam
appel-

appellationes frivolæ haud valeant, *c. cum cessante. §. porrò. X. de appell.* sed certè hæc clausula tùm Imperatoribus tùm Pontificibus usitatissima non debet videri ex vano esse, & sic non tantum frivolas, sed alias etiam appellationes repellere. Quò pertinet, quod Pontifex *in d. c. pa-* 538
storalis statuit: appellationes à jure non expresse permissas removeri per illam clausulam, ergò aliæ appellationes remotæ intelligi debent, etsi frivolæ non sint: Etenim quando certo aliquo casu speciali jura 539
appellationem pro remedio ac beneficio cuiquam tribuunt, ut *in l. 1. §. 1. ff. de appell. l. 1. §. 1. ff. quand. app. sit, & intra qua temp. l. 1. C. si sap. in int. rest. text. in l. generaliter. 12. §. 2.* in verbis: *Habeat sibi in ultimâ provocatione repositum auxilium. C. de reb. cred. & jurejur.* casus talis sub dispositione excludente appellationes non censetur comprehendi. Ex quibus benè colligere licet, commissionibus Austregali- 540
bus, quæ ab Imperatore decerni solent, haud convenire clausulam: *Appellatione remotâ*, quia in illis à lege ordinationis expresse & regulariter permittitur appellatio. *Ord. Cam. part. 2. tit. 6.* Meliùs 541
verò & efficaciùs adhiberetur commissionibus Aulicis, quæ extra casus Austregales solent decerni, quòd licèt etiam de jure in illis appellatio non sit prohibita, haud æquè tamen per modum beneficii à legibus Imperii expresse sit indulta. Ast præter hæc de clausulâ sæpius dictâ notandum venit, eam 542
non obstare appellationi adversus sententiam manifestè iniquam, prout determinat textus *d. c. inter cætera.* Unde distinguere debemus tres casus: vel enim fertur sententia à commissario manifestè justa, vel dubia, vel manifestè injusta; primo casu appellatio esset manifestè frivola, & sic ipso jure vel citra nostram clausulam haud attendenda. *d. §. porrò. & d. c. pastoralis*; secundo autem appellatio per se secundum regulam foret permissa, excluderetur verò per talem clausulam 543
rescripti commissionalis: *d. c. pastoralis*; tertiâ demum specie ipsa clausula nihil valeret, & eâ non obstante appellatio procederet; quando verò sententia manifestè æqua sit vel iniqua, ex juribus & actis, quæ notorium inducunt, dijudicandum est. Cæterum etsi ex deductis potestas committendi sub 544
relatâ clausulâ adhuc hodiè Imperatori competat, & hoc amplius vel privilegiorum de non appellando argumento; quippe

quorum concessio Imperatoris est, & perpetuum non unius causæ jus de non appellando, ut illa rescripti clausula, tribuit, reservatis meritò annumerari debeat, tamen ejusdem clau-
545 sulæ usus in rescriptis Cæsareis nostrâ ætate rarior apparet, cum plerumque commissariorum potestas sic restringatur, ut examen causæ subnexo ad supremum committentem voto illis tantum permittatur, non jus sententiæ, multò minus sententiæ sine provocatione: possent autem casus contingere, ut
546 Imperator sacratissimus mallet commissarium ipsum dicere sententiam etiam remotâ appellatione; ubi promptum esset competentis hujus juris reservati exercitium.
547 Huc & trigesimo quarto referri potest jus privilegiorum de non appellando, item de non evocando, quorum prior Principum vel Statuum judicia concernit, ne ab his ad Imperatorem vel Imperii tribunalia suprema provocetur, posterius avocationem Statuum & subditorum ad extranea judicia, quo nomine subintelliguntur judicia particularia Cæsarea, quæ more majorum habuêre in Status vel subditos certorum districtuum jurisdictionem in primâ instantiâ, in quibus celebrius est Rottvvilense dicasterium
548 Aulicum; Privilegia de non appellando admodum insignia imitatione juris Romani, quo præfecti prætorio olim privilegia talia obtinuere *l. un. ff. de off. præf. præt. l. un. C. de sent. præf. præt. Nov.* 119. *c.* 5. *unde desumpta auth. quæ supplicatio. C. de prec. Imp. offer.* introducta sunt in Imperio Roma-
549 no-Germanico, primumque per *Aur. Bull. tit.* 8. *&* 11. Electoribus concessa posteà diversis majoris auctoritatis & potentiæ Principibus & Ordinibus attributa, sed variè & in genere dupliciter vel illimitatè ad modum concessionis Electoribus factæ vel limitatè sive causarum sive summæ intuitu, quibus de rebus circa privilegia Statuum loco magis congruo dici poterit; differunt autem hæc de non appellando privilegia à commissio-
550 ne sub clausulâ *appellatione remotâ*, dupliciter quod conferri soleant judicibus ordinariis, talis verò commissio fiat delega-
tis;

tis; deinde, quòd generaliter omnes causas post concessionem respiciant, commissio verò ejusmodi tantum causam unam vel fortè plures in rescripto expressas. Trigesimo quintò ad- 551
numerari reservatis debet jus concedendæ veniæ ætatis, quo minores viginti quinque annis masculi & fœminæ per privilegium Cæsareum transponuntur juris fictione in ætatem majorem, ut deinceps suis rebus superesse & ipsimet eas legitimè administrare possint; hoc beneficium jure communi locum habet sub certis conditionibus nempe documenti ætatis 552
& probitatis morum juxta *l. omnes 2. C. de his qui ven. ætat.* ubi necesse est, ut masculi vicesimum, fœminæ verò decimum octavum ætatis annum impleverint, si velint dispensationem Imperatoriam ætatis minoris consequi, & majorennitatem, ut vocant, obtinere, *d. l. omnes princ. &* §. 1. ac notari meretur ex textu, veniam à Principe prius 553
concedi, & documenta ætatis morumque probitatis subsequi, ponderando verba textus *in prin.* ibi: *ita, ut post impetratam ætatis veniam non solum per scripturam, annorum numerum probent, sed etiam testibus morum suorum instituta*; atque adeò alleganti juveni ætatem congruam & honestos moros videtur credi ab initio; si autem frui velit cum effectu ætatis veniâ concessâ, tunc debebit fidem facere judicibus aut magistratui de ætate ad impetrationem habili & honestate vitæ. Quid ergò an- 554
non ante eam ætatem jus majorennitatis, quam vocant, impetrare liceat? Non utique, nisi constet, Imperatorem quoad jus commune nominatim dispensâsse, cum indubiè dispensare possit etiam in aliis articulis veluti cum lege Julia requirente viginti annos in judice; *l. quidam 57. ff. de re jud.* idque sic censendum est, si Imperator saltem fuerit conscius incongruæ ad veniam impetrandam ætatis, videtur enim tunc dispensativè subvenisse *l. idem Ulpianus 12. §. 1. ff. de excus. tut. l. Barbarius. 3. cum l. sequ. ff. de off. prat. d. l. quidem.* Hoc autem jus veniæ æta- 555
tis concedendæ ab Imperatore etiam aliis communicatum est, refertque illust. JCtus Bartolus *in tract. de test.* sibi ab Imp. Carolo IV. hanc gratiam factam, ut ipse & descendentes possint concedente ætatis veniam; quæ gratia hodiè multis cedit ipsique domini territoriales in personis subditorum minoribus, passim exercent; planè illud irregulare est, quòd hodiè non tantùm sint, quibus exemplo Bartoli, quod sanè insigne fuit tempore Caroli IV. & singulare, privilegium veniæ ætatis concedendæ tribuatur, sed etiam subordinata facultas concessionis novi privilegii, 556
quo

quo alii à primo impetrante gratiæ hoc indultum obtineant, ut comitivâ Palatinâ dignitate fruantur, & nominatim etiam veniam ætatis concedere possint; sed vereor, ut hæc subordinatio Cæsareorum jurium subsistat, nisi fortè in singulis
557 subordinatis ab Imperatore confirmetur; nam 1. privilegium tale per se adversatur juri, quod statuit solius Imperatoris esse, veniam ætatis concedere, *d. l. omnes & tt. C. de his qui ven. æt.* sed privilegium juri adversum valere non debet, *l. fin. C. si contr. jus vel ut il. publ. Luc. de Pennâ in l. certa. n.* 19. *C. de jur. fisc.* text. *in l. jubemus nullam.* 10. *ubi Bald. C. de SS. Eccles. Felin. in c. caus.* 18. *n.* 17. *X. de scr. Rom. conf.* 436. *n.*
558 10. Ac licet 2. in personâ primi impetrantis dici possit, Imperatorem veniam ætatis tribuere, non tamen eodem modo se rem habere in subordinatis asserendum, quibus primus ille impetrans copiam fecit concedendi minoribus beneficium ætatis; nam in primo videtur electa industria personæ ab ipsomet Imperatore, quæ ratio diversa est in secundo impetrante, qui utcunque dicatur Imperatoriâ auctoritate à primo obtinuisse gratiam, haud tamen ab ipso Imperatore privilegium consecutus es-
559 se censeri debet, siquidem ulterior concessionarius Imperatori plerumque ignotus est, ejusque generis jura reservata inseparabilia sunt à personâ Imperatoris, nec possunt aliis subjectis validè concedi vel præscribi etiam immemoriali tempore, ex traditis *Covarruv. pract. quæst.* 3. *c.* 4. *Guttierez. lib.* 1. *pr. quæst.* 78 & 84. *Cabed. p.* 2. *decis. Lus.* 41. *n.* 5. Sic quamvis
560 Imperator, (quod de rege suo *d. l.* negat Cabedo) privilegia de non appellando sine dubio rectè concedere possit, vix tamen 3. quisquam existimaret posse etiam privilegium concedi, quo impetrans aliis concedat privilegium de non appellando,
561 hæc sc. res in his & similibus supremam Imperatoris potestatem ipsâ concessione velut factâ juris Cæsarei reservati communicatione læderet; nec enim magis hæc jura reservata, quibus Imperatoria potestas maximè exercetur, alii privilegio concedi posse intelligitur, quàm hoc ipsum, ut alius ex prilegio fiat

fiat Imperator. Et cur 4. si quis ejus generis concessiones si- 562
ne confirmatione speciali valere putat, subsistimus in secun-
do impetrantium gradu; nam si dari potest jus primo, ut
non tantùm beneficium ætatis minoribus conferre queat, sed
etiam dare facultatem concessionis alii, cur non idem etiam
asserimus de tertio, ut scil. ei à secundo ex gratiâ primi con-
feratur potestas concedendæ majorennitatis, atque sic dein-
ceps, ut res in infinitum abeat, quod cum per se absurdum 563
utique sit, fons hujus inconvenientiæ obstruendus est, asseren-
dumque meritò, in terris Imperii nemini concedendæ æta-
tis veniam, nisi Imperatori aut cui Imperator eam potesta-
tem nominatim concesserit vel specialiter confirmaverit, cui-
ve jure territorii hodiè habeatur, facultatem competere; nec
magis igitur concessa ætatis venia à surrogato primi impe- 564
tratoris gratiæ, respicienda est, quàm doctor bullatus, quem
vocant, si bullam doctoralem nec ab Imperatore nec ab ipso
Comite Palàtino, sed alio, cui Imperator hoc jus nec expresfsè
& specialiter dedisset, nec nominatim confirmasset, vi subcon-
cessionis obtinuisset. Nec 5. censeri debet secundum impe- 565
trantem tali specie, quasi ex mandato ac concessione primi
& supremi concedentis, videri veniam ætatis dare, quia per-
sonæ industria electa non intelligitur, quam Imperator vix
novit, nec generalis sive commissio sive concessio, ut cui Pri-
mus impetrans facultatem dedisset tribuendi minoribus ve- 566
niam ætatis, is eam auctoritate Cæsareâ exerceret, pro specia-
li & nominatim factâ habere debet, nisi accesserit specialis
confirmatio Cæsarea in personâ subordinati impetratoris,
idque tantò magis adstruendum est, quoniam hæc privilegia,
quibus non tantùm facultas veniæ ætatis minoribus conce- 567
dendæ, sed jus quoque privilegii ulterioris, quo impetrans
aliis jus idem conferendi beneficium ætatis, dare possit, tri-
buitur, haud parvum detrimentum afferunt Reip. cujus in-
terest minorum patrimonia benè administrari, quod non

rarò hodiè fallit ex frequentiore veniæ ætatis concessione, falleretque haud dubiè sæpiùs, si hujus privilegii subconcessio passim inveniret locum, unde eveniret, ut
568 hæc privilegia in minorum, quorum commoda promovere deberent, magis redundarent dispendia & cum exempla non desint minorum, quibus venia ætatis in extremam perniciem cesserit, quosque serò impetrationis intempestivæ, ubi ad maturius judicium pervenerint, pœnituerit, quid fieret crescente subinde per privilegiorum subconcessiones numero concedentium? Atqui publicè damnosa impetrare non oportet, nec impetrata valere, *l. nec*
569 *damnosa.* 3. *C. de prec. Imp. off. junct. d. l. fin.* taliaque in jure dicuntur concessa, ex importunis petitionibus, quibus fit, ut Imperatores concedant etiam non concedenda, uti conqueruntur Gratianus, Valentinianus & Theodosius Imperatores, *in l. 1. C. de pet. bon. subl.* qualia ibi statuunt nec beneficio rescripti valere debere. Ex quo simul apparet responsio, *ad l. sacrilegii. 5. C. div. rescr. & l. disputare.* 3. *C. de crim. sacril.* Neque enim hic disputatur de potestate Cæsareâ, sed de concessionis modo, an valere debeat sine speciali confirmatione, cum aliàs ad dispendium ipsius majestatis Cæsareæ ac rei publicæ concessio vergeret. Illud extra scrupulum ponendum est, quòd licet Imperator circa annos veniæ ætatis, puta si v. g. adolescens masculus nondum exple-
570 visset vicesimum ætatis annum, dispensare possit cum ea annorum meta mero jure positivo ac civili requiratur, ubi Imperatori facultas dispensandi competit, uti notum & suprà, exemplo dispensationis de lege Juliâ dictum declaratumque est, unde etiam minori, qui excesserit decimum septimum annum specie dispensationis rectè confert judiciale munus, *d. l. cum quidam.* tamen in impetratore privilegii non est par ratio, nec Princeps supremus aliâ ratione indulsisse privilegiū concedendæ veniæ ætatis intelligendus, quàm juxta formam legitimam vide-

videlicet ex præſcriptio, *d.l.omnes.* namque ita etiam intelligi 571
debet conceſſa à Principe teſtamenti factio, de factione con-
ſuetâ & legitimâ ex *l.ſi quando.35.in princ.C.de inoff.teſtam.*
cujus rei expreſſa ibi ratio, militat quoque in privilegio con-
cedendæ veniæ ætatis, ſubnixa ſcilicet argumento ab inve- 572
roſimili, uti enim conceſſo liberæ factionis teſtamenti pri-
vilegio, haud veroſimile videtur voluiſſe principem to-
tam teſtandi ſolennitatem multis vigiliis excogitatam ſub-
verti, ita idem dicendum in privilegio de concedendâ veniâ
ætatis, quòd pariter non videatur probabile, hoc privilegio,
aliam, quàm legitimam conceſſionis veniam, h. e. quæ for-
mam habeat *d. l. omnes.* ſubintelligi debere. Unde conſe- 573
quens eſt, impetratores gratiæ velut Comites Palatinos poſſe
quidem veniam ætatis concedere, ſed nonniſi metam anno-
rum juſtam habentibus, h. e. maſculis, qui viceſimum, ac
fœminis, quæ decimum octavum annum ætatis expleverint.
Hæc ita niſi conſtaret aliquo loco, *d.l.omnes.* abrogatam eſſe 574
circa metam ætatis, ita ut anni pauciores in minore impetra-
turo veniam ſufficere ſtatuantur ſive lege expreſsâ ſive conſue-
tudine omnibus requiſitis firmâ, quæ res niſi evidenter con-
ſtet forma, *d.l.omnes,* ſequenda eſt, ſed & tunc ſi conſtite- 575
rit, non præcisè requiri metam annorum lege præſcriptam,
ſaltem ea ætas requirenda eſt in juvene, veniam petente,
quæ maturum rebus adminiſtrandis judicium non planè ex-
cludat; igitur puero vel impuberi etiam ſtatuto vel conſue-
tudine permittente non rectè tribueretur ætatis venia, eaque 576
conſuetudo permiſſiva potius habenda eſſet pro corruptelâ ex
c.fin. x.de conſuet. & lex quoque talis, quòd ratione deſti-
tueretur attendenda haud eſſet, ſeptendecim verò vel plures
anni, quod requiſitum ætatis attinet, ad veniæ impetrationem
diſpenſativè ſufficere poſſunt, *arg. d. l. cum quidam,* quia ſi
hæc ætas ſufficit ad diſpenſativam collationem muneris judi-
cialis, quidni ad privatam adminiſtrationem bonorum? Quæ- 577

ritur verò, an si Comiti Palatino vi diplomatis expresse con-
cedatur facultas tribuendi veniam ætatis infrà annos viginti,
quid juris sit? Et ad eam ætatem hoc pertinere videbitur,
quâ tribueret ipse concedens h. e. quæ rerum administrationi
per naturam idonea foret, ne alioquin privilegium veniæ,
quod favorabile esse debet, minoribus erumpat in nervum
578 & exemplis incipiat esse perniciosum. Tractemus nunc al-
qua de prærogativâ Cæsarei juris in concessione veniæ ætatis,
eam observare licet ex universali potestate, quâ ubivis locc-
rum & omnibus personis Imperio subjectis Imperator con-
cedit ætatis veniam, ergò his etiam, eam gratiam conferre
potest, qui sub territorio propriè loquendo non sunt, modò
579 subsint Imperio, hinc differentia apparet Cæsarei hujus juris,
à jure concedendi veniam ætatis competente Statibus, quòd
illud ex subjectione Imperii, hoc ex subjectione, territorii fun-
detur, ex quo evenit, ut Imperator hoc ætatis beneficium
tribuat non tantùm subditis, sed & Principibus & Statibus
Imperii, imò & regibus quandoque, qui Imperium certâ ra-
tione agnoscunt, ceu exempla referunt *Reink. de reg. sec. &
Eccles. lib.* 1. *class.* 3. *cap. XII. num.* 57. *Limn. lib.* 2. *jur.
publ. cap.* 9. *num.* 150. *add. Myl. ab Ehrenb. in Etolog Ord.*
580 *Imper. cap.* 1. Atque in Principibus hæc dispensatio ætatis in-
telligitur maximè etiam de administratione Principatus. Ve-
rum ea adstricta non videtur viginti annorum complemento,
quoniam in Electoratibus octodecim annorum ætas expleta
581 sufficit per se & citra concessionem veniæ ad legitimam ad-
ministrationem, ex dispositione *Aur. Bullæ tit.* 7. ergò idem
& in Principatibus Imperii cæteris obtinere, per argumen-
tum à pari vel majori dixeris; fateor posse hoc æquum ac
probabile asseri, si rationem per se consideremus seorsim à
legibus; sunt etenim Electoratus insigniores Imperii Principa-
tus, igitur quæ ætas in illis idonea habetur ad publicam admini-
strationem, cur non eadem admitti debeat in aliis Principati-
bus

bus Imperio ſubjectis, nulla ratio objici poteſt præter legis defectum; hoc tamen unum obſtaculum tàm eſt efficax, ut 582
Principes Imperii cæteros, quorum minor ætas nec Privilegio Cæſareo, nec diſpenſatione veniæ adjuvatur, ſecludat ab adminiſtratione Principatus, quoniam Aur. Bullæ diſpoſitio circa filios Electorum ſecularium ſucceſſores Electoratus ſingularis eſt, & correctoria juris communis, quo ad legitimam 583
adminiſtrationem non octodecim anni ſufficiunt, eo ſcilicet reſpectu, ut quis ſub curâ eſſe deſinat, ſed viginti quinque requiruntur; itaque in modum privilegii jurisque correctorii filiis Electorum ſucceſſoribus Electoratus à decimo octavo anno expleto publica adminiſtratio conceſſa eſt, adeoque non 584
debet extendi ad aliorum principatuum ſucceſſores, *l. quod. contra*, 14. *ff. de ll. l. præcipimus* 32. §. *fin. C. de Appell.* præſertim quia res hæc Principum curatorum jura læderet, qui cedere curatoriâ Principatus adminiſtratione, ante legitimam ætatem Principum ſub curâ conſtitutorum nollent jure utique communi hac re ſubnixi, hinc & exempla nota ſunt Principum, qui per privilegium Cæſareum ante legitimam ætatem ſuſceperunt regimen Principatus, & referuntur apud *Reink. d. l.* recentiſſimum in domo 585
Wirtenbergicâ conſpicuum eſt, quo qui hodiè regimini præeſt Dux Sereniſſimus, per diſpenſationem invictiſſimi Imperatoris noſtri, ad gubernacula ducatus ante majorennitatem pervenit, curaque agnati Ducis finita fuit; præ cæteris verò rem hanc declarat celebre quod in familiâ Sereniſſimâ Haſſiacâ anno 1625. contigiſſe exemplum memorat *ibid.* Rein 586
king. dum Ferdinandus Secundus Imperator Landgravio Georgio privilegium dedit, ut heredes maſculi Sereniſſimi impetrantis, ad quos ex ordine ſucceſſionis Principatus Haſſiacus devolveretur, completâ octodecim annorum ætate, inſtar filiorum Electoralium, publicam adminiſtrationem in Prin- 587
cipatu ſuſciperent; Quodſi hæc diſpoſitio ipſo jure ſic obtineret, cur opus fuiſſet conceſſione & impetratione privi-

legii? Colligamus igitur ex his octodecim annos, sed viginti quinque ex regulâ ad Principatus cæteros (idem in comitatibus & dynastiis juris) idoneos esse, nisi ante hanc ætatatem Cæsareâ concessione Princeps adolescens ad administrationem perveniat, nihilominus tamen argumentum bonum
588 est in dispensatione ætatis Principis, non requiri viginti annos: quia aliàs per regulam *d. l. omnes* in aliis desiderarentur, quòd Electorum filii ipsâ lege ad publicam administrationem idonei statuantur ab hæc ætate, ut sic cæteri Principes, licet
589 non legali dispositione, quæ deficit, saltem dispensativâ Imperatoris concessione post octodecim annos, habiles censeantur ad Principatus gubernacula, etsi in facto sic casus contigisset, ut Imperator impetrantis Principis annos haud præ-
590 cisè scivisset; hoc ampliùs & septendecim anni per dispensationem ætatis ad eam rem sufficere possunt, quo puncto in filiis Electorum dispar ratio est, quia cum Aurea Bulla *loc. alleg.* requirat præcisè octodecim annos completos, non videtur ante eam ætatem dispensandum duplici ratione, partim quia
591 *in Cæs. Capit. art.* 2. Aureæ Bullæ cæterarumque legum Imperii fundamentalium observantia strictissima promittitur, & consequenter dispensatio ætatis in successore Electoratus, contrà quàm in alterius cujusdam Principatus successore, cui
592 Aurea Bulla non obstat, exclusa videtur; partim, quia curatores agnati, quibus Carolina hæc lex administrationem Electoratus adusque annum decimum octavum successuri filii Electoralis defert, jus quæsitum habent, quod ipsis per dispensationem ante tempus non auferendum erit. *arg. l. fin.*
593 *ff. de pact.* Cæterum quod Limnæus *d. c.* 9. *n.* 150. pro memorabili refert: Imperatorem non adstringi ad observantiam, *d. l. omnes*, juxta superius tradita verum est, si dispensare velit, aliàs autem in dubio etiam Imperatoria veniæ concessio intelligenda erit, juxta *d. l. omnes*, quia ea forma ipsi Cæsareæ ætatis indulgentiæ, quippe cum hoc jus soli Principi Romano

Romano tunc competeret, præscripta fuit, quanquam ergo si à Cæsare Principibus vel Proceribus illustribus Imperii ætatis venia concedatur, haud præcisè respicienda sit meta viginti 594 annorum ex suprà deductis, tamen in personis aliorum nisi Imperator dispensaret cum minoribus annis, & maximè si ab impetrante allegatum esset, se jam viginti annos ætatis explevisse, cum nondum expleverit, etiam Imperatoria concessio non valeret; cum non videatur Imperator dispensare voluisse cum lege, nisi hoc conscius exprimat *d. l. ex facto* 595 *in prin. & d. l. si quando in princ.* & minus utique tunc si per falsam allegationem Imperatori fuisset obreptum *l. etsi legibus 5. C. si. contra jus vel util. publ. l. fin. C. de div. rescr.* Hæc 596 ita, quod ad ætatem attinet, impetraturi veniam obtinent, sed quod ad probationem morum apud judicem discessum à formâ *d. l. omnes* moribus nostris videtur; neque enim opus est impetratâ ætatis venia probare mores apud judicem, sed ipsi Imperatori aut his, qui veniam ætatis indulgent, fides fit de moribus bonis ejus, qui ante legitimam ætatem major esse cupit, & sic impetratur diploma vel documentum majorennitatis, sed de jure veniæ ætatis, & quatenus adhuc in reservatis sit hactenus. Porrò referri hoc pariter solet jus moratorii, vul- 597 gò ein Anstands-Begnadigung, cujus virtute consequuntur debitores Imperatoriâ auctoritate dilationem solutionis *l. quoties. 2. C. de prec. Imp. offer.* In ordinationibus Imper. Politicis hæ concessiones nomen habent quinquennel, ut videre licet ex *Ref. pol. de anno* 1548. *tit.* von verdorbenen Kauffleuthen. §. und nachdem Sie, *& Ord. pol. de anno* 1577. *tit. & §. eod.* Ast verò quinquennalium induciarum, quæ obæratis debitoribus conceduntur, nomenclatio in jure communi non 598 Imperatoriæ concessioni attribuitur, sed indulto creditorum juxta *l. fin. C. qui bon. ced. poss.* Neque etiam necesse est, ut moratorium beneficio Imperatoris impetratum præcisè sit quinque annorum, cum possit solvendi di- 599 latio esse minor vel major, utpote nullo tempore huic

concef-

concessioni à jure præfinito, utut in legibus Imperii Politicis jam allegatis moratorium & quinquennel pro synony-
600 mis ponantur. Et quod ad modum moratoriæ concessionis attinet, summâ justitiâ placuit eam sub cautione procedere, ne creditores per occasionem vel tempus moratorii defraudentur, *ex l. universa. 4. C. d. t. de prec. Imper. off.* Quæ cautio haud dubiè fidejussoria esse debet, juxta *d. l. universa*, quanquam & pignoratitia idonea recipi queat, arg. l. *promissor*, 21.
601 §. 2. *ff. de const. pec. l.* 1. *§.* 9. *ff. de coll.* Aliam limitationem addunt ordinationes Politicæ Imperii *in loc. præcit.* videlicet, ut moratoria haud concedantur fraudatoribus, sive decoctoribus malitiosis, quos vulgò fallitos nomine minus Latino & Banquerotirer appellamus, horum nempe conditio obærata favorem nullum meretur, sicut eorum, qui citra culpam vel dolum inciderunt in hoc infortunium, ut non sint solvendo;
602 eoque fine statuunt allegatæ leges politicæ, non concedenda moratoria, nisi præviis literis informatoriis Magistratus loci, vel nisi supplicans pro moratorio probabili ratione fidem faciat ac demonstret, se per casus fortuitos incidisse in calamitatem paupertatis. Addit recessus Imper. de anno 1654. §. Dieser unserer 175. aliam limitationem nimirum
603 Imperatorem moratoria contraria dispositioni dicti recessus circa credita & debita non concessurum; unde de hac re, an moratoria Cæsarea penitus sublata hodiè sint, quæstio moveri potest, quia *art.* 2. *Capit. Leopold.* cavetur, recessum hunc Imperii, tanquam si de verbo ad verbum in Capitulatione descriptus appareret, observandum esse, adeoque etiam punctum
604 de moratoriis in d. §. Dieser unserer, sed nihilominus verius est, moratoria concedendi jus ademptum Imperatori non esse, quamvis exercitium ejus, ne dispositio recessus hujus Imperii circa beneficia creditorum minus observetur, aliquatenus sit restrictum. *vid. disp. m.* 14. *ad hunc rec. Imp. th.* 78.
605 *& sequ.* Valent porrò moratoria Imperatoris in universo Imperio

Imperio quibusvis hominibus ritè concessa; quanquam enim aliorum quoque Principum Statuumque sit, concedere moratoria, non tamen hæc nisi in subditis, qui dominio territoriali subsunt, locum habere possunt; ast Imperatoria concessio non ex jure territorii fit, sed Cæsareo superiori, quod per totum Imperium obtinet; idque satis probant literæ informatoriæ, hoc fine ad Imperatorem de conditione supplicantis mit- 606
tendæ, ut instruatur de circumstantiis, an moratorium indulgendum sit nec ne, *juxta ord. Imper. Pol. d. l.* Quod igitur suprà multorum jurium exemplis dictum declaratumque est, scilicet cum exercitium dominis territorialibus communicatum sit quoad subditos, universale tamen jus per totum Imperium 607
adhuc Imperatori competere, & de reservatis esse, item quòd licet exercitium sit quodammodo ex lege restrictum, salvum tamen maneat jus in se, hic quoque subintelligendum est, adeoque moratorium in reservatis ponendum, quod sic numeramus trigesimum sextum. Amplius reservatis accensetur jus eximendi Principem vel Statum Imperii à jurisdictione Cameræ Imperialis, *Gylm. l. 2. decis. Cam. 54. n. 34. Sixtin. de* 608
regal. lib. 1. c. 2. num. 3. Knipschild. de civ. Imp. l. 2. c. 4. n. 92. Fundamentum hujus rei ex jurisdictione est, quòd cum Cameræ jurisdictio maximè Cæsarea sit *Ord. Aul. Ferd. III. tit. 2. §.* So wollen restringi etiam eatenus possit à Cæsare, ut quis per communem Ordinationis regulam subjectus, indulto Cæsareo ab eadem eximatur; valet nimirum argumentum à con- 609
cessione jurisdictionis, ad exemptionem ab eadem, *per text. in l. sed si eadem. 3. ff. de off. ass. & in l. 1. C. de off. mag. mil. l. præcipimus 2. C. de off. mil. jud. Nov. 145. c. 1.* Cujus 610
rei exempla extant vetera ac recentia; ita enim Quintus Minutius Magister equitum à jurisdictione & Imperio Fabii Maximi Dictatoris plebiscito exemptus est adæquatione potestatis, referente *Liv. lib. 22. histor.* ita Principis auctoritate Alexandriæ juridicus à præfecturâ Augustali, & ex privilegio

Hispaniæ Regum equites aurei velleris gubernatorum jurisdictioni eximuntur, ut nonnisi coram rege conveniri queant,
611 ceu tradit *Leonin. conf.* 80. Et quid aliud sunt privilegia de non evocando quàm exemptiones à jurisdictione dicasterii Rotwilensis vel similium judiciorum, ac in terminis ab ipsâ Camerâ ejusque jurisdictione exempti Archiduces Austriæ ac Duces Burgundiæ ex privilegio Caroli V., *Wehn. lib.* 6. *Symphor. Gylm. pag.* 29. *& p.* 39. Item Duces Lotharingiæ, *Wehn. d. l.*
612 *p.* 44. quanquam quoad contributiones Imperii fundata referatur jurisdictio Cameræ in Duces Lotharingiæ *d. p.* 44. Quæ verò circa materiam exemptionis Burgundiæ Ducis, quà talis in controversiam vocentur, commemorat, *d. p.* 39. Wehnerus,
613 & supra proposui *tit.* 3. Planè hæc exemptionum privilegia à jurisdictione Cameræ tolerabiliora sunt privilegiis omnimodæ exemptionis ab Imperio, quòd hæc plenam inferant independentiam, illa non æquè, cum à foro Camerali possit quis esse exemptus, licet Imperatori & Imperio subsit, ceu docent Principum Ordinumque Italiæ diversa exempla, quos adhuc
614 Imperatori & Imperio subjici haud negandum, utut in Cameræ tribunali conveniri non æquè soleant; atque hoc omninò dicendum est & evidenter cernitur in casibus à jurisdictione Cameræ exceptis, ubi non obstante privilegio exemptionis fori Cameralis, nihilominus quis rectè conveniretur apud Imperatorem, putà in causis regalium feudorum; neque enim
615 exemptio Cameræ ad causas referenda vel extendenda est, quæ ad Cameram non pertinent, cum exemptio talis tanquam jurisdictioni Imperii derogans, odiosa sit. *c. odia de reg. jur. in* 6. *Rec. Imp. de an.* 1654. §. Weilen auch der Stände 106.
616 *circa fin.* Ex quibus resolvi pulchra quæstio potest, an habens privilegium exemptionis à jurisdictione Cameralis judicii possit in Senatu Imperiali Aulico conveniri? Respondetur enim non posse in omnibus illis casibus, quibus Cameralis & Imperialis Aulici tribunalis concurrens est jurisdictio; posse verò

verò in cæteris Imperatoriæ jurisdictioni reservatis & à jurisdictione Cameræ exceptis; ratio prioris membri est, 617
quòd exemptio Cameræ debeat utique aliquid operari, sed si exemptus à jurisdictione Camerali regulariter posset in Senatu Aulico conveniri, privilegium in effectu ferè inutile fieret, cum ejus intentio fuerit, ne impetrans in supremo Imperii dicasterio debeat conveniri, ergo si tempore concessionis 618
unum forte fuit, vel sub Imperialis Cameræ vel Aulici judicii nomine (quâ de re suo loco) nihil refert, si posteà distincta esse cœperint judicia suprema, quin in casibus Camerali foro subjectis, exemptus à Camerâ censeatur quoque exemptus, à jurisdictione Aulici judicii, videlicet cum alioquin privilegii exemptionis finis haud obtineretur; at casu posteriore non 619
juvabit exemptum allegatio sui privilegii, quo non uteretur apud Imperatorem, si supremum Imperii judicium unicum mansisset, nihilominus scilicet casibus reservatis vel exceptis conventus debuisset respondere, hæc ita nisi tenor privilegii expresè eximeret etiam ab ipsius Imperatoris vel Imperii jurisdictione, ut restrictio ad forum Camerale subintelligi non posset, & consequenter etiam de foro Aulico exemptio accipi deberet, quemadmodum legimus conceptum privilegium exemptionis Austriacum apud *Wehn. d. tom. 6. pag.* 35, Der 620
obgemelte Ertz-Hertzog ist umb kein Sach schuldig vor dem Reich oder dessen Cammer-Hoff-oder andern Gerichten, wie die Namen haben, zu Recht zu stehen, Er thue es denn gern. Quæ verba, oder dessen Cammer-Hoff-oder andern Gerichten, omittuntur in concessione Wormatiensi relatâ à Cuspiniano *in Austr.* Neque dubitan- 621
dum, etsi sola exemptio à jurisdictione Imperatoris vel Imperii expressa fuisset impetratorem à Camerâ etiam cæterisque judiciis Imperii, utpote jurisdictionem ab Imperatore vel Imperio datam exercentibus, exemptum intelligi debuisse. Verùm talia exemptionum privilegia odiosa sunt &

622 rariùs concedendæ *arg. d.* §. weiln auch der Stände, jus tamen ipsum exemptionis à foro Camerali, adhuc penes Imperatorem esse recteque inter reservata hic trigesimum septimum poni, ex hactenus dictis satis apparet. Trigesimo octavò jus concessionis insignium considerandum, Wapen-Verleyh- oder Begnadigung, quod regale esse, ex *l.* 1. *cum l. sequ. C. ut nem. priv.* deducere solent; verum hi textus de titulis, inscriptionibus ac velis regiis loquuntur, unde minus concludenter colligi videtur, insignium usum privatis absque
623 concessione Imperatoriâ interdictum; sed quicquid de his sit titulis ac dignitatibus ab Imperatoriâ Majestate collatis, convenientia etiam insignia esse attributa, dubitandum non est; cautumque capitulationis legibus, ne privati auctoritate propria alia usurparent vel sibi arrogarent insignia, quæ illustrem dignitatem vel nobilitatem præ se ferunt, hinc fisca-
624 li Imperiali, ut adversus usurpatores temerarios ad pœnam agat, injungitur *art.* 45. *Capitul. Leopold.* his verbis: Und unser Käyserlicher Reichs-Fiscal wider alle, welche ohne unser Käyserliche Verwilligung oder unserer verordneten Palatinen einiger Stands- Erhöhung, nobilitationen Raths- Tituln oder Prædicaten und denominationen sich anrühmen oder sonst eigene Wapen mit offenen oder zugethanen, Helmen formiren, der Gebühr zu verfahren, und dieselbe nach Gestalt des Verbrechens und der Personen zu behöriger Straff zu ziehen, schuldig und gehalten seyn
625 soll. Qui textus universaliter ostendit, insignium jus ad Cæsarem vel eos, quibus Imperator concessionis facultatem dederit, ut sunt Comites Palatini, pertinere, & cum nulla pœna legibus definita sit adversus usurpatores, sequitur arbitrariam locum habere, *l. si qua* 244. *circa fin. ff. de verb. sign. c.* 4. *x. de off. & pot. jud. deleg.* Consimili ratione, ut libertinæ conditionis hominibus, si jura ingenuorum usurpassent, pœna imminet *l. un. C. ad L. Visell.* Igitur ut honorum dignitatumque

tatumque

tatumque collatio, sic insignium quoque Imperatoris est, cum hæc sint velut consequentia; attamen hujus juris exerci- 626
tium favore antiquiorum illustriumque Imperii familiarum per capitulationis Legem quadantenus restrictum est, ne scilicet insignia ad præjudicium gentilitii cujusque familiæ juris prioris nova concedantur, sic sta- 627
tuendo *Capit. Leopold. art.* 44. in verbis: Wollen auch zu Præjudiz oder Schmählerung einiges alten Hauses oder Geschlechts dessen Dignität, Stands, und üblichen Tituls, keinen, wer der auch seye, mit neuen prædicamenten, höhern Tituln oder Wappen-Briefen begaben. Nam cum ab 628
insignium conformitate argumentum rei desumi soleat, *ex Tib. Dec. vol.* 3. *resp.* 9. *seq.* 157. *Cather. decis.* 40. *n.* 2. & seq. mirum non est, si familiis illustribus Imperii, ne novis concessionibus paterentur præjudicium, lege prospectum sit. Hac tamen exercitii restrictione haud obstante, jus insignium reservatis hodienum accensendum sine dubio est, cum aliqualis hujusmodi circumscriptio vel limitatio usus jus ipsum per se non tollat, ut exemplis pluribus hactenus assertum & deductum est. Succedit trigesimò nonò jus repressaliarum, quæ sunt personarum rerumque innocentium capturæ & pignorationes, jure communi prohibitæ ex *l. un. C. ut nem. ex conv. Nov.* 52. *c.* 1. æquitatem tamen assumunt, sub certis requi- 629
sitis, nempe si in persecutione debiti liquidi justitia denegetur, nec pateat aditus ad superiorem & publicâ auctoritate copia pignorationis detur, sub quibus conditionibus pignorationes ejusmodi repressaliarum nomen obtinent, & speciem belli habere dicuntur, quòd, sicut in bello personarum rerumque hostilium promiscua captura sit permissa, sic quoque legiti- 630
mâ auctoritate permissis repressaliis, *c. dominus* 23. *quæst.* 2. *c. un. de injur. in* 6. *Iacob. à Can. de repressal. p.* 1. *num.* 21. *& sequ.* Sed hoc intelligendum est de exteris regibus vel rebus publicis, contra quos vel quas repressaliæ decernuntur ob dene- 631
gatam justitiã, non verò de Statibus Imperii, qui si justitiam dene-

gent, non repressaliis Cæsareis locus est, sed recursui ad Impe-
ratorem vel tribunalia Imperii ex capite denegatæ justitiæ, juxta *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 1. *& tit.* 26. Hinc licet Imperatoris sit
decernere repressalias, *Gail. de pign. c.* 1. *n.* 5. non tamen con-
tra Status decerni debent, quia sic permitteretur bellum inter
632 cives Imperii, quod publicæ leges aversantur. Quo intuitu
Gailius ait: Imperatores Romanorum non consuevisse ob
denegatam justitiam, repressalias concedere, quamvis hoc
sæpè petitum fuerit. *de pign. c.* 2. *num.* 3. Planè repressa-
liarum concessionem Imperatori præcipuam ac reservatam
633 esse communiter volunt, usque adeò ut scribat *Reink. lib.* 1.
de reg. sec. & Eccles. class. 5. *c.* 6. *n.* 127. Si Elector Princeps aut
Status aliquis repressalias decernat, quod mandata sine clausu-
lâ contrà dentur, quam sententiam etiam refert *Knipsch. de
civ. Imp. l.* 2. *c.* 4. *n.* 66. Verum hoc accipiendum de illicitis
repressaliis inter Status Imperii, uti declarat Dn. *Mulz. de re-
634 press. Imper. p.* 2. *C.* 26. §. 11. *n.* 122. Meritò, quoniam hac
specie subversantur facta ipso jure prohibita per *d. l. un. & d.
Nov.* 52. quibus pax publica, quæ tàm sanctè inter Ordines Im-
perii eorumque subditos per constitutiones servanda est, & no-
vissimâ lege *Instr. Pac. art.* 17. §. *& nulli.* repetitur, ipsâ con-
cessione capturæ subditorum vel rerum pro alienis debitis læde-
retur, unde mandata sine clausulâ cassatoria de non offen-
dendo vel similia in supremis Imperii tribunalibus rectè de-
635 cernerentur, sed hæ repressaliæ, quæ mero facto consistunt, & il-
licitæ sunt, haud pertinent ad nostrum argumentum, quo de re-
servatis scribimus, sub quibus quæ comprehenduntur, jura sunt
Cæsarea, non facta illicita, atque adeò ulteriùs disquirendum
est, annon licitarum repressaliarum exercitium vi juris territo-
rialis communicatum quodammodo sit Principibus & Stati-
636 bus Imperii. Certè hoc intuitu mandata sine clausulâ, quæ
in illicitis repressaliis inter Status & eorum subditos obtinere
dixi-

diximus, contra Principes & Status, si ritè concederent repressalias, decernenda non foret; nec enim facta pariter prohibita involvunt, sed jura territorii respiciunt. Ut verò hæc 637
res magis inclarescat, deducendum est, quæ repressaliæ licitæ, quæ illicitæ sint. Licitas ergò dico eas, quæ in causâ justâ apud exterum regem vel rempublicam, cui adversarius subjectus est, imploratâ justitiâ, sed eâdem denegatâ vel evidenter protractâ, publicâ auctoritate conceduntur; *vid. disp. mea. 8. ad Rec. Imper. de anno* 1654. *th. XI.* De his igitur quæstio est repressaliis, an adeò sint de reservatis Cæsareis, ut nulli Principum vel Ordinum Imperii eas in territorio permittere liceat, v. g. si ponamus justum debitum esse, & liquidum exterumque 638
regem vel rempublicam, cui debitor subjectus, pro administrandâ justitiâ hujus causæ imploratum vel imploratam aut denegare justitiam aut manifestè protrahere, neque patere aliam obtinendi debite rationem, sanè quin ab Imperatore repressaliæ tunc justè darentur, ex suprà deductis haud facile quis negaverit; idem igitur & de Principe vel Domino terri- 639
torii asserendum videtur, rectè nimirum ab eo decretum iri repressalias territoriales, per quas alii subditi illius regis vel reipublicæ quamquam per se innocentes, eorumve res in territorio concedentis capiantur, usque dum debito liquido, cujus aliter consequendi ratio nulla patuisset, foret satis factum; cum enim Lex *Inst. pac. art.* 8. §. *gaudeant.* Principibus & Sta- 640
tibus Imperii jura fœderum cum exteris illibata conservet, jura etiam armorum territorii, juxta leges circulares iisdem competant, alioquin ex officio defensio subditorum incumbat, haud immeritò concessione repressaliarum adversus exteros, dum subditi aliter suum conseqni nequeunt, per speciem defensionis uti videntur, atque hæ minimè sunt illicitæ illæ constitutioni pacis publicæ adversantes repressaliæ, contra quas 641
mandata sinè clausulâ locum invenire diximus, & sic illicitæ repressaliæ sunt, quibus suprà scripta requisita deficiunt, inprimis

primis quas Principes vel Status Imperii adversus Constatus vel subditos aut res eorum decernunt. Ex deductis verò ap-
642 paret, 1. nec ab Imperatore concedendas repressalias in controversiis Statuum; cur enim patiatur ad arma pervenire, quos potest suâ jurisdictione componere, ut Julianus de Prætore censuit, apud Ulpianum *in l. si cujus* 13. §. 3. *ff. de usufr.* maximè
643 cum pignorationes inter Status per pignoratitiam constitutionem sint prohibitæ, &, si de facto contigerint, capta protinus restitui debeant, tùm etiam via facti generaliter excludatur per *Instr. pac. d. §. & nulli.* colligere licet. 2. Repressaliarum jus esse
644 restricti exercitii, nec habere locum nisi contra exteros, post denegationem vel notoriam protractionem justitiæ. Colligitur 3. Differentiam repressaliarum Cæsarearum & Principum Statuumque Imperii, quòd Cæsareæ jure potestatis universales sint in Imperio, cæteræ particulares ac territorio circumscriptæ; ubi tamen novus scrupulus emergit: cum enim ex jure belli liciti repressaliæ defendi soleant, *d. can. dominus*, jus autem belli in Imperio hodiè comitiale sit juxta *Instr. pac. d. §. gaudeant*, non utique reservatis adhuc hodiè repres-
645 salias accensendas dixeris. Sed respondetur, quamvis repressaliæ assimilentur bello, respectu requisitorum suprà scriptorum, quoad formam tamen differre, & propriè dictum bellum non esse, quia non ad hoc conceduntur, ut liceat, alterius partis homines non capere tantùm, sed extremâ etiam vi offendere & occidere; moderatior igitur repressaliarum vis est,
646 quæ pro modo alieni debiti infertur aliis, sine occidendi licentiâ; præterea non capientium prædæ cedunt res captæ, sed in solutionem debiti, pro quo repressaliæ concessæ convertuntur; imò ne capere quidem eos, contra quos repressaliæ con-
647 cessæ sunt, nisi aliud habeat concessionis forma, privatis licet, & officiales publici, quibus ea res commissa est, facta delatione repressaliando, ut sic loqui liceat, auctoritate publicâ per suos capiunt detinentque, quæ captura & detentio species arresti est,

est, hoc ipso ab arrestis licitis distincti, quòd quis pro alieno debito capiatur, quam rem supra scriptæ circumstantiæ contra juris regulam prohibitivam faciunt licitam, denique repressaliæ circumscribuntur Impe- 648
rio vel territorio concedentis; ut enim arrestum extra fines Imperii vel territorii decernentis non valet, sic nec, quæ species arresti sunt, repressaliæ, unde his concessis non est licitum eorum, in quos decretæ sunt infestare terras, populari agros, urbes obsidere, & quæ similia alia bello permissa censentur, peragere, sed repressaliarum tota concessio ad speciem capturæ ac detentionis intra Imperium vel territorium constringitur, & adusque modum debiti exercetur. Ex quibus utique 649
satis constat, repressalias, quamvis ex principiis belli quoad requisita justitiæ concedi soleant, & multam etiam concessionis circumspectionem, ne forte noceat, efflagitent, â solenni tamen bello quoad formam & effectus plurimùm differre, quippe quibus scopus sit non extremæ ostensionis, sed capturæ personarum ac rerum pro solutione alieni debiti facultatem dare. Hinc jam clariùs perspicitur, argumentum à jure belli 650
ad repressalias sensu negativo non valere, quasi idcircò, quòd Imperatori non liceat bellum Imperii nomine citra consensum Ordinum Comitialem indicere, etiam sine hoc consensu nequeat indulgere repressalias, cùm hæc jura utut intuitu re- 651
quisitorum justitiæ similia, ratione formæ & effectuum valdè discrepent, ut propterea nihil obstet, quamvis jus belli indicendi juxta novissimas Imperii leges Comitiale sit, jus tamen repressaliarum universalium in Imperio adnumerare reservatis, quod adeò trigesimum nonum erit. Sequitur comitiorum 652
indictio, quâ Cæsar Ordines Imperii ad deliberandum de publicis negotiis convocat, vulgò das Außschreiben eines Reichstags, hanc indictionem Cæsari competere palàm est, sed & hoc manifestum, desiderari ad hanc rem consensum collegii Electoralis, ut adeò hoc jus ceu plura alia exercitio

restringatur, neque duplici tùm hujus consensus, tum loci, ne extra Germaniam indicantur vel habeantur Imperii comitia,
653 quæ utraque restrictio in lege *Capit. Leopold. art.* 317. his verbis expressa est: Und sonderlich keinen Reichstag ausserhalb deß Reichs Teutscher Nation, auch ehe und bevor wir darzu umb der sieben Chur-Fürsten Consens, und Verwilligung durch sonderbare Schickung angehalten, und uns mit denselben, so wol der Zeit, als Mahlstadt verglichen, oder Sie von selbsten deß Reichs Anliegenheit halber uns darumb unterthänig angelanget und erinnert,
654 vornehmen oder außschreiben. Ubi plura notatu digna occurrunt: 1. sub nomine Regni Germanici deß Reichs Teutscher Nation solam intelligi Germaniam; etsi enim Imperium Romano-Germanicum latiùs pateat Germaniæ finibus, quâ de re suprà *tit.* 3. tamen Teutonicæ nationis regnum solâ Germa-
655 niâ terminatur, sc. cum olim plura regna in corpus Imperii Romano-Germanici coaluissent, ex illis præcipua Pars Germanicum regnum fuit; hoc igitur Capitulationis articulo excluditur comitiorum indictio in aliis partibus, velut in Italiâ, ubi olim conventus Ordinum plures fuerunt tùm Italicorum, tùm Germanicorum Procerum, nominatim in Roncaliis (sic dictis patentibus Insubriæ campis) quo loco non tantùm de Italiæ rebus, sed de his etiam, quæ Alemanniæ sive Germaniæ
656 statum concernerent, deliberatum fuisse, docemur exemplo Fridericianæ legis 2. *F. 55. pr.* & §. 1. quæ ad utriusque Regni Germaniæ & Italiæ observantiam ibi condita est. Itaque Capitulationes, Germaniæ Principes & Status ad comitia Roncaliarum, vel aliorum Italiæ locorum, & omninò extra Germaniæ fines, vocari vetant, nec forte vocatos ad comparendum obstringi sinunt, quæ res & à molestiis longinqui iti-
657 neris, & à sumptibus majoribus relevat, atque hæc est restrictio indictionis Comitiorum respectu locorum extra Germaniam;
658 altera consensum Electorum requirit in verbis præ-

allega-

allegatis: Umb der sieben Chur-Fürsten Consens und Verwilligung, &c. ubi notandum 2. Consensum Electorum mediâ legatione obtineri, ibi: Durch sonderbare Schickung angehalten. Hinc quæri potest, num hanc legationem ad collegium Electorale, an ad singulos Electores mittere conveniat, posterius videri potuisset primâ facie per voculam Sonderbare. Nec certè ratio suadet Electoralem conven- 659
tum, quia arbitrii Electorum est, an convenire velint nec ne, eaque etiam res moras conjunctas habet, unde Reip. negotia 660
pati possent detrimentum, & propterea Electorum conventus pro impetrando consensu indictionis comitiorum necessarius juxta legem non est, cum hac de re capitulatio nihil disponat; veruntamen vox illa Sonderbare unam denotat ac peculia- 661
rem legationem, quam sufficiet Imperatorem ad collegiũ mittere, ut comitiorum indictionem judicio Cæsareo Reip. necessariam proponat, ac consensum Electorum efflagitet, quo facto, saltem per literas Electores invicem placita sua communicare poterunt, & Cæsaris literis, quas ad singulos dare solet de consensu respondere; isque consensus nec difficilis esse debet circa quæstionem: an comitia indicenda, ne ex nimiâ restrictione Imperatoriæ potestatis Respublica quid detrimenti capiat; sed 4. ad duo maximè pertinet, tempus scilicet & locum, 662
quorum utrumque ratum acceptumque Electoribus esse debet, antequam comitia indicantur, neque, quod locum concernit, extra Germaniam requirendus vel consensu probandus est, quoniam Capitulatio obstat, cæterique Principes & Ordines Imperii reclamare possent, sed de ipsis Germaniæ partibus sermo est, ut inter Imperatorem & Electores conveniat, quâ urbe 663
vel loco Germaniæ comitia habeantur; ubi 5. ulterius considerandum, an Electorum unanimis consensus circa tempus & locum comitiorum requiratur, quod lege silente nobis re- 664
ligioni ducere debemus asserere, ut satis videatur plures Electores consentire, ne forsan dissensu paucorum Imperium

sentiat damnum ex morâ vel impedimento publicarum deliberationum. Et hic igitur Electorum consensus ex majoribus placitis colligendus erit, ut si plures numero accesserint Imperatoris sententiæ circa locum & tempus comitiorum per legationem propositæ, jam dici queat Electoralem consensum pro indicendis comitiis satis esse obtentum *arg. l. quod major.*
665 19. *ff. ad mun.* Secundum hæc igitur credentiales, quas vocant, literas legatio Cæsarea exhibebit, ut oretenus Cæsaris mentem circa indictionem comitiorum, locum item & tempus exponat, nisi forsan maluerit Imperator hæc ipsis literis complecti, & tan-
666 tùm per legatos repetere, ac responsum de consensu urgere. Sanè per literas absque legatione præsentium adhuc comitiorum initia expedita fuisse constat, quæ literæ Cæsareæ ad diversos Electores, Principes ac Status primò pro translatione conventus deputationis transmissæ sunt, & exhibentur à *Lund.*
667 *tom.* 8. *act. publ. c.* 349. 350 351. *&* 369. & alibi pluries, teste eodem *Lund. tom.* 9. *c.* 100 deinde pro consensu comitiorum universalium seorsim ad Electores; cujusmodi literarum exem-
668 pla apud *Lundorp.* referuntur *d. tom.* 9. *c.* 27. *&* 28. Ad solum tamen Moguntinum Electorem Joh. Philippum, sed magis pro consensu transferendi conventus deputationis, qui Francofurti agebatur, ablegatus est Vicecancellarius Imperii Dn. de Wallerndorff. quòd Elector Moguntinus constanter translationi deputationis restiterit, ne Lex Imperii mutatione loci, qui ex regulâ Deputationum ordinariarum Francofurtum est, offenderetur, nec permoveri potuit, ut vel plurium consentientium Electorum, Principum & Statuum exempla hac in re sequeretur. Ad extremum imminente bello Turcico priori, omissâ Deputatione, in Comitia universalia ab Electoribus consensum est, ut docent literæ apud jam allegatum Lundorpium, *d. tom.* 9. *c.* 8. 11. 19. 20. *& al.* Ex quibus apparet, consuetudine Capitulationis legem interpretante non necessariò requiri legationem pro obtinendo consensu indictionis comitio-

comitiorum, sed sufficere literas ad Electores, & quidem se- 669
orsim missas; certè in literis responsoriis ad Imperatorem Leopoldum Elector Brandenburgicus Fridericus Wilhelmus refert tenorem Cæsareæ epistolæ ad se missæ, his verbis: Daß 670
Euer Käyserliche Majestät zwar drauf resolviret und entschlossen, den Reichstag gegen den 1. October des nechst künfftigen 1662. Jahrs unfehlbar außzuschreiben / darzu aber zuvorderist / vermög der Fundamental-Gesetz und alten Herkommens auch unsern Consens erfordern und begehren wollen, quem consensum in contextu subsequenter ita exprimit: Also finde ich kein Bedencken zu dieser determinir- und Außschreibung des allgemeinen Reichstags meinen Consens zu ertheilen, inmassen ich dann denselben hiemit und in Krafft dieses gegeben, und ertheilt haben will, cæteros etiam Electores, quos pariter consensisse patet, simi- 671
li ratione per literas, ut consentirent indictioni comitiorum, requisitos fuisse, probabile est, & exemplis apparet *ex Lundorp. d. c.* 27. *&* 28. ut hæc res, & quod ad legationem attinet, & quod ad modum literarum, dummodò Electores pro consensu indictionis comitiorum implorentur, Cæsareæ Majestati videatur arbitraria. Atque ex actis Lundorpii col- 672
ligere licèt, Imperatorem nostrum propter præsentia comitia triplices literas dedisse ad Electores, requisitoriales pro obtinendo consensu, redhibitorias gratiæ propter consensum, & indictionis ipsius, requisitoriales in formâ non exhibet *d. l.* 673
Lundorpius, sed eas præcessisse demonstrant tùm Electorum epistolæ responsoriæ, & inprimis Brandenburgicæ apud *Lundorp. d. tom. 9. c. XI.* tùm gratificatoriæ Imperatoris, quibus, quòd ad literas suas Comitiorum indictioni, loco etiam ac tempori consentire voluerint, Cæsar Electoribus gratias agit, allegante exempla Lundorpio *d. c.* 27. *&* 28. Ac requisitoriales quidem fuisse manuales, Käiserliche Hand-Schreiben, epistola responsoria Friderici Wilh. Electo- 674
ris Brandenburgici ostendit, *d. c. XI.* Literæ indictionis ipsius

 sunt,

sunt, quibus Imperator obtento jam Electorum consensu
675 tempus & locum determinando Ordines Imperii ad comitia
vocat, qualis forma ad Electorem Moguntinum transcripta
extat *in tom. 9. act. publ. Lundorp. c.* 131. ubi insuper causa
impulsiva comitiorum stylo expressiori adducitur, ac in fi-
676 ne clausula subjicitur de obligatione decretorum comiti-
alium in eventum absentiæ his verbis: Und ob schon Eure
Liebden nicht erscheinen, so wird doch Deroselben nichts
desto weniger obliegen, was in unserm und der erscheinen-
den Chur-Fürsten und Ständen Namen, entweder
selbst oder durch Deroselben gevollmächtigte Räthe,
Bottschafften und Gesandten verabschiedet werden wird,
neben andern Anwesenden zu vollziehen. Itaque hæc
677 clausula similis est peremptoriæ citationi, quâ, sive vocatus
compareat sive non, comminatur judex, ritè in negotio pro-
cessum iri; & sanè in plerisque literæ indictionis comitio-
rum comparari possunt citationi judicii præparatoriæ, nimi-
rum in expressione vocantis, vocati, causæ, loci, tempo-
678 ris, sed causa finalis discrepat; neque enim Ordines Impe-
rii ab Imperatore ad comitia vocantur, ad disceptandum
in judicio, sed ad deliberandum de republicâ; ita Leopol-
dus Imperator in epistolâ jam relatâ ad Moguntinum Ele-
679 ctorem: Sie wollen in bestimmter Zeit zu besagtem
Regenspurg entweder in eigener Person erscheinen, oder
da Euer Liebden durch Göttliche Gewalt davon abge-
halten würden, Ihre ansehnliche Räthe und Gesandte
mit ohngemessener Vollmacht ohn hinter sich bringen
dahin abfertigen, und vermittelst Derselben mit und
neben Uns auch Chur-Fürsten und Ständen des heili-
gen Reichs das jenige berathschlagen, handlen und
schliessen helffen, was nach Wichtigkeit obangeregter
Puncten, und darunter heischender höchsten Eyl des
heiligen

heiligen Reichs und gemeinen Vatterlands Nothdurfft und Sicherheit erforderet, &c. ubi primò notanda est alterna- 680
tiva, putà ut Status vel personaliter vel per legatos sufficienti mandato instructos compareant; deinde alternativa ista eventualis est, si vocatus præpediatur vi divinâ majore ipsemet venire, in verbis: Oder da Euer Liebden durch Göttliche Gewalt davon abgehalten würden: Nec certè dubium est, si Resp. postulet, si necessitas vel salus Imperii 681
efflagitet, posse Imperatorem Status ad comitia vocare personaliter, ac citra ullam subalternativam, quos & justum est, ob causam tam prægnantem ac momentosam, ipsos in personâ venire, idque suadet jusjurandum, quo singuli Imperatori & Imperio devincti sunt, & exemplo declarat Ca- 682
rolus Quintus *in præf. recess. Imper. de anno* 1546. hoc tenore: Also daß Chur-Fürsten, Fürsten und andere Stände des Reichs, in Ansehung der unvermeidentlichen des heiligen Reichs beschwerlichen Sachen und Obligen auff obbemelten Tag allhier in eigener Person erschienen; nec verò etiam hoc casu in effectu differentia est, 683
quia adhuc Principes & Status, vi majore divinâ prohibiti, excusantur, dum personaliter comparere nequeunt, scilicet rei ipsius evidentiâ, quâ tamen specie legatos cum plenissimis 684
mandatis mittere tenentur, ita contextu præfationis *d. Rec. de anno* 1546. adstruente, verbis: Und die so Ihrer kündlichen und offenbaren Leibsschwachheit und Ohnvermöglichkeit halber nicht erscheinen möchten, &c. Ihre vollmächtige Bottschaffter und Gewalthaber mit vollkommenen Gewalten ohne hinter sich bringen gewißlich schicken. Sive igitur tantum personaliter vo- 685
centur Status per literas indictionis ad comitia, sive sub illa alternativa eventuali, ut compareant personaliter, aut ubi vis major ac divina impediverit, per legatos sufficientibus mandatis instructos, res eodem redit, quia & in personali

istâ

iſtâ ſimplici vocatione exceptus ipſo jure intelligitur caſus majoris impedimenti, utpote morbi, exundationis aquarum, hoſtilis invaſionis &c. nam hujusmodi exceptiones & in privatis cauſis relevant, quoad ſtipulationem judicio ſiſti. *l. non exigimus. 2. §. 3. cum ſeq. l. ſed & ſi quis 4. ff. ſi quis caut. in*
686 *jud. ſiſt. cauſ.* Hoc amplius notanda venit mandati plenioris qualitas duplex, ſcilicet ut ſit irreſtricta, nec indigeat relatione, per verba Leopoldinæ indictionis ſupra ſcripta: **Mit ohngemeſſener Vollmacht ohne hinter ſich bringen.** Sed licet hæc valdè conveniant maturandis deliberationibus publicis, tamen ſæpè contrarium accidit, ut ex peculiaribus cauſis, vel etiam per incuriam mandata à Legatis Ordinum in comitiis exhibita deficiant, atque ſic occurrentia negotia in
678 conſultando patiantur moras. Apparet verò ex his, quamvis indictio comitiorum lege Capitulationis reſtringatur quoad exercitium, tamen de reſervatis adhuc hodiè eſſe, quia ſolius Imperatoris eſt, non cujuscunque alterius Principis, indicere comitia Imperii. Cur verò jus propoſitionis, quod & ipſum ſoli Cæſari competit, ſegregaverim ſuprà à reſervatis, ſtrictè intellectis, ratio eſt, quia indictio
688 quamvis ſit comitiorum præparatoria, non tamen in ipſis fit comitiis, nec quoad exercitium, conventum requirit Imperii Ordinum eorumvè Legatorum, ſicut propoſitio; congruum verò viſum eſt ſecernere ea jura, quæ ſeorſim vel ab Imperatore vel ab Ordinibus exercentur ab his, quorum uſus ut-
689 ut diverſa poteſtatis ratione comitialis eſt; quòd ſi quis maluerit in genere omnia Imperatoris jura reſervata vocare, huic reſervatorum nomen facilè concedi poterit, ſed nihilominus ſubdiſtinctione tunc opus erit, ne in confuſionem incidamus, jura vel Statibus communicata, vel quæ ab eorum conſenſu pendent comitiali, aut ſine corpore Ordinum exerceri nequeunt, reſervatis, quorum nomen proprium communicationem vel dependentiam talem exercitii non admittit.

tit, adnumerando, ergò post varias species Cæsareorum jurium colligamus, reservata vel absolutè communicata non esse Statibus, nec à Statuum conventibus dependere, vel saltem si sunt communicata, eo sensu reservata am- 691
plius non esse, sed aliâ ratione Cæsari, aliâ Statibus competere, uti exemplis pluribus hactenus est declaratum. Colligamus ulterius: quoties aliquid novis concessionibus vel privilegiis ex juribus reservatis communicaretur, toties quid supremæ potestati decedere; sunt enim illa jura Majestati conjunctissima, ergò citra illius diminutionem communicari non poterunt 692
utique concessione perpetuâ, & idem de præscriptione dicendum, quia non refert, expresse privilegia, an tacitè per usum & patientiam communicentur vel transferantur Cæsarea jura, siquidem in singulis occurrit, quod alteru- 693
tro modo communicationis vel translationis majestaticum esse desinat; sed expressam concessionem, de quâ suprà in exemplis dictum, omitto, de præscriptione verò reservatorum hic pauca subjiciemus, an & quatenus procede- 694
re possit? Regula est in præallegato *c. super quibusdam. 26. §. præterea. x. de verb. signi.* regalia præscribi per immemoriale tempus, quo loco hoc etiam communiter notaverunt Doctores, dum in acquisitione regalium concessioni Cæsareæ expressæ æquiparatur immemorialis temporis observantia, quæ & alibi in jure pro lege habetur, *l. 1. §. fin. & l. in summâ. 2. pr. & §. 1. ff. de aq. & aqu. pluv. arc.* Quâ in re tamen omninò notanda differentia est; nam 695
quæ jura Imperator expressâ voluntate aliis concedere potest, ea etiam adhuc hodiè usu per immemoriale tempus acquiri posse, non est dubitandum, cum id probent jam allegati textus ex communi Jurisconsultorum sententiâ, quos 696
magno numero in *d. c. super quibusdam*, congessit Barbosa; ratio est, quia quod expressâ voluntate collatum, videtur etiam tacitè concedi per usum sine contradictione tempori immemoriali continuatum, quippe cum vel ordinaria

usucapionum jura tacito consensu ejus, contra quem res
697 quæque usucapitur, niti censeantur, *l. alienationis. 28. ff. de verb. signif.* ex quibus defendi posse arbitror adhuc hodiè tempore immemoriali acquiri vectigalium jura, per *d. c. super quibusdam. & d. l.* 1. quamvis in concessione expressâ requiratur juxta Capitulationis legem consensus Electorum unanimis, quia sicut ipsius Imperatoris, ita Electorum quoque consensus ex publico vectigalium exercitio, per immemoriale tempus accessisse videtur; hæc ita scilicet, si jurium horum usurpatio non fiat malâ fide; uti enim titulus & bona fides in immemoriali obser-
698 vantiâ deduci non debent, sed præsumuntur, ita si de malâ fide contrà doceatur, immemorialis quoque usus usucapionem ac præscriptionem haud perficiet,
699 prout verior est sententia subnixa *c. ult. de præscr. & c. possessor. 2. de reg. jur. in 6.* Ast si de his juribus loquamur, quæ Imperatori expressâ concessione aliis tribuere non licet, in his neque valeret pro acquisitione quanticunque & vel immemorialis temporis usus, ex ratione, quòd non debeat tacitâ voluntate collatum censeri, quod expressâ conferri nequit, ac licet immemorialis observantia vice concessionis ex-
700 pressæ æstimetur, non tamen suprà illam æstimari eam conveniet, ut quibus casibus privilegium vel concessio expressa cessat, iisdem etiam interpretativa, quæ ex immemoriali usu tacitè colligitur, intelligi debeat locum non habere; nam cum à pari æstimetur acquisitio per privilegium vel immemoriale tempus, per *d. §. præterea. Panorm. & Felin. in c. cum contingat. 13. x. de for. comp.* meritò cessante acquisitione per privilegium, cessabit quoque altera, quæ subnititur immemorialis temporis usu; atque sic in terminis hujus articuli, distin-
701 guit *Covarruv. relect. d. c. possessor. p. 2. §. 2. n. 8. 9.*
ut

ut quæ jura Imperatori competant in ſignum ſupremæ
& univerſalis poteſtatis præſcribi haud poſſint, ne quidem
per immemoriale tempus, refert eundem & ſequitur
Baptiſta à Villalobos in comm. opin. lit. p. n. 223. Sed di-
versâ conditione eſſe fiſcalia jura & alia Imperatoria, quæ 702
ſupremam poteſtatem non ita præcisè reſpiciunt, tradit ac
deducit idem Covarruvias *d. l. n.* 7. *&* 10. qui ibidem 703
quoque exemplum ponit juris Cæſarei tempore immemo-
riali haud præſcriptibilis, in materiâ de non-appellando,
ut ſi quis ſubditum ſe fateatur, nec allegatione immemo-
rialis temporis declinare appellationem poſſit, ſecùs ſi ſubje- 704
ctus eſſe deſierit; ſed vereor ut hoc exemplum ſimpliciter
ſubſiſtat, quia Imperator haud dubiè poteſt concedere, ne
ad ſe vel ad ſuprema Imperii tribunalia provocetur, ut
oſtendunt jura communia in exemplo præfecti prætorio,
l. un. §. 1. *ff. de off. præf. præt. l. un. C. de ſent. præf.
præt.* ac præſertim in Germaniâ noſtrâ tot privilegia de
non-appellando, quibus tamen haud obſtantibus Principes
vel Ordines Imperii, qui ea impetraverunt, ſubjectos ſe
Imperatori & Imperio fatentur, ac de cætero jurisdictio- 705
nem Cæſaream agnoſcunt, cur non hoc idem igitur liceat
præſcriptione immemoriali acquirere, non tantùm in effe-
ctu juris nihil impedit, ſed id potiùs conſequens eſt ex
jam relatis, dum diximus, quæ privilegio obtineri poſ-
ſunt, eadem etiam immemoriali obſervantiâ poſſe; be-
nè fateor, ſi quo in regno lege introductum ſit, ne 706
privilegia de non-appellando ad regem ſubſiſtant, ne-
ve præſcriptio excluſiva appellationum hujusmodi va-
leat, tunc nec immemorialem relevaturam, quò minus
appellationi deferendum ſit, atque ſic apud Hiſpa-
nos referente Covarruviâ *d. l.* hoc procedet, ſed in
Imperio Romano-Germanico hiſce legibus non tan- 707
tùm deſtituimur, ſed uſus etiam contrarius eſt, ut jam

dictum; quanquam difficilius procederet immemorialis hujusmodi præscriptio, quòd in terris Imperii suprema Tribunalia appellationum processus decernere soleant, si modò requisita cætera adsunt, & privilegia de non-appellando haud obstant, ut adeò vix initium, nedum immemorialis temporis continuatio, usu obtinere queat adversus appel-
708 lationes; aliud itaque exemplum ponendum, quo declaretur regula præmissa, videlicet nec immemoriali præscriptione acquiri posse jura aliqua reservata, id adducere licet in universali & supremâ potestate Cæsareâ, quam
709 cum Imperator ipse vi electionis acceperit, nec privilegio in alios transferre queat, sequitur, nec præscriptione immemoriali jure obtineri posse; idem judicium de collatione feudorum Imperii regalium, quæ adeò Imperatori per *Aur. Bullam tit. 5.* tribuitur, ut nec tempore interregni
710 à vicariis legitimè exerceatur, idem de jurisdictione in hoc genere feudorum, ex prædeductis; nam si vel maximè in consessu Parium Curiæ (quâ de re suprà) hæc Cæsarea jurisdictio juxta aliquos generaliter exercenda foret, non tamen ipsa communicata censeri deberet, quæ Cæsaris est, suprema præsidii potestas, sed tantùm modus exercitii hac
711 formâ introductus. Sic etiam concedi ab Imperatore non possent, & consequenter nec præscribi immemoriali tempore jura constituendi judices majores Imperii, putà in supremis dicasteriis, nec magis jura indictionis comitiorum, concessionis universitatum, ut quis nimirum aliis tribuat
712 auctoritatem studii universalis, item vectigalium, & idcirco, si quis etiam de consensu Electorum vi alicujus privilegii Cæsarei dare alii vellet jus vectigalis, concessio non valeret; nec enim alius quàm Imperator vectigalia nova dare potest, *tot. tit. C. nov. vect. inst. non poss.* quod hodiè consensu Ele-
713 ctorum fieri patet ex capitulatione, & suprà dictum est. Hæc igitur & similia jura adeò de reservatis sunt, ut ab Imperatore

ratore nec concedi aliis, nec consequenter tempore licet immemoriali præscribi possint. Diversa ratio est in juribus, 714
quæ tribuuntur ad emolumentum impetrantis, ut confiscationes, vectigalia, stapulæ, nundinæ, & id genus alia vel fisco utilitatem, vel territorio meliorem statum, inferentia; hinc idem jus diverso considerationis respectu communicabile esse potest, & non communicabile, ut jus vectigalis, quod Imperator hodienum per privilegium legitimè & cum consensu Ele- 715
ctorum largiri potest, ut impetrans nimirum jus habeat exigendi vectigalis, non verò, ut jus habeat concessionis novi vectigalis, ut modò consideravimus; quæ res non ita 716
accipienda, quasi concessum ab Imperatore vectigalis jus alii quis cedere aut in alium transferre nequeat; sed quod privilegio quis non posset obtinere legitimam facultatem dandi aliis vectigalia nova ab Imperatore specialiter non 717
instituta, consimiliter his, quæ in concessione veniæ ætatis supra sunt deducta. Res ulterioris est indaginis & consideratu digna de exemptione totali à subjectione Imperatoris & Imperii, utrum privilegio vel immemoriali usu acquiri possit? Et breviter respondeo, consentiente Impe- 718
rio posse; haud consentiente non posse; primi membri ratio est, quòd sic adsit consensus totius Reip. qui ad abdicationem supremi dominii in hac vel illâ parte, provinciâ, vel urbe Imperio priùs subjectâ sufficit, cum jure gentium suprema potestas imperiorum, vel regnorum, & multò magis partium, per consensum publicum supremum transferri haud dubiè possit; atque sic constat olim Delphinatum Gallis accessisse 719
transferente Carolo Quarto Imperiique Ordinibus haud dissentientibus, multasque partes & jura per Italiam conniventiâ & patientiâ Cæsarum publicâ, refert amissa fuisse post *Alex. Imol. & Ferset um Barbosa in d. §. præterea.* quod sane & in aliis terris accidit, unde toties repetitaquerela de partibus Im- 720
perio exemptis, & ad alios translatis, sed & sollicitudo publica de reduniendis amissis capitulationibus Cæsareis inserta,

Uuu 3 hactenus

271 hactenus verò sine effectu fuit, neque dubium, ea sola intelligi redunienda, quæ de facto & merâ usurpatione ad alios devenerunt, ita ut legitimum titulum possessores obtendere nullum queant; nam qui titulo subnituntur, ab his re-
272 peti vel auferri concessa nequaquam justè possent, scilicet dum res eodem manet statu; etenim si bellum moveatur, præsertim injustum, quin jure armorum aut pacis legibus pro stabiliendâ in perpetuum securitate publicâ liceat etiam penitus alienata recipere, ne dubitandum quidem est, ac recentissimum quidem exemplum perfecti consensus publi-
723 ci præbent Tabulæ Pacis Cæsareo-Gallicæ in cessis & translatis ad Regnum Galliæ, ubi non Imperatoris tantùm, sed & Statuum consensus legitur expressus §. *primo*. 70. §. *secundò Imperator*. 72. *tertiò Imperator*. 73. §. *quartò*. 76. *&* § *Im-*
724 *perator*. 78. Quod verò attinet secundum membrum, regulam negativam obtinere verius est, scilicet non transferri supremum jus posse citra consensum Ordinum Imperii; est enim hæc supremi dominii translatio species alienationis capitulationum legi-
725 bus interdicta, ut supra retuli; neque refert extraneo regi vel potestati, de partibus Imperii quid transferatur, an alicui Principum vel Statuum à subjectione Imperii omnimoda concedatur exemptio, quia utrobique alienatio subest dominii directi supremi, & hic valet, quod Covarruvias scripsit
726 *in relect. d. c. peccatum. p.* 2. §. 9. *n.* 9. *de reg. jur. in* 6. subditum non posse præscribere exemptionem supremæ jurisdictionis, ne quidem per immemoriale tempus, quod scilicet declarat in sensu composito, ut subditus maneat, ast in sensu diviso, ut subditus esse desinat acquisitâ libertate omnimodâ, tempore immemoriali præscribi benè posse docet, cujus rei circa collectas Imperii argumentum extat in Rec. Imp. de anno 1576. §. aber die außgezogene 102. & §. 100. aber unterhalb. §. 103. ut si quis intra hominum memoriam ne semel quidem collectas Imperio solverit, casu

casu occurrente ad earum præstationem compelli non debeat. Ubi duo alterius perpendenda sunt: (1.) num in- 727
fringatur supra scripta regula, quâ dictum est: concessionem privilegiorum & immemorialis temporis præscriptionem à pari æstimandam esse in materiâ regalium; nam si
exemptio à subjectione Imperii saltem sensu diviso acquiri 728
potest immemorialis temporis observantiâ, non verò privilegio Cæsareo, videtur saltem hoc exemplo infringi regula plusque tribui immemoriali præscriptioni, quàm privi-
legio; sed non ita est, quia in privilegiariâ concessione Cæ- 729
saris, supponitur hac hypothesi abesse consensus Ordinum, qui præscriptioni immemoriali tacitè adest, unde concessio expressa, per se non minùs valet, quàm tacita ex immemoriali tempore præsumpta, sed ex accidenti fit, ut quandoque altera præferatur, iis nimirum casibus, ubi &
Imperatoris & Ordinum consensus est necessarius, & in alte- 730
râ concessione reperitur uterque, in alterâ non æquè; & per inversum igitur, si ponamus concessionem exemptionis
Cæsaris & Statuum Imperii expresso consensu firmari, hæc 731
prævaleret, immemorialis temporis observantiæ habenti consensum solius Imperatoris tacitum, casu quo & Ordinum consensus requireretur, fingamus usurpationi regalium
reservatorum contradicere tantùm Ordines, non Impe- 732
ratorem, certè immemorialis præscriptio hac specie non videbitur compleri, præsertim ad præjudicium Imperii, vel ut Imperator succedens jure suo hinc excludatur, atque
adeò consensus Imperatoris & Statuum simul expressus & 733
lege requisitus æquiparatur immemoriali præscriptioni Cæsaris & Ordinum consensu tacito subnixæ, non verò si desit alterius partis consensus in immemoriali præscriptione, & uterque adesse proponeretur in concessione expressâ aut contrà,
harum rerum jure assereretur exæquatio. (2.) Quamvis ut 734
suprà dictum, privilegia de non-appellando salvâ supremâ potestate

potestate Cæsareâ concedi possint, cum impetrans Imperatori nihilominus maneat subjectus, uti demonstrant tam vetera præfectorum prætorio, quàm hodierna Electorum, Principum vel Statuum privilegia ejusmodi habentium exempla,
735 tamen esse disparem rationem privilegiis omnimodæ exemptionis ab Imperio censendum est; hæc enim cum subjectione verâ stare non possunt; neque hic sermo est de subjecto vel subdito in strictâ significatione, quatenus denotatur privatus, sed in eminentiori, quâ signatur civis juris suffragii in publicis particeps, hoc sensu quæstio suprà posita, an privile-
736 gio quis prorsus possit à subjectione Imperatoris & Imperii eximi, ex deductis rectè negatur; hic enim versamur in casu supremæ potestatis non communicabilis, quæ certè exempto juxta hypothesin hisce terminis communicaretur, & licet se-
737 cundùm præmissa in sensu diviso, ut quis desinat esse subjectus, totalis exemptio, vel præscriptione immemoriali virtute taciti consensus Imperatoris & Statuum, vel etiam tali concessione expressâ impetrari queat, quo intuitu Basilea antehac civitas Imperii in quasi-possessione exempti Status ponitur communi Imperii consensu *in art. 6. Instr. pac.* tamen non quadrat hæc assertio suppositioni, quâ quis Princeps vel Status manens sub schemate Principis, vel Status Imperii, putà reco-
738 gnoscens principatum vel terras suas in feudum ab Imperatore & Imperio, prætereaque jus suffragii exercens in Comitiis, nihilominus prætenderet omnimodam exemptionem à subjectione, sibique assereret privilegio quoad Imperatorem & Imperium plenam libertatem; hæc nimirum plena liber-
739 tas cum jure voti comitialis & recognitione istâ feudi non apparet compatibilis, hîcque non immeritò, ut dixi, valet Covarruviæ argumentum in *d. c. possessor p. 2. §. 2. num.* 10. quod dum quis manet alioquin subjectus, nec immemoriali tempore libertatem hujusmodi obtinere possit,
740 quod certè de privilegio pari ratione dicendum, ut taliter subjecto afferre nequeat exemptionem ab Imperio. Ex quibus satis jam

jam elucescit privilegium exemptionis à supremâ Cæsaris & Imperii jurisdictione, magis obstare supremæ potestati, 741
ejusque exercitio, quàm privilegium de non-appellando; potuit enim v. g. præfectus prætorio sine dubio coram Imperatore conveniri, privilegiô, quòd contrà appellationes à sententiis suis obtinuerat, haud obstante, & consequenter privilegia, quæ quis habet ut judex, qualia sunt de non- 742
appellando, mitiora sunt privilegiis, quæ quis contra jurisdictionem prætendit ut pars, quò referenda exemptionis privilegia, per quæ quis dicit se immunem à jurisdictione supremâ, cum tamen se huic ex feudi nexu & jure civis subesse inficias ire nequeat. Planè illud haud nega- 743
verim, concessionem etiam solitariam Imperatoris tribuere titulum, ut usus privilegii subsequens, nemine contradicente, progressu temporis in jus exempto cedere, & supremum dominium velut pro suo usucapi possit, non ordinario, quod in privatis causis obtinet, sed immemoriali regalium præscribendorum tempore, *d.* §. *præterea*: Nec 744
quis objiciat superfluum hac præscriptionis specie titulum concessionis per *dd. trad. d.* §. *præterea*, quia saltem prodest ad præsumptionem boni initii & exclusionem malæ fidei, ut eam contra præscriptionem tanti temporis allegans minùs audiendus sit. Denique notandum concessiones vel 745
privilegia Cæsareorum jurium, quæ de supremâ potestate semper aliquid minuunt aut exercitio saltem restringunt, pro odiosis haberi, licèt unum plus detrimenti afferat, 746
quàm alterum, parciusque concedenda, juxta Ferdin. III. Imper. sententiam in Rec. Imper. de anno 1654. d. §. Weil auch der Ständen. Sed hic subsistere lubet, & in gravissimâ Cæsareorum jurium materiâ hæc habui, quæ literis breviter consignarem.

Inter plura præjudicia Cæsareæ cognitionis in causis regalium feudorum sine consessu Parium Curiæ disceptatis recentissimum Exemplum est causæ Mecklenburg contra Mecklenburg, uti ex Rescripto immissoriali S. CÆS. MAJESTATIS, verbotenus subjecto apparet.

WIR Leopold von Gottes Gnaden erwehlter Römischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hungarn, Böheim, Dalmatien, Croatien, und Sclavonien, König, Ertz-Hertzog zu Oesterreich, Hertzog zu Burgund, Steyer, Kärndten, Crain und Würtenberg, Graf zu Tyrol; Fügen N. N. allen und jeden Beampten und Unterthanen des Hertzogthums Güstrow, denen dieser unser offener Kayserlicher Brief, oder dessen glaubwürdige Abschrifft, dero Wir eben den Glauben als dem Originali selbsten zugestellet haben wollen, vorkommt, hiemit zu wissen, und habt ihr euch vorhin gehorsamst zu erinnern, wie daß Wir nach erfolgtem Absterben, weyland eures gewesenen Lands-Fürsten, Gustaph Adolph zu Meckleuburg, und der Succession dieses Fürstenthumbs halben, zwischen der beyden Hertzogen Friederich Wilhelm und Adolph Friederich zu Mecklenburg Liebden Liebden, sich hervor gethanen Strittigkeiten die Administration und Verwaltung desselben in unserm allerhöchsten Käiserlichen Namen biß zu güt- oder rechtlichem Außgang der Sachen führen, und euch unterm acht und zwantzigsten Novembris sechszehen hundert fünf und neuntzig, anbefehlen zu lassen bewogen worden, euch keinem beyder Hertzogen anzuhängen, sondern allein denen von erst erwehnter unser Käiserlichen Administration erfolgenden Befehlen nachzukommen. Nun sind Wir zwar der beständigen Hoffnung gewesen,

gewesen, es würden obbesagte Differenzien in der Güte vor Unserer zu dem End angeordneten Kayserlichen Commission abgethan werden seyn; Nachdeme aber von beyden obberührten streitenden Theilen vielmehr unser gerechtistes Decisum und Verordnung in Possession verlanget, und um die Belehnung angeruffen worden, darumb Uns auch verschiedentlich gebetten; So haben Wir zu Folg unsers obtragenden allerhöchsten Kaiserlichen Ampts diesen von beyden Theilen zum öfftern beschehenen billichen Ansuchen nicht entgehen können, sondern die dißfalls vorhandene Acta sammentlich in weitläuffige und wohl beobachtliche Erwegung an unsern Kayserlichen Reichs-Hof-Rath ziehen: Darauf an Uns referiren lassen, und endlich befunden, daß deß Hertzogs Friedrich Wilhelm zu Mecklenburg Liebden der Justitz gemäß in die Possession des gesampten Hertzogthums Güstraw und dessen Genuß cum omni causa gesetzet, zur Belehnung admittiret, und dabey so lang, biß in petitorio ein anders durch güt- oder rechtlichen Weg erfolget, und Wir darauf ferner Verordnung ergehen haben lassen werden, geruhiglich gelassen werden solle; Solchem nach ist Unser gnädigster und nachdrücklicher ernstlicher Befehl an euch insgesampt, und einen jeden insonderheit hiemit, und wollen, daß ihr bey Vermeidung Unserer Kayserlichen Ungnad und unausbleiblicher scharffer Bestraffung mehrgedachten Hertzogs Friderich Wilhelm zu Mecklenburg Liebd. nunmehro und so lang als von Uns ein widriges nicht befohlen wird, für Euren rechtmässigen Landes-Herrn erkennet, demselben gewöhnliche Huldigung auf Unsers Kayserlichen Commissarii Anweisung und sein Begehren leistet, auch jederzeit schuldige Onera und Pflichten abstattet, dessen Gebott und Verbott, in so weit es sich geziemet und gebühret, in allen geziemend nachkommet und

gelebet, und davon euch auch auf keine Weiß noch Weg abhalten oder verhindern lasset. Das meynen Wir ernstlich. Geben in Unser Stadt Wien, den zwölfften Januarii Anno sechszehen hundert sieben und neuntzig, Unserer Reich des Römischen im neun und dreyßigsten, des Hungarischen im zwey und viertzigsten, und des Boheimischen im ein und viertzigsten.

LEOPOLD.

Vt Sebastian Wunibald,
Erbtß. Graf zu Zeyhl.

(L.S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæs.
Majest. Proprium.

Frantz Wildrich von Menßhengen.

Daß gegenwärtiger Abdruck mit dem Originali in allem von Wort zu Wort gleich laute, solches thue mit eigener Hand-Unterschrifft und vorgedrucktem Insiegel attestiren. Güstraw. Den 27. 17. Januar. 1697. Der Röm. Kaiserl. Majest. würcklicher Reichs-Hoffrath, Cammer-Herr und in den Niedersächsisch- und Westphälischen Cräysen gevollmächtigter Abgesandter.

Chr. Graf zu Eck.

TITULUS XIII.

DE MODIS, QUIBUS IMPERII JUS IN PERSONA IMPERANTIS FINITUR.

SUMMARIA.

Num. 1. Imperium in personâ imperantis tribus modis finitur. 2. Renunciatio Imperii quid sit. 3. & 4. Renunciatio Imperii an sit permissa. 5. Renunciationis Imperii tria sunt requisita. 6. usque 10. Renunciatur jus Imperii quæsitum, vel assertum. 11. usque 16. Renunciationis Imperii justæ requiruntur causæ. 17. usque 20. Renunciari debet Imperium vel ab ipso Imperatore aut Rege, vel per Legatos speciali mandato instructos. 21. usque 28. Renuntiatio Imperii an fieri debeat medio juramento sive per ejurationem administrationis. 29. usque 40. Renunciatio Imperii non debet fieri in manus Pontificis. 41. & 42. Renunciari Imperium Electoribus convenit. 43. Ferdinandi Imperatoris civilitas in notificatione renunciationis Caroli Quinti. 44. & 45. Resignatio Imperii fieri solet per insignium retrotraditionem. 46. usque 50. Imperium finitur depositione, quid ea sit, & quæ ad illam requirantur. 51. 52. & 53. Depositionis Imperii causæ non pertinent ad examen Pontificis vel Cardinalium. 54. usque 61. Imperii jus non amittitur ex communicatione Pontificis, sed judicio Electorum ex causis veris & prægnantissimis. 62. usque 65. Depositionis Cæsareæ vel regiæ negotium, an & quatenus consensum universorum Principum & Ordinum requirat nec ne? 66. usque 76. item 84. usque 89. Henrici Quarti Imperatoris exauctorationem ac proscriptionem illegitimam & injustam fuisse, ostenditur.

77. usque 83. item 88. & 89. Imperatorem ex magnis causis Imperio privari, sed non proscribi posse, deducitur. 90. 91. & 92. Adolphi Imperatoris depositionem illegitimam fuisse probatur. 93. Wenceslaus ferè solus exemplum Imperatoris legitimè depositi: 94. usque 102. Depositionis Wenceslai causæ justificæ expenduntur. 103. & 104. Wenceslaus imperio depositus, sed non proscriptus fuit. 105. 106. & 107. Deposito legitimè Imperatore relaxantur ab Electoribus vasalli Imperii & omnes fideles à jurejurando. 108. 109. & 110. Relaxatio juris jurandi quoad Imperatorem vel Regem justè depositum fit ad cautelam, & pro fundamento supponit legitimam depositionem, alias non valet. 111. Majestas realis Imperii sano sensu declaratur. 112. Imperium finitur morte respectu Imperatoris. 113. Lex Imperii non finitur morte Imperatoris. 114. Fœdera realia Imperii haud tolluntur mortuo Imperatore. 115. & 116. Rescripta justitiæ & mandata Cameræ quatenus morte Imperatoris expirent vel non. 117. 118. & 119. Contractus perfecti non tolluntur morte Imperatoris, & nomine Imperii initi obligant successorem. 120. Mors Imperatoris non tollit negotia perfecta; secus 121. 122. & 123. regulariter se res habet in perficiendis. 124. & 125. Privilegia num morte Imperatoris pereant nec ne? 126. usque 130. Privilegia solent confirmari vel renovari à successore, & quid confirmatio vel renovatio operetur?

QUemadmodum alia humana metam certam habent, quâ circumvolutâ perire iterum ac intercidere solent, sic regna
1 quoque & imperia; neque verò nunc de fatali periodo absolutâ Regnorum & Imperiorum, quâ hominum instar originem, incrementa ac decrementa, & tandem mortem experiri dicuntur; sed de relativâ agimus, videlicet ex personâ regnantis vel imperantis consideratâ, & quidem quoad Imperium Romano-Germa-

Germanicum; quo sensu tres modos juri gentium conformes, quibus Imperator vel Rex Romanus esse desinat, Limnæus prodidit, scilicet spontaneam renunciationem juris Imperii vel Regni, depositionem, & mortem naturalem. *l. 2. jur. publ. c. XI. n. 1.* De renunciatione primùm dicam. Ea defini- 2
ri potest *actus, quo Imperator vel Rex Romanus jure Imperii Romano-Germanici ex prægnantibus causis sese ritè abdicat.* Ubi prima consideratio est, an hujusmodi renunciatio sive resignatio (quæ nomina hic idem denotant) jure permissa
sit? Affirmativa ex defectu legis prohibentis asseritur; quod 3
enim jure vel lege nullibi est prohibitum, censetur esse permissum; jam verò nulla lex renunciationem talem vel resignationem juris Imperii prohibet; ergò hoc ipso videbitur permissa.
Deinde adjuvatur hæc sententia argumento simili Pontificatus, 4
quem Papa potest liberè renunciare, ex *c. 1. de renunc. in 6.* & Cœlestinus Quintus renunciâsse fertur. Huc & faciunt tertiò plurium Imperatorum exempla, qui vel in Imperio veteri Romano, vel Græco & Constantinopolitano, vel Romano-Germanico Imperatorium jus renunciaverunt. Ex priscis sunt Diocletianus & Maximianus, ex Constantinopolitanis Anastasius Secundus, Theodosius Tertius, Isacius Comnenus & alii, quos recenset *Thuan. lib. XVI. histor. ad ann. Chr. 1556. & ex eo Limn. d. l.* Ex Romano-Germanicis memorantur Lotharius Primus & Carolus Quintus, ut dubitare fas non sit de renunciationis vel resignationis imperii justitiâ, dummodò debitis fiat, de quibus
nunc dicendum est, requisitis. Ea colligi possunt ex suprà 5
scriptâ definitione, & tria sunt: 1. Jus imperii electione quæsitum. 2. Prægnantes renunciandi causæ. 3. Debita renunciationis forma: primum quidem ideò necessarium est, quia nec jus Imperii juxta leges aliter obvenit, nisi per electionem, & nisi quæsitum fuerit, renunciari non potest; quanquam enim haud sit incognitum, aliàs renunciari posse etiam jura futura,

quæ

quæ nondum actu quæsita sunt, ut jus fidei commissi, à futuro eventu pendentis, *l. 1. C. de pact.* item jus hereditariæ successionis, accedente scil. juramento *ex c. quamvis, 2. de pact. in 6.*
6 tamen ad nostrum argumentum hæc referri nequeunt, quoniam loquimur de modis, quibus supremæ potestatis jus in personâ Imperatoris vel Regis Romani finiatur, quæ res haud dubiè præsupponit supremam potestatem reverà acquisitam, sicut in privatis causis, dum de modis, quibus patria potestas, tutela, ususfructus & id genus alia, finiuntur, agimus, omninò
7 talia competiisse supponimus; igitur & jus Imperii quæsitum electione esse oportebit, ut validè renunciari possit, ac si vitiosa fuerit electio, nihil est, quod renuncietur; perinde ut si legitimè facta fuit, sed jus Imperii vel regni non acceptetur; hic enim electus, quod fortè de exemplis Alphonsi Castellæ & Richardi Angliæ Regum dici poterit, magis declinat potestatem & ho-
8 norum delatum, quam renunciat; ast si quo casu electionem controversam ponamus inter duos electos, quin tunc ab uno jus vel spes juris, quatenus competere posset, cedi ac renunciari queat, haud negaverim, idque sic in facto accidit cum Fridericus pulcher Austriacus & Ludovicus Bavarus de Imperio certavissent; prior enim in prœlio Ampfingensi victusque captusque jure in Imperium, quod vel habuit, vel habere poterat, cessit, & sub hac conditione ex captivitate dimissus est. *Aventin. lib. 8. Chron. tit.* Die Schlacht zu Ampfing und das Reich. & tit. Wie Hertzog Friderich von Oesterreich wieder ledig wurd gelassen
9 von Käiser Ludwigen. Neque tamen hic vel similis casus aliquis infringit requisitum suprà positum de jure quæsito, quod renunciatur, quia renuncians vel habuit jus Imperii, quod renunciat, & tunc casus quadrat assertioni præmissæ, vel non habuit jus, sed prætendit tantum, & hic verum jus etiam non renunciat, sed prætensum sive assertum, cujus spem in armis positam transactione publicâ ac pro pace remittit, quæ circum-
stantiæ

ſtantiæ terminos noſtræ quæſtionis dum loquimur de poteſtatis Cæſareæ vel Regiæ Romanæ verâ abdicatione, ſatis clarè
egrediuntur, & quemadmodum, qui uſumfructum prætenſ- 10
ſum, non verum cedit, haud infringeret regulam, quâ uſus fructus niſi verè competens cedi nequit, ita idem evenit in publicis ejusmodi cauſis, & ſic primum renunciationis Cæſareæ vel Regiæ requiſitum ſufficienter videtur ſtabili- 11
tum. Succedunt pro ſecundo requiſito cauſæ renunciationis juſtificæ; eſt enim citra cauſas juſtificas, & in genere loquendo verius, non permiſſam eſſe Cæſaream ejusmodi vel regiam renunciationem niſi Regni Ordinibus, ad quos ea res pertinet, conſentientibus; ratio, quia jus Regni vel Imperii, defertur per ſpeciem publicæ conventionis, in quâ requiritur conſenſus conferentium & ipſius Imperatoris vel Regis, ut ſuprà dictum eſt, ergò eodem modo, nempe conſenſu utriusque partis, iterum erit diſſolven-
dum, *arg. l. nihil tam naturale.* 35. *ff. de reg. jur.* idquè maxi- 12
mè aſſerendum eſt, ſi merâ voluntate Imperatoris vel Regis jus Imperii aut Regni reſignaretur tempore minus opportuno, ubi Reipublicæ valdè eſſet incommodum aut periculoſum deſtitui capite; nam cum hoc neque permiſſum ſit in privatis conventionibus, *l. ſi mandavero.* 22. §. *fin ff. Mand. l. actione.* 65. §. 3. *ff. pro ſoc.* multò minus erit permiſſum in publicis, ubi ma-
jus ſubverſatur intereſſe; aſt verò, ubi relevantes juſtæque ſub- 13
fuerint cauſæ una vel plures renunciandi poteſtatem publicam ſupremam, non eſt, cur Electores vel Ordines, quos ea res concernit, licitè diſſentiant à renunciatione, eidemque haud deferant, omnes ſiquidem contractus & ſtipulationes hanc tacitam habere intelliguntur conditionem; *dum res manſerit in eodem ſtatu,* ceu aſſeritur *in l. cum quis ſibi.* 38. *princ. ff. de ſol.* ergò idem, militante pari æquitatis ratione, dicendum eſt de conventionibus vel ſtipulationibus publicis,
adeoque, quamvis Imperator vel Rex Romanus inter auſpicia 14

electionis promittat, se administrationem Imperii suscepturum, hæc tamen promissio referenda non erit ad casum, verosimiliter non præcogitatum, veluti quo promissor, ex senio, infirmitate corporis vel quâ aliâ causâ sonticâ superveniente minùs habilis redditus sit sufferundo publicæ administrationis
15 oneri. Certè ob similes causas Imperii jus à Carolo Quinto Imperatore superiori seculo renunciatum fuisse demonstrat Recessus *Imperii de anno* 1559. *in princ.* quod quidem Imperatoris desiderium levaminis curarum publicarum, Electoribus cæterisque Ordinibus probatum fuisse constat, quanquam Alexander Tertius Pontifex Londinensi Episcopo renunciaturo ex causâ senii & infirmitatis Episcopatum, haud detulerit, quòd crederet vel senem & corpore infirmum magis Ecclesiæ profuturum, quàm si quis alius ei successor designatus esset,
16 *juxta text. c.* 1. *x. de renunc.* sed diversa admodum est Episcopatus & Imperii administrandi ratio, hæcque citra dubium multis modis onerosior, in quâ non ut Episcopo in episcopali functione liceat Imperatori quieto esse, sed quantò amplius Imperium est uno Episcopatu, quòque etiam Imperatoria sollicitudo occupatior est, eò justiùs in personâ Imperatoris vel Regis attendi justas causas, si pro levamine publico
17 allegentur. Verum missis his devenio ad tertium renunciationis Cæsareæ vel Regiæ requisitum, quod in formâ & modo consistit; oportet igitur Cæsarem vel Regem Romanum ipsum, vel per Legatos speciali mandato instructos, ceu in Caroli Quinti resignatione contigit, Cæsareæ vel Regiæ Potestatis ac tituli facere abdicationem, ac de Cæsare quidem res minùs dubia est,
18 in Rege Romano major scrupulus hæret, cum nondum administret, cur & quâ ratione curarum Imperii publicarum levamentum desiderare, hocque intuitu Regiam Romanam potestatem ac titulum renunciare possit? Sed nihilominus etiam hîc valebit ex caussis supervenientibus & justis eadem, quæ in Imperatore

peratore, consideratio, quia futura, non præsentia tempora æstimanda sunt, quibus Rex Romanus, ubi ad Imperii administrationem perveniret, æquè justitiâ exigente sollicitudinum publicarum onera & dubias periculosi status vices declinare posset, ac si per plures annos Imperator constitutus res Imperii administravisset, ut nihil dicam de illis casibus, quibus absente vel impedito Imperatore, uti suprà deductum, curæ Reipublicæ in Regem Romanum devolvi solent. Abdicatio igitur Cæsareæ vel Regiæ potestatis sic fit, ut vel ipsæ personæ renunciantes, vel legati speciali mandato satis instructi expressâ voluntatis declaratione, eam cum omni jure, titulo Cæsareo ac insignibus sese cedere significent; in Caroli Quinti renunciatione Cæsareæ potestatis ac tituli, venere Francofurtum Arausionensis Seldius & Hallerus Legati cum Caroli mandatis ejus nomine Imperatoriam dignitatem ejuraturi, ut scribit *Thuan. lib.* 21. *histor.* qui etiam mox subjicit: Electores huic voto annuisse; ubi quæritur, an juramentum sit necessarium in renunciatione Cæsareæ vel Regiæ potestatis? Quod non improbabile videri posset, (1.) ex argumento *d. l. nihil tam naturale*, quia scilicet inter auspicia susceptæ hujus potestatis, uti suprà *tit. de Capit. & tit. de Coron. Cæs.* deductum est, juramentum præstari solet, ergo idem in renunciatione ex regulâ allegati textus requiretur; deinde Thuanus *l. c.* in resignatione Cæsareæ potestatis ac tituli per Legatos Caroli Quinti factâ annotavit, eos venisse *ejuraturos imperatoriam dignitatem*, quo ipso utique significatur Legatos Caroli suprà nominatos habuisse mandatum renunciationis non simplicis, sed sub juramento obfirmandæ: Accedit tertiò insigne Imperii interesse; nam cum de tantâ re agatur, debet utique, quod maximè præstito juramento contingeret, indubitatò constare de resignatione juris ac tituli Cæsarei vel Regii, cum alioquin facilè contingere posset, ut forsan renunciantem pœniteret renunciati Imperii, & sic inter ipsum ac electum successorem controversiæ de administratione Reipublicæ

naſcerentur, indeque in Imperio darentur turbæ. Igitur renunciantem, quo magis publicè innoteſcat, Imperium renunciatione vacare, vinculo juramenti, de abſtinendo omni exercitio Cæſareæ vel Regiæ poteſtatis ac tituli adſtringendum, haud
24 ſine ratione quis dixerit. Verum re penitius conſideratâ juramentum hoc in actu reſignationis Imperii abſolutè neceſſarium eſſe non arbitror, licèt benè ad præcautionem præſtari poſſit; nam primò nulla lege cavetur, ut Imperator vel Rex Romanus in abdicatione dignitatis poteſtatisque ſuæ jurare debeat, ſe in poſterum eâ non uſurum, ergo lege tacente id juramentum haud dicendum eſt neceſſarium vel ad formam abdi-
25 cationis requirendum. Deinde loquimur hic de caſu renunciandi juris electione delati, ubi ſimplex renunciatio jure ſufficit, ſicut in delatis hereditatibus, *l. recuſari. 95. re acqu. vel om. her. l. cum ignorantiâ. 2. C. de jur. & fact. ignor.* Quò & pertinet, quòd quis juri ſuo generaliter validè renunciet ſpecie pacti ex *l. pen. C. de pact. l. ſi quis. 51. C. de epiſc. & cler.* & jus Canonicum in *d. c. quamvis.* tantùm renunciationi futurarum ſucceſſionum, quas aliquando devolvi contingeret remedium juramenti prodiderit, quod extendendũ non eſt ad renunciatio-
26 nes alias; Neque quod dictum eſt, de juramento adminiſtrationem præcedente argumentum præbet pro juramento renunciationis, quoniam illud juramentum ſubſequitur poteſtatem Cæſaream vel Regiam Romanam, ex ſuprà deductis, quemadmodum ergo jus poteſtatis ac tituli Cæſarei vel Regii non juramento, ſed electione & acceptatione acquiritur, ita non juramento opus erit in renunciatione, ſive diſſolutione ejus-
27 dem juris ac tituli, præſertim quia juramentum nec de adminiſtrando abſolutè præſtatur, ſed de adminiſtrationis modo ſecundum tenorem conventionis; igitur neque juramentum interponendum erit de non-adminiſtrando poſt renunciationem, ſed ſimplex renunciatio per ſe cæteris paribus ſufficiet, ut adeò argumentum ex *d. l. nihil tam naturale.* pro juratâ renunciatione Cæſareâ vel

Regiâ

Regiâ desumi nequeat; nec Thuanus loco præcitato refert 28
præstitum nomine Caroli Quinti in renunciatione Imperii juramentum, sed Legatos Imperatoriam dignitatem ejuraturos cum mandatis venisse, ac si omninò præstitum dicamus, nulla ratio est argumentationis ad necessitatem, licèt benè ex præmissis per modum præcautionis juramentum in tali actu intervenire queat. Majoris est indaginis, cui renunciari debeat 29
Cæsareum vel Regium jus ac titulus? Voluit Paulus Quartus Pontifex, ut renunciaretur jus Imperii in manus suas nomine Caroli Quinti, sed ejus desiderio delatum non est, nec deferri debuit, quod erroneo principio prætensio hæc nitatur, quasi sc. Imperium à Pontifice ut à superiore confirmante dependeat; quem prætextum suprà rationibus & auctoritatibus minus fir 30
mum ostendimus, etsi etiam contra jura, contraque antiquitatis monumenta, quæ Imperium à solo Deo dependere demonstrant, locum habere posset, tamen in exemplo Carolinæ renunciationis minimè obtinuisset, quia Imperium non vacabat, cum diu jam electus esset Rex Romanus, ad quem ipso jure administratio Imperii ex resignatione Cæsaris non minus devoluta est, quàm aliàs Regi Romano obvenire solet ex morte Imperatoris; quare minus congrua fuit hoc casu Pontificis prætensio, sed concipiamus quæstionis statum de renunciatione, quando non esset Rex Romanus, tunc certè eam fieri 31
debere in manus Pontificis contendent, qui Pontificiam superioritatem, ut vocant, sive confirmationem juris Imperii, vel dependentiam à Pontifice in qualitate feudi adstruunt; est enim ex his prius illud consequens; sed hæc sunt sequiora postulata, jam satis explosa, quæ neque idoneum patrocinium inveniunt responso Ferdinandi Primi Cæsaris ad conditiones Pauli 32
Quarti Pontificis, quas horribiles proposuit Cæsari coronationem petenti, ut videre est *apud Goldast.* in Politischen Reichs-Händlen *p.* 5. *p. m.* 166 Quanquam enim Ferdinandus Imperator, ut animum Pontificis in mitiorem partem flecteret, ac tole-

33 rabiliores coronationis impetrandæ conditiones consequeretur
inter alia in gratiam Pontificis dixerit: Er erkenne, daß recht
und billich sey, daß man die coronationem, electionem &
confirmationem Imperatoris allein bey dem Pabst erlange
und begehre, derohalben Er auch solches von seiner Heilig-
34 keit rc. zu empfahen; tamen confessionem hanc, quod
electionem & confirmationem Imperatoris attinet, pugnare
cum totâ antiquitate & legibus Imperii fundamentalibus,
manifestum; atque hinc consequens est, eam obstantibus pon-
derosissimis rerum monumentis nihil juris Pontifici tribue-
35 re potuisse; primò enim certum est, electionem Imperatoris
nunquam fuisse penes Pontificem, sed in veteri statu penes
exercitus & Senatum & ipsos suo modo Imperatores, quippe
quibus permissum erat sibi Collegas vel etiam Successores Im-
perii designare; apud Francos posteà avulso Occidentali Im-
perio successio obtinuit, & in nostris Imperatoribus
Romano-Germanicis continuâ serie electio cunctorum
Principum, donec consuetudine paulatim Septemviratus
36 introduceretur, ac lege Aureæ Bullæ obfirmaretur; quæ ergò
reliqua esse possit Pontifici electio, cum quidem Innocentius
Tertius Pontifex *in c. venerabilem. 34. x. de elect.* fateatur ipse,
electionem Cæsaris, non sui, sed Principum Germaniæ juris es-
se. Nec felicior est, quæ Pontifici tribuit confirmationem, as-
37 sertio; quia (1) origo supremæ potestatis Cæsareæ antiquior est
Pontificatu Christiano; jam enim ex suprà traditis in Augu-
stum, ac pòst in Tiberium concesserat lege Regiâ, quo tempo-
re Pontifex Christianus Romæ non fuit, Pontifices verò gen-
tiles fuêre antistites ceremoniarum ac rituum gentilium, qui-
bus nulla participatio erat potestatis civilis, nullumque prorsus
38 jus supremi imperii civilis. (2.) Principes vel Imperatores Chri-
stiani translatâ Constantinopolin Imperii sede, adeò non con-
firmati sunt in Principatu à Pontifice Romano, ut hic haud
dubiè ipsis subesset, quod leges Romanæ & prisca monumen-
ta satis demonstrant. Hoc idem (3.) observatum in Imperio
Fran-

Francorum; nam præter ritum coronationis, quæ toto cœlo
differt à confirmatione, nihil est, quod Pontifici Romano ad-
scribi possit per illa tempora. Usque adeò etiam (4.) post Fran-
cos sive stirpem Caroli Magni, Imperatorum nostrorum ne-
mo fuit confirmatus à Pontifice, ut cum Hadrianus Quar-
tus coronationis actum ad speciem beneficii (quæ vox ex con-
suetudinibus feudalibus designat feudum) trahere conaretur,
Fridericus Primus Imperator acriter contradixerit & Pontifi-
cem compulerit, vocabulum beneficii contra usum illorum
temporum de bono facto interpretari. *Conring. in not. ad
Lamp. de jurisd. Imp. Rom. Germ. p.* 3. *§.* 7. Refert eam Pon-
tificis declarationem integram *Goldastus tom.* 1. *const. Imp. p.
m.* 267. Hoc amplius (5.) ab Imperatore Ludovico Bavaro, ex 39
consensu Electorum Principum ac Statuum Germaniæ in comi-
tiis Remensibus Lex declaratoria lata est, quâ omne jus superio-
ritatis, investituræ, confirmationis Cæsareæ potestatis à Pontifi-
ce prætensum penitus excluditur, ut Aventinus refert *chron. lib.*
8. *tit.* Wie die Chur-Fürsten und die Stände des Reichs zu-
sammen kamen. §. zum ersten, &c. *§.* zum andern. *p. m.* 497. Adver- 40
sus hæc igitur certissima antiquitatis monumenta, jura & leges
unius Ferdinandi Primi sententiam de jure vel electionis vel con-
firmationis Cæsareæ Pontifici competente prævalere, meritò re-
ligioni nobis ducimus asserere; ac propterea, ut ad nostram quæ-
stionem revertamur, cum postulatis non tantùm incertis, sed fal-
sis nitatur hypothesis, de resignatione Cæsareæ Potestatis ac titu-
li in manus Pontificis, rectè illâ repulsâ, quæstio præposita negan-
da venit, ut indistinctè sive vacaverit Imperium resignatione,
sive supersit Rex Romanus, haud debeat Imperatoria potestas
renunciari Pontifici. Cui igitur? insuper quæritur: Probabilius 41
est, Collegio Electorum renunciandam, ut, cum ab his electione
potestatem acceperit renuncians, iisdē in abdicatione resignet.
Est quæstio similis in Pontificatus resignatione, cui fieri debeat,
ac licet communiter concludant Pontificiæ dignitatis resignatio-
nem esse liberam, per *text. d. c.* 1. *de ren, in* 6. *ubi Gemin. n.* 10.
Franc.

Franc. n. 3. *Barbos. n.* 3. *Flam. Paris. de resign. l.* 5. *quæst.* 1. *n.*
42 13. *Barbos. de jur. Eccl. l.* 1. *c.* 2. *n.* 213. tutius tamen post *Hugol. in d. c.* 1. *ad fin.* censet Archidiaconus, ut fiat coram Collegio Cardinalium; atque sic cum par ratio esse videatur collegii Electorum ad Imperatorem, ut collegii Cardinalium ad Pontificem, coram collegio Electorali Cæsareæ Regiæque dignitatis ac potestatis, meritò fiet resignatio; id quod & Carolus Quintus observare voluit, dum per legatos suos coram Electoribus Francofurti convocatis juribus ac titulo Imperii sese abdicavit, ac in fratrem Ferdinandum tunc Regem Romanum Cæsareæ admini-
43 strationis facultatem transtulit. Quâ in re admiranda est Ferdinandi Imperatoris civilitas ac benignitas, qui licet in recenti memoriâ haberet durissimas sibi à Paulo Quarto propositas coronationis leges, tamen legatum Gusmannum Romam miserit, ut Pontificem certiorem redderet de abdicatione Imperii à Carolo factâ, & ad se translatâ administratione, eidemque simul reverentiam exhiberet, & rursus admiranda Pauli morositas, qui Legatum Cæsareum ad se tam benignè missum non admiserit; *vid. Thuan. d. lib.* 21. ubi post Ferdinandi inaugurationem hæc
44 talia mox retulit. Illud verosimile apparet, cùm in actu inaugurationis præstò sint insignia Imperii, ac Imperatori in signum collatæ supremæ dignitatis tradantur, putà sceptrum, pomum, gladius &c. in actu quoque abdicationis sive renunciationis spontaneæ, insignia retrò tradenda, velut in testimonium pu-
45 blicum renunciati Cæsarei juris ac tituli, quanquam absolutè necessariam hanc insignium rerrotraditionem, quasi absque illâ renunciatio vitiaretur, haud putarem, cum libera resignatio, dummodo causæ prægnantes adsint, non minus in Imperatore, quàm Pontifice admittenda sit, sed magis tamen ad solennitatem actus, insignium illa retrotraditio intervenire poterit; & hæc de primo modo, finiendi in personâ Cæsaris vel Regis Ro-
46 mani juris ac tituli Cæsarei vel Regii. Secundus modus, quo Cæsarea vel Regia Romana potestas ac dignitas finitur, est depositio, ea à renunciatione differt, quod non fiat spontè, sed ex causâ

causâ delicti invito etiam eo, qui deponitur, ac definiri potest *actus exauctorationis Cæsaris vel Regis Romani, qui ei potestas electione collata cum titulo Cæsareo vel Regio ex causâ prægnante legitimè aufertur*. In Synopsi *Iur. Gent. c. XI, n.* 31. requisita quatuor posui ad privationem regii juris ac tituli, nempe 1. Contraventionis (ita enim legendum, non contractionis, quod vitium, ut alia, mendosa impressio scripto isti intulit; 47
contraventionis, inquam, legum fundamentalium notorietatem. 2. Magnum interesse Ordinum vel populi ex capitulis violatis. 3. Desperatam emendationem Regis. Et 4. Sententiam declaratoriam amissi Imperii. Sed hæc restrictè intelligenda sunt, eo nimirum casu, quo ex capite violationis legum maximè fundamentalium Rex deponitur, absolutè verò non sola harum legum violatio, causa depositionis est, sed aliæ etiam subesse possunt, velut si Imperator vel Rex indignum se fecerit Imperialibus aut regiis infulis ex aliis criminibus, utut forte non in leges fundamentales commissis, & supremum dignitatis gradum ita commaculâsset, ut dignè in eo ulterius persistere haud posset, imò & sine causâ criminum, si contingeret, eum in mentis captionem incidere perpetuam, Imperiumque indigere capite 48
moderante; his & similibus casibus, utique provisione Reip. opus esset, quanquam posteriori specie magis ad vicarios, præsertim ubi spes restitutionis superesset, devolvi videbitur. Neque multum urgent, quæ justitiæ depositionis causis sufficientibus subnixæ, objicit Stamlerus *de reserv.* §. 17. *n.* 4. *& sequ.* Quod enim subdubitat de judice, nihil absurdi habet, si dicamus, exemplo privationis Wenceslai, posse Electores nomine totius Imperii Reipublicæ ex pessimâ administratione haud dubiè lapsuræ non minùs prospicere, quàm in casu mortis Imperatoris; & hic 49
enim valere debet salus Reip. pro supremâ lege, quamvis propriè in formâ judicii non procedatur, nec Electores sensu vulgari sint judices, apud quos duæ partes de re controversâ disceptent; sed solâ veritate facti inspectâ ac publicè notoriâ causa sub 50

examen vocetur, & præviis requisitis suprà positis sequatur de-
51 claratoria; cujus rei justitia nititur reciprocâ æquitate; nam cum Imperium firmetur consensu Electorum nomine universorum Ordinum supremam potestatem conferentium, & Imperatoris vel Regis eam suscipientis, par quoque utriusque partis debet esse ratio in Imperii resolutione vel ratione finiendi; jam verò constat, ex causis arduis licere resignare Imperium, ut jam est deductum, & Caroli Quinti exemplo patet; ergò à parte Imperii idem jus subesse censendum est, ut periclitanti ex indigna administratione Reipublicæ, quando aliud non superest, ex-
52 tremo consulatur remedio privationis. Ex quibus etiam facilè diluitur ulterior Stamleri ratio, quòd de depositione vel privatione juris Imperii nihil sit cautum publicis legibus, quia nec de resignatione quid est constitutum, quam tamen agnoscimus justam, modò fiat ex justis & prægnantibus causis; atque hæc assertio omnium minimè Imperatoris Majestatem lædit, quia non pertinet remedium privationis nisi ad pessimos Imperatores vel Reges, qui enormitate facinorum notoriâ ipsi se indignos declarârunt; bonos vel quoscunque alios, saltem non extremè malos & incorrigibiles, nec Electoribus nec universo Ordinum cœtui deponendi vel jure Imperii privandi, jus aut potestas esset. Justitia igitur causæ ex hactenus dictis necessaria vel maximè est ad depositionem Cæsaris vel Regis Romani, ea debet esse & in se ponderosa atque relevans, & quoad factum
53 vera, satisque cognita. Quisnam verò hanc cognitionem suscipiat ac declaret & quomodò tantæ rei processus instituendus ulterioris est indaginis. Congregati Cardinales, quibus à Paulo Quarto demandatum fuerat, ut examinarent acta Francofurtensia in causâ abdicationis Caroli Quinti & inaugurationis Ferdinandi Primi Imperatorum: ad solius Pontificis & curiæ Romanæ examen, non tantùm causas spontaneæ renunciationis, sed & privativæ depositionis, retulerunt, teste Thuano *d. lib. 21. histor.* ast hi judices suspecti sunt in causis Pontificis contra Imperium vel ejus jura; neque illorum sententiis pro

Ponti-

Pontifice plus tribuendum est, quàm Parlamentis Galliæ, quando pro Rege suo, nostrâ ætate decreverunt arresta in causis reunionum, quas vocant, ad præjudicium Imperii vel Statuum ejus; 54
nolo rationes, quæ afferri solent pro prætenso Pontificis examine, vel prolixè refutare, vel denuò deducere, quæ huic asserto obstant, quoniam reverà ex utraque parte eædem rationes inveniuntur, quæ in renunciatione voluntariâ jam sunt consideratæ, &, si, uti deductum est, Pontifex nec jus dominii directi in Imperium, nec confirmationis Imperatoris vel Regis Romani 55
habet, profectò etiam nullum examen sive in voluntariâ abdicatione, sive in privatâ depositione Imperii eidem attribuendum venit, atque adeò Pontificis judicium hac in re jure optimo penitus excluditur; quandoquidem verò plures Imperatores excommunicati à Pontificibus olim fuerunt, ut Henricus Quartus, Henricus Quintus, Fridericus Primus, Otto Quartus, Fridericus II. & alii, quæ res consequenter & saltem de facto excommunicatis, præter cætera damna dispendium quoque juris Imperii attulit, hac de re penitus dicendũ est. Mitto autem quæ- 56
stionem de potestate clavium Pontificis quoad finem Theologicum & in foro poli consideratâ, sed tantùm quæro: utrum claves ligatoriæ, quæ maximè per excommunicationes exerceri dicuntur, eam vim atque potestatem importent, ut Imperatores, Reges, Principes, jure Imperiorum, regnorum, principatuum excludere queant? Quod utique negandum est; nec enim 57
ad alium, quàm cœlestis vel absolutionis vel ligaturæ finem, potestatem clavium aut Petro aut cæteris Apostolis, collatam legimus, minimè verò, ut esset modus privandi vel deponendi seculares potestates, quippe de quo Sacri Codices ubique altum silent, certè Christiana etiam antiquitas clavium hoc sensu nec notitiam habuit nec usum; itaque cum v. g. Imperator Theodosius ab Ambrosio esset excommunicatus, non propterea jure Imperii Romani exclusus credebatur, sed gratiâ cœlesti excidisse, usque dum resipisceret, nec per pœnitentiam jus Imperii

non amissum, sed cœlestis gratiæ consortium recepisse visus
58 est; Scio excommunicationem subsecutis seculis ad terrena quoque dispendia fuisse extensam velut ad denegandum auxilium domino feudi excommunicato, de quo est textus 2. *F.* 28. *in princ.* Verum celebres feudalium consuetudinum compilatores Obertus de Orto & Gerardus Capegistus, hujus textus asserto substernunt fundamentum æquè dubium, certè antiquitati non probatum, quasi excommunicatio omnes solvat vinculo juramenti, quo excommunicato obstringebantur; hoc enim nec lege cautum, nec sacris firmatum, nec antiquis usur-
59 patum fuit; diversa ratio est in his, qui ab Imperatore vel Rege sunt banniti; hi enim pro civiliter mortuis meritò habentur, non æquè excommunicati, nisi quatenus excommunicatio sequiori tempore similem civili morti conditionem de facto intulit ex consequentiâ, dum humanum consortium subterfugientibus aliis metu paris excomunicationis, si hospitio recepissent, aut qualitercunque adjuvissent, excommunicatos velut adem-
60 ptum fuerat; sed hic seculorum istorũ usus vel potiùs abusus Ecclesiasticæ potestatis à primo instituto nimium deflectens, non debet hodiernæ ætati, quâ rectiùs edocti excommunicationem suo scopo relinquimus, nec ad secularia jura & omnium minimè ad relaxationem vel exolutionem jurisjurandi extendimus, formam dare, unde pernegandum est, Imperatorem à Pontifice excommunicatum hoc ipso amittere jus Imperii, Principesque, Proceres & Status hinc solvi nexibus juramenti, quo eidem sunt devincti, posito, si, excommunicatio, quod ad causam attinet aliàs non injusta videretur: nec hodiè ergò Imperator vel Rex Romanus, si à Pontifice excommunicaretur, magis hoc ipso desineret esse Imperator vel Rex quàm olim Theodosius ex-
61 communicatus ab Ambrosio, licet fortassis diceretur, excommunicationem Theodosii minorem sc. ab usu sacramentorum, non majorem sive à consortio omni fidelium exclusionem fuisse; nam major ista excommunicatio seculis anterioribus ignota, posterioris ævi, utique eo sensu, quo ad secularia abusivè extendebatur,

debatur, commentum fuit. Maneat igitur ex hactenus dictis non amitti jus Imperii excommunicatione pontificiâ, sed si causa privationis prægnans subverſetur, eam examinis ac censuræ Electorum esse, qui electione Imperatori vel Regi potestatem contulere, *Arnis. l.* 1 *.de jur. Majest. c.* 6 *.in fine. Limn. l.* 2 *.de jur. publ. c. XI. n.* 23. *Hermes in fasc. jur. publ. c.* 6 *.n.* 37. 39. Quinimò 62
publicâ lege & consensu Imperii ætate Ludovici IV. Imperatoris cautum, ne Pontifici jus esset Imperatorem excommunicandi ac deponendi, ex aliis refert Lehmannnus *l.* 7 *. Chr. c.* 17. Adhuc ulterioris est considerationis: an soli Electores, an etiam cæteri Principes, Proceres & Status consentire debeant in depositionem Imperatoris vel Regis Romani? Non desunt, qui posterius affirment ex eo, quòd non legamus, Electoribus solis jus hoc depositionis concessum, ut jus electionis; quæ sententia licèt primâ facie non improbabilis videatur, cum ejus generis jura specialia strictæ sint interpretationis, utpote præjudicantia cæterorum Principum Statuumque juribus, quò pertinent, quæ superiori titulo de privilegiorum concessione diximus; tamen crediderim 63
hoc magis de honestate & viâ expedientiæ intelligendum; in re enim tanti momenti præstat perquirere aliorum etiam Principum sententias; ast verò solius collegii Electoralis suffragiis, ut constitui, ita deponi quoque posse Imperatorem vel Regem, si suprà scripta concurrant, probabilius est; quid enim refert, Imperium vacare aut habere Imperatorem vel caput indignum propter crimina; cum ergò ob publicam salutem ex consue- 64
tudine & Bullâ Carolinâ ad suffragia collegii Electoralis restricta sit Electio Cæsarea in casu mortis, quis non æquum censeat eodem restrictiore votorum numero periclitanti Reipubl. in casu privationis succurri, ne inter consultationes plurium gravius & magis irreparabile damnum ex morâ emergat, atque ita observatum est in deposi- 65
tione Wenceslai, dum soli Electores sententiam exauctorationis tulerunt, quanquam alii Principes & Proceres, imò nobiles etiam & literati actui eidem interfuisse referantur. Vid. Gold.

tom. 1. const. Imp. p. m. 379. 380. 381. ubi hanc exauctorationis sententiam integro tenore formali refert; atque hoc unicum crediderim exemplum, quo à collegio Electorali Imperator aliquis per sententiam justè fuerit depositus; nam Carolus Crassus, qui etiam exemplis refertur, originem Electorum haud dubiè
66 antecedit, quod & de Henrico Quarto Imperatore affirmandum est ex veriore opinione, præterquam, quòd hunc etiam à Principibus Imperii intuitu Pontificiæ excommunicationis, quæ res facti fuit, magis desertum, quàm legitimè depositum, meritò censeamus; certè vota non fuisse in tantâ hac re libera, sed Pontificiæ factioni, quæ filium Henricum V. contra Patrem ad defectionem & arma excitaverat, prorsus obnoxia, descripsit
67 *Avent. l. 5. Chron. tit.* wie Käiser Henrich der Vierte abgesetzt, &c. hisce verbis: Zwischen dieser Handlung (da nemlich Käiser Henrich der Vierte von seinem Sohn listiglich gefangen worden) kam der Römische Legat, und mit Ihm 50. Bischöff und Fürsten, darzu andere mehr Prælaten und Herren, alle zu Mäintz zusammen, fingen an von der Sach zu handeln, ein jeder, der dem alten Käiser zuvor feind gewesen, der redet jetzund noch hefftiger und ernstlich, wie einer gesinnet war, auf das übelst, also redet Er wider den alten Käiser, neidig und trotziglich, welcher hefftig war, der hat von des alten Käisers Feinden noch mehr Lobs und Gunst,
68 **So bald einer seine Stim̃ sittlicher Weiß fürbracht/ auf des alten Käisers Seiten war/ der wurd von Stund von den andern gescholten.** & *paulò post*: **Wo aber einer war/ der an solchem ein Schrecken und Scheu hätte/ der must vor den andern in Sorgen stehen/ wer vermeint/ es wäre nicht recht/ denselben überredtens und stärckten ihn.** Conqueritur de inju-
69 stitiâ privationis Imperii ipse Henricus Quartus Imperator in protestatione ad Principes Imperii missâ, apud *Goldast. tom. 1. const. Imp. p. 250.* dum *Conquerimur*, inquit, *Deo omnipotenti &c. quod injustè, & inhumanè, & crudeliter, confisi in illa fide, in qua dubitare non debueramus, tractati sumus, & tàm honore Regni, quàm prædiis & omnibus, quæ habebamus, contra divinum & humanum jus ad infamiam & vituperium regni, ita expoliati sumus, ut nihil penitus præter solam vitam nobis sit relictum, ubi cum fermè omnes effectis, magna pars vestri visa est dolere & contristari, sed, proh dolor! nihil nobis vestra contulit tristitia, quin de nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorum nostrorum odiosa.* Rescripserunt Principes Imperatori, sed ita

ut

ut causam diuturni in Imperio dissidii illi imputarent, hancque
etiam pro præcipuâ depositionis causâ allegarent; *vid. Goldast.*
d. l. Verum huic congregationi, non omnes Episcopos ac 70
Principes interfuisse, ostendunt ejusdem Imperatoris Henrici
IV. literæ apud *Gold. ib. n.* 251. ubi plures nominat Archi-epi-
scopos, Episcopos, & Principes, quos ad examen suæ causæ venire
oporteat. Sanè non improbabile videtur, Imperatorem hunc
fuisse motuum Germaniæ, pluriumque hinc emergentium ma-
lorum causam, ast per accidens, quia jura Imperii haud negli-
gere, sed conservare satagebat, atque ex hac re, quòd novis &
ambitiosis postulatis se pro imperio opponeret, Pontificum Ro-
manorum indignationem, & odia in se concitaverat, hinc vero
minimè justa depositionis colligi poterit causa, vel sententia Mo- 71
guntini ejus temporis Electoris, relata *à Limn. & Herm. d. l.*
quasi Imperator anterioribus meritis investitus, contrariis meri-
tis sive factis iterum sit devestiendus, approbari, quoniam illa
imputatio, quatenus illicita ac delicta enormia comprehendit,
quæ ad depositionem sufficere possent, incerti & falsi vel non
probati aut notorii facti fuit; ergò ut de decernentibus nihil di-
camus, nec causa æquè justa, vera ac notoria subfuit in depositio-
ne Henrici Quarti, ut in exauctoratione Wenceslai, nec eadem
cognitionis ratio, quando, uti dictum, vota minus libera fue- 72
runt, sed voluntati Pontificis Paschalis & Legati ejus alligata,
id quod & tenor decreti ostendit, quo Henricus in bannum de-
claratus est, actaque Hildebrandi Pontificis confirmata, quam
rem Aventinus *d. l.* ita literis consignavit: Bald wurde das Decret 73
der gantzen Versammlung verzeichnet, und war diß die Meinung, daß mit
einhelliger Stimme aller Fürsten und Herren, Käiser Henrich der
Vierte in Bann gethan, von aller Welt, von jedermann, hohen und ni-
dern Stands, abgesondert solte seyn; daß die Acta und Handlung Papst
Hildebrands bey Kräfften bleiben solten. Quæ confirmatio acto- 74
rum gestorumque Hildebrandi sive Gregorii Septimi
Pontificis satis clarè coarguit, decernentes fuisse obnoxios
Pontificiis partibus; quem enim alium in finem oportuit
actitata Hildebrandi jam mortui confirmare vel publico
consensu

consensu approbare, nisi in gratiam Paschalis & aliorum sedis
Romanæ successorum, aut cur Henricus Quartus, si omninò
causæ legitimæ ac prægnantes fuissent exauctorationis, proscri-
75 bi debuit, cum in Wenceslao, qui, quod ad Imperium attinet,
gravissimas suæ remotioni præbuit causas, sola depositio absque
declaratione banni decreta fuerit, teste ipsa exauctorationis
sententiâ suprà relatâ. Scilicet Henricus, non quòd in rempu-
76 blicam, cujus jura fortiter propugnaverat, deliquisset, sed quòd
ipsa jurium Imperii & Majestatis propugnatione Pontificis Ro-
mani eique adhærentium Episcoporum ac Principum odia in-
currisset, non simplici depositione removeri, sed, quò minùs in
posterum defensionis causæ suæ & Imperii spes esset, proscribi
ac præter insulas Cæsareas, omni humano consortio excludi
77 debere visus est, quæ ratio diversa fuit in Wenceslao. Mitta-
mus autem historica, & sub politicum examen vocemus rem
ipsam, num Principes & Ordines Imperii potuerint jure in
bannum declarare Henricum Quartum? Non desunt in ve-
teri Republ. Romana exempla Principum, ut Neronis & alio-
rum, quos Senatus propter enormia admissa hostes judicavit,
unde, si hanc rem exemplis metiamur, non minùs
jus in Imperio Romano-Germanico Senatui Principum
Ordinumque esse, haud improbabile argumentum sumi
quis credet; verum adversatur primò suprema potestas civilis,
quæ est penes Imperatorem, eique per electionem collata, ut
78 suprà deductum est; non igitur Principes & Procrees habent
potestatem supra Imperatorem, quâ illum in bannum declarent,
nec jure tantùm Imperii, sed consortio etiam humano vitâque
civili cum omnibus bonis privent, quod ulterius confir-
matur, quia licet Principes olim universi, (cum scilicet adhuc
eligere solerent Imperatorem) posteà Electores ex prægnan-
tissimis causis veris ac notoriis deponere potuerit Cæsa-
rem, quicquid contradicat *Stamler. de reserv. §. 17. num. 4.
& sequ.* dum ipse *ibid. num.* 16. ejusmodi negotium ad
universos Ordines referre, & sic non prorsus negare videtur,

contra

contra quem §. 1. *d.n.* 1. adstruit; concedit enim talia rursus *n.* 2. ex quibus non malè justitia depositionis jure gentium asseritur, non tamen hæc res de usu potestatis superioris, in quo facilè assentior Stamlero, accipi debet, ut fit declaratione banni, sed de expressione contrariæ voluntatis, quâ postquam Imperator factis enormissimis notoriisque rempublicam, ni remedium adhibeatur, pessundaturis, recesserit à susceptâ legitimâ administratione Imperii, Principes vel Electores haud amplius sceptro ejus sese vel ullos fideles obstrictos fateantur, idque publico decreto declarent. Ast ea declaratio publica resoluti ex magnis causis ac notoriis juris Imperii, quæ in regnis electivis admittitur, non plus debet auferre, quàm electione prius fuerit collatum, & per consequens intelligi nullatenus poterit de eâ specie, quâ electo præter jus Imperii, consortium omne humanum & in effectu vita civilis cum omnibus bonis adimeretur, quæ res cum pœnæ formam habeat, in decernentibus potestatem puniendi superiorem exigit, adeoque hujus defectu Principibus, & Proceribus Imperii nostri in Imperatorem adscribi nequit. Quo insuper facit tertiò, quòd more majorum nec Princeps quidem Imperii in bannum declarari vel proscribi consueverit, nisi ab Imperatore de assensu aliorum Principum vel Parium Curiæ, quæ potestas banni Imperialis superior fuit, consensu Parium in exercitio velut auctorizata, quòd si ergò à solis Principibus in bannum Imperiale nec Princeps Imperii legitimè declarari potuit, ergò multò minùs Imperator. Forsitan & hoc consideravit ipsa Moguntinensis congregatio in exemplo Henrici Quarti, dum non soli Principes Proceresque Imperii, tùm Ecclesiastici tùm seculares ibi comparuerunt, sed Legatus quoque Pontificis præstò fuit, ut evibratio fulminis banni in Imperatorem auctoritate tantò majori ac velut suppletoriâ Pontificis facta intelligeretur, sed incassum; neque enim Pontifex potestatem superiorem, quam in actu declarationis banni contra Cæsarem nullam habet, legato suo dare potuit

79 80 81 82 83 84

atque adeò par subfuit potestatis bannitoriæ defectus, dum
Principes & Proceres Imperatorem cum legato Pontificis in
85 bannum declaraverunt, ac si id fecissent sine eo; quod si quis
fortè putet, non seculare bannum, sed excommunicationem
fuisse in congregatione Moguntinâ adversus Henricum decretam,
nihil hæc explicatio momenti habebit, tum ex suprà deductis,
quòd sc. nec potestate Imperii, nec consortio
hominum aut bonis excommunicatio jure privare queat, tùm
86 quòd Henricus jam antè legatur fuisse excommunicatus, ut
novâ excommunicatione haud fuerit opus, tùm quòd incongruum
fuisset, non Episcopos modò, sed & seculares Principes
ad excommunicationem Imperatoris convocare, eorumque
vota requirere, cum quidem constet, è secularibus
Principibus plures interfuisse, ac Imperatorem Henricum IV.
unà cum cæteris in bannum declaravisse, quorum tamen in
87 excommunicatione vel ipsa jura Pontificia nullam agnoscunt
potestatem. Igitur ex omni eventu, & quomodocunque explicetur
declaratorium illud banni decretum adversus Henricum
IV., nullius momenti fuit. Planè hodiè ex lege Capitu-
88 lationis Cæsareæ *art.* 28. proscriptio vel declaratio banni contra
Principem vel Statum Imperii quemcunque sine consensu
Electorum, & juxta monita cæterorum Ordinum sine universorum
consensu ab Imperatore decerni aut executioni
mandari non debet, resque eadem quoad modum declarationis
banni, contra Status, comitiali ulteriori deliberationi ac
decisioni est reservata, per *Instr. Pac. art.* 8. §. *habeantur. add.*
89 *Rec. Imp. de anno* 1654. §. in Fällen. 162. *circa fin.* Unde
argumentari licet; multò minus legibus decisum vel firmum
esse, quòd Status Imperii possint Imperatorem, quæ res certè
gravior est, majoresque Reipublicæ motus causatur, in bannum
declarare, secundùm quæ omnia proscriptionem Henrici
Quarti inter legitima exempla Cæsareæ depositionis
referre posse, nego; idem judicium de exauctoratione Ottonis
IV. Imperatoris ferendum, prout deducit Stamlerus *de reserv.*
§. 16.

§. 16. n. 4. Neque justior aut firmior est, quæ contra Adolphum Nassovium Imperatorem affertur privatio juris Imperii; hæc enim etiam defectu potestatis laborat, quòd per factiones Principum à nonnullis partes Alberti secutis Adolphus sit ex- 90
clusus, quam rem Albertus Argentinensis *in Chron. tit. de congressu Regis & Ducis* sic descripsit: *Dux* (quo nomine Albertum Austriacum, qui pòst ejus nominis Primus Imperator fuit, intelligit) *cum hostili exercitu Suevorum & Rhenensium equitum descendens Moguntiam venit, ibique à Principibus QUIBUSDAM quasi congregatis Regemque tanquam inutilem ac destructorem Reip. & Imperii destituentibus, in Romanorum Regem est electus.* Quæ destitutio sim- 91
plex fuit, non speciе proscriptionis, ut ea, quâ Henricus Quartus Imperio de facto est exclusus, decreta; nihilominus tamen hanc quoque non valuisse, præter jura dicta, argumento est subsequens nova electio, quâ Albertus occiso Adolpho, quo adhuc vivo eum jam elegerant Principes Moguntiæ congregati, ab omnibus Principibus denuò fuit electus, referente eodem Historico. *tit. de Elect. Alberti Ducis in reg. mox circa initium.* Quorsum enim pertinebat, Albertum secundâ vice ab omnibus Principibus jus voti sc. electitii habentibus eligi, si prior à quibusdam facta electio habita fuisset legitima; quòd si con- 92
gregati nonnulli Moguntiæ Principes Albertum non potuerunt validè eligere, ergò nec Adolphum legitimè deponere; unde verius est, Albertum post mortem Adolphi demum jus Imperii per electionem firmiter esse consecutum, quare nec Adolphi depositionem inter exempla legitima referre licebit. Et ut eò revertar, unde digressus sum, præter Wenceslai 93
depositionem vix allegari potest legitimum exemplum Cæsaris à Collegio Electorali depositi, ubi tria occurrunt consideranda: 1. Depositionis causæ in decreto vel sententiâ privationis expressæ. 2. Forma processus. 3. Cæsarei juris ac potestatis privatio. Causæ referuntur plures, quæ tamen ad duas facilè rediguntur, videlicet pessimam Imperii

administrationem, & facinora tyrannica; administra-
94 tio Wenceslai ex triplici capite redarguitur, nempe profusâ partium Imperii alienatione, promercali abusu Sigilli Cæsarei, & negligentiâ Pacis publicæ ac justitiæ, dicitur nimirum Wenceslaus plures Imperii urbes & partes alienâsse, nominatim Mediolanum & provin. Lombardiæ, cujus vicarium (Johannes Galeatius fuit) acceptâ pecuniâ Ducem creaverit ac Comitem Papiensem; chartas præctereà puras, quas blancas hodiè vocamus, sigillo Cæsareo obfirmatas, pretio vendidisse, ita ut in his, quicquid placuisset, scribendi accipientibus copia foret, quæ res in valdè damnosam jurium ac
95 rerum Imperii diminutionem cesserit; hoc amplius nec controversiarum & hinc emergentium bellorum, quibus Imperium miserè afflictum fuerit, nec justitiæ curam habuisse, ut adeò publicæ rapinæ deficiente animadversione frequentiores essent, nullaque publica securitas commeantibus relicta
96 sit; adduntur facinora, quibus & Wenceslaus ipse, & quæ circa eum egerit scelerata manus, coarguuntur, plures sc. tum antistites ac religiosos, tum alios honestæ viæ viros neci eum dedisse, sed & alia scelera sine expressione speciali, ut æquè
97 in vulgus nota imputantur. Et quanquam aliqua sint, quæ Wenceslaum aliquatenus excusare potuisse videantur, velut, quòd Mediolanum & provincia Lombardiæ posteà etiam juris Imperii fuerit, ut constat & probant investituræ ac publica monumenta sequentium temporum, quâ de re supra, item quòd ex consensu Electorum, Principum ac Statuum Imperii pacem publicam in Comitiis Francofurtensibus de anno 1389. sanctione obfirmaverit, quam integro tenore refert Lehmannus
98 *lib. 7. Chron. Spirens. c.* 63. tamen haud dubium est & supinæ negligentiæ & enormium contra salutem publicam in administratione Imperii admissorum Wenceslaum meritò inculpatum fuisse, cujus generis plura ex Cuspiniano, Bonfino & Cranzio, annotavit ipse Lehmann. *d. lib. 7. c. 59.* ubi summatim administrationem ejus his verbis perstringit: Es wird seiner

(Wen-

(Wenceslai) allenthalben bey denen Historicis in keinem 99
guten gedacht, sondern ist als ein weinsüchtiger, weibischer,
und zu allen Ampts-Geschäfften und Verrichtungen
verdrossener, und daneben ein tyrannischer Regent bescholten. Nec ea, quibus Wenceslaum quodammodo relevari videri diximus, pessimam illius causam satis exculpant, quia, quod ad primum attinet, non tam concessio ducalis dignitatis, cujus generis vetera & recentiora exempla, quibus Comitiva dignitas in Ducalem à Cæsaree vecta fuerit, plura in Imperio extant, quàm modus, quòd acceptâ à Wenceslao pecuniâ id contigerit, & connexa insuper novæ dignitati Ducali emolumentorum Imperii perpetua translatio, exprobrantur, sicut ex ipsâ remotionis formulâ apparet. Quod verò con- 100
stitutionem Pacis publicæ attinet, ea quidem à Wenceslao conventa atque sancita legitur, minimè verò servata, *vid. Lehm. d. c.* 59. ut propterea dubitandum minimè sit, satis causæ fuisse Electoribus, cur ipsum deponerent. Justam porrò 101
processus formam, quæ secundo loco consideranda venit, observarunt Electores, dum summariâ viâ, & solâ veritate facti inspectâ, quæ procedendi ratio tam arduo negotio maximè convenit, causæ cognitionem susceperunt, nec statim licèt ex prægnantissimis causis, ad extremum depositionis remedium progressi sunt, sed diu multumque Wenceslaum admonuerunt, ut vitia administrationis emendaret, & ex rectiori vitæ instituto Imperium moderaretur, ceu perspicere licet vel ex ipso sententiæ privationis tenore, *§. quàm varia. & §. quæ quidem memorata.* Sed cum prorsus incorrigibilem ex- 102
perti essent, & clarè perspicerent, aut Cæsaream administrationem mutandam, aut Reip. pereundum esse, certè priora publica damna novis subinde accessuris supra modum adauctum iri, tandem efflagitante obligatione officii, re & inter se & cum aliis Principibus ac Statibus communicatâ, necessarium magis quàm voluntarium privationis remedium adhibuerunt, neque tamen vel sic, quòd fecerat Moguntinensis 103

congregatio contra Henricum quartum, in bannum, quod minus legitimè fieri suprà ostendi, tam degenerem & facinorosum Imperatorem declaraverunt, sed potestate & jure Imperii tantum privâsse satis habuerunt, unde Wenceslaus
104 post depositionem suam adhuc Rex Bohemiæ fuit, nec bonis propriis nec hominum consortio exclusus. Quæ quidem sententia & privationem Cæsarei juris ac dignitatis complexa est; & relaxationem juramenti, quo Principes Statusque Imperii Wenceslao ut Imperatori priùs obstricti fuerant, ceu
105 patet ex tenore ejusdem. §. *Nos itaque.* Quâ ex re notare licet insignem actum Majestatis realis, dum Electores jurisjurandi vinculo solverunt Ordines, quo Cæsari anteà obligabantur; sanè jure Romano gratia vel dispensatio juramenti ad Imperatorem pertinet, *ex l. fin. pr. ff. ad munic.* & jure Camerali eâ specie Cameræ relaxatio à juramento competit, quâ quis in causâ civili compulsus juravit, se actione non usurum *Ord. Cam. p. 2. tit. 24.* von *relaxation* der Aydt *ad effectum*
106 *agendi.* Ea verò relaxatio, quâ Electores Imperii nomine solvunt Ordines & fideles ab observantiâ juramenti Imperatori præstiti, fit in consequentiam; nam si Imperator depositione legitimâ desinit esse Imperator, utique etiam resolvitur ex parte Ordinum & omnium fidelium jurati obsequii vinculum,
107 quod non ad eum casum porrigi existimandum est, quo Imperator potestatem Imperatoriam verè per legitimam privationem amisisset, ut Wenceslao contigit; omnes enim stipulationes & conventiones intelliguntur sub tacitâ clausulâ, *rebus ita stantibus. per l. cum quis.* 38. *princ. ff. de sol.* id quod etiam de juratis promissionibus procedit, *per l. fin ff. qui satisd. cog. l. fin. C. de non num. pec.* igitur etiam jurata promissio obsequii, facta Imperatori, hanc tacitam habebit clausulam, si Imperator permaneat; nec obligabit ampliùs, si Cæsareâ potestate legitimè fuerit destitutus; quapropter magis
108 ad cautelam fit, quàm ex juris necessitate relaxatio juramenti

ab

ab obſequio erga Cæſarem; nam ſi is legitimè fuerit depoſitus, etiam omiſsâ relaxatione, haud obligaret amplius jurata anterior obſequii promiſſio, tanquam ad caſum privationis minimè pertinens, & per inverſum, ſi illegitima eſſet depoſitio, relaxatio juramenti non tolleret juratam obligationem, 109
nec promittentes ſolveret à debitis Imperatori per injuriam depoſito obſequiis, ergò res tota eò redit, num depoſitio justa & legitima fuerit nec ne, eoque intuitu cauſarum graviſſimarum publica requiri ſolet notorietas, ſummum hinc Reipublicæ impendens periculum, præcedens ſeria emen- 110
datioris adminiſtrationis cohortatio, ſed deſperata ſpes correctionis; quæ ſi concurrant, ut in Wenceslai causâ, juſta fieri poterit depoſitio, aliàs ab eâ omninò abſtinendum eſt, utpote minùs legitimâ, quæ magnam Reip. cladem etiam attrahere ex diſſidio facilè poteſt. Cæterùm quæ hîc de majeſtate reali diximus, non obloquuntur ſupra jam traditis, ubi realem majeſtatem impugnavi certo reſpectu, atque in vitâ Imperatoris legitimè adminiſtrantis Imperium, cujus poteſtas majeſtate reali obnubilari non debet, neque hæc illâ ſuperior eſt, neque ex eâ hypotheſi vaſalli magis Imperii, quàm Imperatoris dici debent, quà de re ibi dictum; aſt vacante Imperio, per reſignationem, depoſitionem, aut mortem, quin tunc ma- 111
jeſtas aliqua realis penes Ordinum corpus & ex repræſentatione penes Electores reſideat, minimè negaverim, probantque præter electionem novi Imperatoris vel Regis, capitulationum leges, quæ reverà hoc fundamento ex parte Imperii ſubſiſtunt; hoc amplius vivo quoque Imperatore, ſi is manifeſtè deſit officio, ſollicitudo publica à parte Imperii eodem principio nititur; atque hæc de ſecundâ ſpecie finiendi Imperii per depoſitionem dicta ſufficiant. Supereſt mors, quæ ut cætera huma- 112
na, ſic Imperia quoque finit, & ſpecialiter etiam in perſonâ Imp. Romano-Germanici; differentia tamen ſubeſt inter negotia Imp. perfecta & perficienda, illa enim ex morte Imperatoris vel Regis non revocantur, hæc, ne ad perfectionem perveniant, morte

113 morte intercipiuntur; ita v. g. lex ab Imperatore sancita post mortem etiam valet, quod quidem in sanctionibus Imperii, quas mortuis Imperatoribus, qui tulerunt, adhuc pro legibus allegamus, & in veteri Principatu Romano pariter obtinuit, satis elucescit; neque hic momentum praecisum est, in consensu Principum & Ordinum, quo interveniente constitutiones Imperii modernae ferri solent, quia absque Imperatoris rati habitione conclusa Ordinum pro lege Imperii non valent; si ergo anterior ejusmodi ratihabitio Caesarea morte expiraret, perinde esset, ac si non intervenisset, adeoque constitutiones Imperii morte Imperatoris, non obstante, quòd comitiali consensu Statuum fuerint approbatae, adhuc interciderent, si negotia Imperii consensu vel potestate Caesareâ perfecta, ex morte Imperatoris, ad nihilum revocarentur.
114 In Pace & foederibus nomine Imperii conventis eadem ratio est, quòd nempe post mortem etiam Imperatoris valeant, nisi forte foedera sint expressè personalia & ad vitam Imperatoris restricta, quo utique casu ut caetera pacta personalia morte Imperatoris finirentur. Et similis quoque hic obtinet ratio, an foedera jam prorsus perfecta an perficienda fuerint. Rescripta porrò Caesarea gratiosa & privilegia ejusdem conditionis sunt, ut perfecta non intercidant morte, sed gratia concessa posteà quoque duret, nisi forsan, ut de foedere dictum, ad vitam concedentis expresse forent restricta; Rescri-
115 pta verò justitiae, ita valent post mortem Imperatoris rescribentis, si commissarii eo adhuc vivo negotium inchoaverint, puta, litis contestatione inter partes aut saltem emissâ citatione parti reae insinuatâ, *c. relatum. 19. & c. gratum. 20. X. de off. & pot. jud. deleg.* Ergo committeretur insignis nullitas, si ex rescripto Imperatoris re adhuc integrâ mortui procederetur, putà, si decretum in vitâ Imperatoris rescriptum, post mortem ejus expediretur, quod non tantum in causis commissionum,
116 sed etiam in mandatis Camerae sic obtineret, quae post mortem

tem Imperatoris, qui nihil amplius mandare potest, non nomine ipsius, sed vicariorum Imperii expediri debent; item si vivo Imperatore decretum expeditumque esset rescriptum, sed mortuo eo insinuatum; non magis enim hoc quàm priori casu, obstante sc. eadem ratione finiti per mortem Imperii, legitimè procedi posset, neque etiam si commissariis, dum 117
adhuc viveret Imperator, rescriptum advenisset, sed priusquam insinuatum foret partibus, is decessisset, legitimus ex rescripto institueretur processus, arg. *d. c. relatum. & d. c. gratum*, quia requiritur tali casu pro fundamento legitimi processus, ut citatio fuerit in vitâ committentis insinuata; In contractibus publicis aliis præter fœdera, si qui perfecti essent Imperatore vivo ac nomine Imperii conventi idem censendum, non sc. revocari ex morte, eò pertinet, quod vulgò dici solet: contractus nomine Principatus initos obligare successorem. *Cyn. in l. digna vox. C. de ll. Panorm. Felin. Bald. Dec. & al. in c. 1. X. de prob. Bald. vol. 3. conf. 159. num. 4. Jason. vol. 3. conf. 10. num. 7. 10. & sequ. Bero. vol. 3. conf. 138. num. 9. Natta tom. 3. conf. 636. num. 13. Bursat. lib. 1. conf. 16. n. 47.* Quod quidem 118
procedit in omni successore Principatus vel Regni, sive jure electionis sive jure sanguinis perveniat ad successionem, ex deductis *per Crav. conf. 241. num. 17. & conf. 592. num. 59. Roll. à Vall. vol. 2. conf. 1. num. 40 & sequ. Menoch. conf. 264. num.* 119
24. sc. ut obligetur, quatenus nomine Principatus vel regni est contractum, unde volunt capitula Pacis Constantiæ olim inter Fridericum Primum Imperatorem & civitates Lombardiæ conventa à successoribus quoque Imperii debere observari, & idem in similibus; sed hîc, ne extra argumentum præsen- 120
tis tituli, quo de modis finiendi Imperii in personâ Imperatoris vel Regis Romani sermo est, evagari latiùs videar, vela contrahenda sunt, & quanquam mors haud dubiè Imperium solvat, faciatque locum novæ electioni Regis Romani ac Cæsaris juxta Bullam Carolinam, tamen declaratio haud imme-

ritò subjecta est de ipsis negotiis vivo Imperatore jam perfectis, quæ mors tollere non debet, saltem regulariter, & nisi cla-
121 rè constet ad vitam imperantis restricta fuisse. Verùm in perficiendis negotiis contraria regula obtinet, quòd nimirum morte Imperatoris vel Regis abrupta censeantur, nec sine consensu successoris peragi possint, veluti si versaremur in tractatibus pacis, instructio præcedens legatis data revocaretur morte & novâ auctoritate successoris ad eam rem opus esset, quò etiam referri possunt, quæ suprà *tit. XI.* de concessione precum primariarum dixi, quæque paulò ante de rescriptis mortis tempore nondum legitimè insinuatis deduxi, puta quòd auctoritate jam mortui ulterius insinuari nequeant.
122 Neque præmissis obstat, quòd antecessor non possit successores adstringere lege, à quâ eis recedere non liceat, uti declarat Innocentius Tertius Pontifex *in c. innotuit. 20. X. de elect. & el. pot.* quia hoc non est extendendum ultra terminos legis vel juris positivi ad contractus, certe non ad eos contractus, qui nomine Imperii vel supremæ potestatis fuerunt conventi & perfecti, à quibus successor ex prædeductis & receptâ Doctorum opinione recedere nequit, atque hæc materia, an & quatenus successores Imperii vel Regni obligentur ex gestis prædecessorum, est nostro titulo ac themati præsenti de fine
123 Imperii per mortem satis conjuncta; quibus enim negotiis obstringitur successor, ea morte antecessoris Imperii aut Regni haud poterunt dici finita: In privilegiis sanè adhuc duplici distinctione utuntur Doctores, nimirum inter personas
124 & concessionis modum, utrum subdito, vel non subdito, & utrum per modum simplicis gratiæ, an verò contractus aut tituli alicujus onerosi concessa fuerint, nec ne; si non subdito, aut si per modum contractus, irrevocabilia esse volunt, ut nec concedens, nec eo mortuo successor eadē possit revocare. *Felin. in c. novit. 13. num. 8. X. de jud. Dec. in c. quæ in Ecclesiarum. 7. num. 127. X. de const. Alex. Jonol. lib. 2. conf. 216. num. 18.*

Natta

Natta conf. 511. *per tot. Rol. a Vall. conf* 66. *per tot. Card. Tusch. tom.* 6. *conlus.* 751. *Lit. P. per tot.* Sed ultra hæc omni- 125
nò sustinendum est, privilegia etiã merè gratiosa non finiri morte concedentis Imperatoris vel Regis, nisi forsan per se aut ex tenore suo ad vitam concedentis sint concessa; privilegium enim etiam gratiosum aliàs non ipsâ morte concedentis intelligitur revocatum, sed durat, donec revocetur sive ab ipso concedente sive post ejus mortem à successore, unde ad cau- 126
telam id genus privilegia ut plurimum solent confirmari; in cæteris titulo oneroso vel per speciem contractus concessis, superfluam nonnulli putant confirmationem, ut *Rimin. Junior. conf.* 23. *num.* 141. *relatus à Tuscho d. conclus.* 751. *num.* 69. Sed reverà tamen tunc quoque confirmatio non prorsus est 127
superflua, quia saltem hoc operatur, ne Princeps confirmans tam facilè posteà revocare velit privilegium à se ipso confirmatum, quamvis ex causâ, præsertim superveniente, id revocare posset; quo utique casu *Tuschus & alii suprà allegati* debent intelligi *add. text. & dd. in c. suggestum.* 9. *X. de decim.* Accedit, quòd confirmatio tollat suspicionem aut præsumptionem obliterationis privilegii; quod enim de novo confirma- 128
tum est à successore, haud censeri debet longi temporis non usu abolitum, sicut aliàs privilegiis non confirmatis, ex vetustate temporis quandoque accideret, præsertim si usus privilegii non ita promptè posset demonstrari; hinc indistinctè pri- 129
vilegiorum confirmatio, si non ad juris necessitatem, saltem ad majorem cautelam pertinet, ut censuit Baldus. *vol.* 1. *conf.* 112. *n.* 7. Planè in Imperio nostro electus Rex Romanus 130
non tantùm Electoribus juxta Auream Bullam *tit.* 2. §. *& quia cum.* §. *sequ.* privilegia confirmare tenetur, sed hodiè etiam vigore capitulationis *art.* 3. idem fit in cæterorum Principum Statuumque privilegiis; unde consequens est, ejusmodi privilegia antecessoris Imperii morte haud esse finita. Sed hæc de præsenti titulo.

TITULUS XIV.

DE AUGUSTA IMPERATRICE ET REGINA ROMANA.

SUMMARIA.

Num. 1. Fœminæ in orbe Romano non fuère olim participes Imperii. 2. Nec in Imperio Romano-Germanico. 3. usque 6. Agnes Imperatrix vidua insueto exemplo per aliquot annos Imperium administravit. 7. Agnetis administrationem abrupère Imperii Principes. 8. Agneti conjugi non potuit ab Imperatore Henrico Tertio administratio Imperii per testamentum validè relinqui. 9. Administrationi Imperii vacantis prospicitur per vicariatus. 10. Imperatrix & post illam Regina Romana supremum dignitatis locum inter fœminas habent. 11. Imperatricis vel Reginæ Romanæ coronatio describitur. 12. & 13. Imperatricis ac Reginæ Romanæ coronatio triplex & diversa exempla. 14. Imperatricis coronatio diu admodum intermissa in Anna Matthiæ Imperatoris conjuge ad usum revocata est. 15. Imperatricis nostræ coronationis actus novissimus. 16. 17. & 19. Imperatrici vel Reginæ Romanæ Electores Ecclesiastici imponunt coronam. 18. Abbas Fuldensis Cancellarius est Imperatricis. 19. Abbas Fuldensis coronam Imperatrici in actu coronationis præfert atque asservat. ibid. 20. usque 25. Imperatricis coronationis tres sunt partes, quæque solennitates & insignia adhibeantur. 26. usque 43. Læsæ Majestatis crimen in Imperatricem committi posse probatur. 44. usque 50. Læsæ Majestatis crimen Imperatricem committi negantium argumentis respondetur. 51. 52. & 53. Imperatricis & Reginæ Romanæ forum est penes Imperatorem. 54. & 55. Cæsarea vel Regia jurisdictio extendit se etiam ad personas

sonas necessitudine junctas. 56. 58. *&* 59. *Imperatrix eadem privilegia habet, quæ Imperator & quo sensu.* 57. *Imperatricis privilegia non præcisè restringenda sunt ad jura rerum.* 60. *usque* 65. *Imperatrix gaudet privilegiis fisci.* 66. 67. *&* 68. *Imperatrix facultatem habet condendi testamenti de jure gentium.* 69. *Imperatrix concedere alii nequit factionem testamenti.* 70. *usque* 74. *item* 78. *&* 79. *Imperatrici oblatum testamentum non valere pari jure, ac si Imperatori oblatum esset, probatur.* 75. 76. *&* 77. L. omnium C. de testam. *sensus verus explicatur.* 80. *&* 81. *Imperatrix habet jus primariarum precum in asceteriis sive monasteriis fœminarum ex speciali consuetudine.* 82. *Imperatricis donatio valet sine insinuatione actorum.* 83. *Imperatricis donatio filiofamilias facta, intelligitur pleniùs & conjunctô usufructu.* 84. *&* 85. *Imperatrix gaudet jure immunitatis à vectigalibus.* 86. *Imperatrix habet alia fisci beneficia, ut venditionis rerum communium & retractionis sententia intra triennium.*

IMperatoris & Regis Romani uxores ordine sequuntur Augustos maritos, de quorum personis, electione, capitulatione, coronatione, potestate & juribus, tùm etiam de modis dissolutivis Imperii per plures titulos hucusque diximus. Ergò nunc aliqua subjicienda sunt de Imperatrice & Reginâ Romanâ, hoc verò in principio præmonendum: fœminas quondam in Romano orbe non fuisse participes Imperii, hinc falsò scommate ridet apud Tacitum Tiberius Imperator Agrippinæ querelas, quando ait; *lædi eam, quòd non imperet*; atque sic Imperio Romano Orientis vitio versum legimus, quòd ad Irenen fœminam fasces & supremam imperandi curam Proceres detulissent, quæ res vel pro causâ afferri solet avulsi Imperii occidentalis, & ad Carolum Magnum translati. Certè in Imperio Romano-Germanico nullam 2

(1 in right margin beside "dissolutivis Imperii ... Er-")

Bbbb 3 par-

partem supremi regiminis fœmmino sexui commissam, præter historiarum monumenta, testantur leges, quæ ad Imperatores vel Reges, dum vixerint, postque illorum fata in interregno non ad viduas Imperatrices vel reginas, sed ad vicarios Imperii administrationem deferunt, ex *L. Aureæ Bullæ*
3 *tit. 5*. Equidem in Agnete Henrici Quarti Imperatoris matre contrarium exemplum refertur; viduæ sc. Imperatrici, curam Imperii nomine filii, ob teneriorem ejus ætatem testamento Imperatoris mariti commissam, ab eaque gestam,
5 quà de re ita *Lehmann. lib. 5. Chron. Spir. c. 26.* Nach tödtlichem Abgang Käyser Henrichs (is tertius ejus nominis Imperator fuit) ist Käyser Henrich der vierdt, und die Verwaltung und Regierung des gantzen Käyserthums in Frauen Agnes der Käyserl. Wittib Handen und Gewalt gelassen worden, welche zu Goßlar ihre Residentz und Hof
5 gehalten; & *Avent. lib. 5. Chron. tit.* vom Käyser Heinrich dem vierten. hæc consignavit: der jung Käyser hatte nichts zu handeln Macht, es stund alles Regiment an seiner Mutter der Käyserin, wie dann Käyser Henrich in seinem Testament verordnet hätt. Et paulò post *eod. tit.* Sie die Käyserin ließ den Pabst Victorem und Hertzog Gottfried mit seinem Gemahl von ihr in das Welschland ziehen, befahl ihnen alle Sachen zu verwalten, was sich in Italiâ zu tragen würde, macht ihren Vettern Conraden
6 zum Marggrafen in Kerndten ꝛc. Idem Avent. *d. lib. 5. Chron.* de concesso ab Imperatrice in feudum Bavariæ Ducatu tit. wie die Käyserin das Hertzogthum Bayern verliehen, hæc annotavit: Gleich um diese Zeit, als nun die alte Käyserin das Hertzogthum Bayern vier gantze Jahr regieret, und innen gehabt hatte, verliehe sie dasselbige
7 Hertzog Otten auß Sachsen. Verùm non diu tulerunt Principes Imperii muliebre regimen, sed abstractum latere matris, priusquam adolevisset, Cæsarem, aliò abduxerunt, ut

ut curam Imperii, donec is ad maturiorem ætatem pervenisset, ipsi gererent, ceu locis citatis Lehmann, & Aventinus tradiderunt, quicquid verò fit de justitiâ vel injustitiâ hujus fa- 8
cti, quam in rem inquirere instituti nostri non est, ipsa hæc fœminea curatio Imperii testamento vix satis stabilire potuit, quia Imperii administratio post mortem non erat posita in arbitrio Henrici Tertii, ut de eâ posset disponere, sed sicut judicio Principum electus fuerat impubes adhuc Henricus Quartus, ita judicio Principum pro tempore impuberis ætatis ejus, non ex provisione patris per testamentum, administrari debuit Imperium, quando de hoc puncto tunc nullâ 9
aliâ lege cautum aut provisum fuerat, nec certè, quo jus commune in matre & aviâ statuit, ut in privatis filiorum vel nepotum bonis tutrices vel curatrices esse queant, *l. matres* 2. *C. quand. mul. tut. off. Nov.* 118. *c.* 5. *auth. matri. C. d. t.* ad adnistrationem Reip. trahendum est. Certè nostrâ ætate publicis legibus & per vicariatus huic rei prospectum esse constat, quâ de re *tit. sequ.* ex professo agendum erit. Missâ igitur admi- 10
nistratione Imperii, quæ fœminei juris non est, juxta leges nostras publicas, deveniamus ad jura singularia Imperatricis vel Reginæ Romanæ. Hæc primò apparent in sublimitate personæ, uti enim Imperator in supremo dignitatis apice constitutus primum inter viros locum obtinet; sic Imperatrix inter fœminas, cum radiis utique maritorum uxores coruscare soleant, *l. fin. C. de incol. l. mulieres.* 13. *C. de dign.* eadem & de Reginâ Romanâ dicimus, exceptâ videlicet Imperatrice, cui pariter Regina cedit, ut Rex Romanus Imperatori; quò referri etiam debet processionis ordo Imperatrici vel Reginæ Romanæ post Imperatorem Regemque Romanum ac Regem Bohemiæ assignatus per *Aur. Bull. tit.* 24. §. *die quâ. vers. imperatrix* In hujus sublimitatis argumentum facit coronatio, quæ est actus solennis, quo imperatrix vel Regina 11
Romana solenni & majestatico ritu impositâ capiti corona,

Aug-

Augusta renunciatur, populique applaudentis conspectui
12 publico sistitur. Uti verò quondam ipsius Imperatoris triplex
fuit coronatio, Germanica, Lombardica & Romana, sic uxores Imperatorem triplicis quoque hujus coronationis fuisse participes legimus, fueruntque olim Romæ coronatæ Theophania Ottonis Secundi, Bertha Henrici Quarti, Beatrix Friderici Primi, Constantia Henrici Sexti, Margaretha Lu-
13 dovici Quarti, Anna Caroli Quarti, Eleonora Friderici Tertii
Imperatorum conjuges, pluresque aliæ in Lombardia & plerumque Mediolani, aliæ in Germania coronam susceperunt, in quibus numerantur Agnes, cujus ante mentionem fecimus, Henrici Tertii, Anna Rudolphi Primi, Elisabetha Alberti Primi, Maria Sigismundi Imperatorum uxores; Sed post Fridericum Tertium coronationes Augustarum & regi-
14 narum Romanarum diu & per quinque sequentium Impera-
torum ætates intermissæ referuntur, ut ferè in desuetudinem venisse viderentur, donec in Annâ Matthiæ Imperatoris conjuge solenni ritu in usum revocarentur, uti ex Goldasto refert Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. C. XI. sect.* 10. *num.* 19. quæ res hucusque diversis exemplis probata est, & actum coronationis Annæ Austriacæ uxoris Cæsaris Matthiæ, Abrahamus Hofmannus Cæsareus Historicus apud *Goldast. in Pol. Imperial. p. m.* 159. Mariæ verò Hispanicæ conjugis Ferdinandi Ter-
15 tii Imperatoris. Carpzovius *d. sect.* 10. descripsit. Novissimus
actus coronationis Imperatricis nostrâ ætate contigit in Eleonorâ Marg. Teresiâ Augusta invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi conjuge, uti publicè notum est. Cæterum coronationem Imperatricis vel Reginæ Romanæ peragunt, quod recentiora exempla docent, Electores Ecclesiastici, sub hoc tamen discrimine, ut si Aquisgrani coronatio contingat,
16 consecratio ad Coloniensem Archiepiscopum pertineat, im-
positio coronæ verò ad Tres Electores Ecclesiasticos, uti Hofmannus refert im Discurs von der Crönung einer

Rö-

Röm. Käyserin, *d. l. apud. Goldast.* Sed Hofmannus ille 17
tantùm exposuit, cujus sit consecratio & coronæ impositio, si coronatio peragatur Aquisgrani vel Romæ, non verò, ad quem spectet, si alibi in Germaniâ; docet verò exemplum Mariæ Moguntinum consecrationem & coronationem peregisse, licèt Archiepiscopus & Elector Coloniensis coronam capiti reginæ, cum in eodem actu ad S. Eucharistiæ communionem iret, demptam secundâ vice imposuerit; ast in actu coronationis Annæ tres Electores impositioni coronæ manus dederunt. Quæ res usu magis quàm certâ lege scriptâ nititur; pro Moguntino tamen ratione Archicancellariatus Germaniæ præsumptio quoad impositionem coronæ magis videtur militare. Abbas Fuldensis Imperii Abbatum Primas 18
Cancellarius Imperatricis est, ejus tamen officium hic non exercetur in impositione, sed prælatione & asservatione coronæ Imperatricis; quâ de re Auctor *dict. discurs.* von Crönung einer Röm. Käyserin., ita scribit: der Abt zu Fulda, als Primas Germaniæ und der Röm Käyserin Ertz-Cantzler, ist vermög seiner vom Kayser Carl dem Vierdten habenden Privilegien dahin verordnet, daß er bey solchen Crönungen der Käyserin auffwarten, die Cronen halten und tragen soll. Atque sic ab Electoribus Ecclesiasticis coro- 19
natio Imperatricis vel Reginæ Romanæ peragitur, Abbate Fuldensi Cancellario ejusvè mandatario coronam exhibente, intersunt etiam seculares Electores, vel plerumque eorum legati deportantes insignia, quæ adhibentur: suffraganei porro aliique Prælati consecratori missam celebranti assistere solent. Præter has personas Abbatem S. Maximi apud Tre- 20
viros, Archicapellanum Imperatricis & Abbatem Campidonensem Archimareschallum referunt, & hæc de personis. Quod actum coronationis attinet, is totus prout historicè in exemplis describitur, dividi potest in tres partes, celebrationem sacrorum, consecrationem sive unctionem, & impositio-

21 nem coronæ. Sacra in precibus publicis consistunt, quas inter & missa celebratur; consecratio fit unctione olei consecrati, atque adeo consecratio & unctio in hoc actu idem sunt, fierique solet unctio in brachio dextro ad juncturam cubiti & intra scapulas. Corona post unctionem imponitur, atque ita fusis precibus actus concluditur, ubi nullo Imperatricis juramento opus est, quia non ad administrandum Imperium corona-
22 tur, sed in publicum testimonium consortii supremæ dignitatis Cæsareæ vel Regiæ, idque coronator Archiepiscopus ipse, cum imponeret Mariæ Reginæ coronam, apud *Carpz. a. l.* his verbis expressit: *Accipe coronam gloriæ, ut scias te esse consor-*
23 *tem regni.* Neque aliam significationem vel effectum habet pomi & sceptri Imperialis adhibitio, quæ Imperii insignia coronatæ Imperatrici vel Reginæ itidem tradi solent; *mox*, ut habet ulterior relati actus descriptio, *dedit ei pomum & sceptrum dicens: accipe virgam virtutis & veritatis &c.* Et hoc est quod dicitur, esse Imperatricem vel Reginam Romanam insignium Imperii participem. *Vid. Mulz. in repræs. Majest. Imp.*
24 *p. 1. c. 23* §. 3. Quod sc. intelligendum de tribus insignibus, coronâ, pomô, & sceptrô, quæ in Imperatrice & Reginâ Romanâ coronatâ, supremæ dignitatis symbola sunt, non æquè juris imperandi vel regnandi, unde gladius omittitur, nec fœminis Augustis in actu coronationis, ut Imperatori & Regi traditur,
25 vel præfertur, nihilominus, quin Imperatrix & Regina Romana, præter consortium conjugale etiam ex coronatione publicâ, pro personâ velut sacrâ prorsusque inviolabili habenda sit, dubitandum non est. Verùm cum juris Imperii particeps non existat, quæsitum inter scriptores juris publici,
26 num contra eam crimen læsæ Majestatis committatur? Affirmavit Riemer. *dec. ult. quæst. jurisd.* 1. per plures rationes: (1) quòd in consilium Imperatoris vel Regis mariti soleat admitti. *arg. Nov.* 8. *c.* 1. cùm constet etiam in Consiliarios Cæsareos crimen læsæ Majestatis perpetrari, *ex l. quisquis. 5. princ. C.*

ad

ad L.Jul. Majeſt. (2) quòd ſit pars corporis Cæſarei vel Re- 27
gii, quo argumento crimen læſæ Majeſtatis, in Conſiliariis Imperatoris committitur, *d. l. quisquis.* & hodiè etiam ex *Aur. Bullâ tit.* 24. *princ.* in perſonis Electorum. (3) quòd gaudeat privilegiis ſummi Principis, *l. Princeps.* 31 *ff. d. ll.* item (4) quòd olim poteſtatis Legislatoriæ conſors fuerit, hodieque hinc habeat Cancellarium. Atque huic affirmativæ ſententiæ ſubſcripſerunt. *Dn. Rhet. Inſt. jur. publ. lib.* 1. *tit.* 22. § 6. & *Dn.*
Mulz. d. c. 23. §. 2. Sed contrà negaverunt alii, interque illos 28
Theodor. jud. crim. c. 5. *aphor.* 5. *num.* 9. *cum ibid. alleg. Limn. lib.* 2. *jur. publ. c.* 14. *num.* 29. Rationes ſunt, quòd nullâ lege cautum reperiatur, committi crimen læſæ Majeſtatis in Imperatricem vel Reginam Romanam, & quòd penes eam Majeſtas 29
ſenſu politico, ſuprema ſc. poteſtas, non ſit, nec eidem omnia, quæ Imperatori, competant privilegia, per *text. l. quòd Principi.* 56. *junct. l. ſi Auguſtæ.* 57. *ff. de leg.* 2. nam vigore *d. l. quod principi.* legatum relictum Principi ſive Imperatori, qui deceſſit ante teſtatorem, debetur ſucceſſori Principatus, ex conſtitutione Antonini, quod in perſonâ Auguſtæ contrà ſtatuitur, *d. l. ſi*
Auguſtæ. Verùm ſi rem attentiùs conſideremus, facilè appa- 30
rebit, prægnantiores & ſolidiores eſſe rationes pro affirmativâ, è quibus tamen quartam â Riemero relatam, excipio, quòd ex ſuprà deductis haud verum exiſtimem, legislationem Imperatricibus vel Reginis in Imperio noſtro ex antiquo competiiſſe, ſi unius Agnetis uſurpationem, quæ tamen
diuturna non fuit, ſecludamus; ſed præmiſſis quidem Rie- 31
meri rationibus accedere poteſt argumentum à participatione inſignium Imperii, quorum adhibitio, ut ita loquar, auctoritativa in actu coronationis Imperatricem vel reginam coronatam conſortem publicè demonſtrat, etſi non juris im-
perandi, certe dignitatis Imperialis vel Regiæ ſupremæ & 32
characteris ſanctioris atque inviolabilis; quorſum enim aliàs verba illa coronantis, quibus utitur, dum Imperatrici vel Re-

ginæ coronam imponit: *ut ſcias te eſſe conſortem regni.* ſi in coronatam Auguſtam ſine metu læſæ Majeſtatis machinari
33 homines quid poſſent, ut in quoſcunque alios. Igitur Imperatrix vel Regina non coronata ſaltem conjugii, coronata verò, etiam inaugurationis jure in ſupremo Majeſtatis faſtigio poſita cenſeri debet, adverſus cujus perſonam ſuſceptæ machinationes & improba facta crimen læſæ Majeſtatis in-
34 ferant. Accedit, quòd injuriæ illatæ conjugi pertineant ad maritum, perinde ac ſi ipſi factæ eſſent, ergò idem multò magis obtinebit in Imperatrice vel Reginâ Romanâ, & ſic quàm maximè inſidiæ vitæ, factæque uxori Auguſtæ injuriæ, Imperatori vel Regi Romano videbuntur illatæ, cùm longè ſanctior pars corporis Cæſarei vel Regii Conjux ſit, quàm Conſiliarii, in quos tamen juxta *d. l. quisquis* crimen læſæ Majeſtatis com-
35 mittitur. Cenſuit haud dubiè idem, nempe majeſtatem regis in conjuge lædi Ahasverus quondam Perſarum Rex, dum Hammanno, cujus puniendi irâ flagrabat ab Eſthere Reginâ accenſus objicit *lib. Eſth. c. 7.* nunquid etiam apud me in ædi-
36 bus occidet Reginam? ſubindicans, conatum cædis Reginæ pertinere ad læſam Majeſtatem Regis, ut ejus vitæ, quæ ſancto connubii fœdere juncta ſit Regi, & ſocia faſtigii regalis apud eum agat, ſine violatione Majeſtatis Regiæ, ſtrui nequeant in-
37 ſidiæ; non dico, Ahaſveri Regis ſententiam ex omni parte hic probandam in facto, quia, licet Hammanus conatu excidii gentis Judaicæ, cum quâ etiam Reginæ Eſtheri pereundum fuiſſe videretur, reus eſſet, non tamen conatus idem ad perſonam reginæ, cujus originem & nationem Hammanus ignoraverat, applicari rectè potuit, ſed arbitror tantum haud
38 negari ſuppoſitum poſſe, videlicet conatum occidendæ Reginæ apud Ahaſverum valuiſſe pro læſione Regiæ Majeſtatis & præcipuâ cauſâ ſupplicii Hammani. Sic olim Fridericus
39 Barbaroſſa Imperator contumelias uxori Auguſtæ à Mediolanenſibus illatas pro offenſâ Majeſtatis habuit, & ignominioſâ

pœnâ

pœnâ aut ultimo supplicio vindicavit, ut inter res gestas hujus Imperatoris Apolephtes retulit in Historischen Erquick-stunden. Nec existimandum est, subtractâ per scelus Imperatrice, ad Rempublicam nihil periculi redundare, cùm Im- 40 peratorum Regumque Conjuges, dum vivunt vel moriuntur, aut conservandi status, aut novarum rerum causas afferre possint, occasione affinitatum, quæ vivâ vel mortuâ Augustâ variant, novisque contractis nuptiis diversum plerumque statum accipiunt, unde & cura de uxore Principis 41 quasi publica habetur; multa fuit deliberatio post cædem Messalinæ Imperatricis de novâ conjuge Claudio Imperatori sociandâ, quâ de re ipse ita disserit in Senatu Romano: *Gravissimos Principis labores, queis orbem Terræ capessat, egere adminiculis, ut domesticâ curâ vacuus in commune consulat, quod porrò honestius censoriæ mentis levamen, quàm assumere conjugem, prosperis dubiisque sociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat. Tacit. lib. 12. annal. num. 5.* & mox in contextu: *Quando maritandum Principem omnes suaderent, deligi oportere fœminam, nobilitate, puerperiis, sanctimoniâ insignem. Tacit. ib. num. 6.* Haud diffiteor, Messalinæ necem ad exem- 42 plum criminis læsæ Majestatis non pertinere, quia jussu Claudii propter flagitia occisa fuit, sed tamen, si quis scelere eam interfecisset, in easdem curas assumendæ novæ conjugis Claudium conjecisset; atque adeò cum non par- 43 vi referat, quæ illa sit, cui ex oratione Claudii secreta animi committat Imperator, sive intimas cogitationes; publicè etiam interesse credendum est, hanc tori Imperialis vel Regii consortem ita sanctam haberi, ut ipsa occidi, violarive, ut vitæ ejus insidiæ strui nequeant absque læsione Cæsareæ vel Regiæ Majestatis. Nec obstant rationes pro negativâ 44 suprà in contrarium allatæ; nam respondetur primò: Etsi κατὰ τὸ ῥητὸν non sit in lege cautum, quòd in Augustam

non committatur crimen læsæ Majestatis, satis tamen esse, hoc
ipsum comprehendi sub lege Juliâ Majestatis implicitè;
quia non potest persona Imperatricis vel Reginæ offendi, sine
45 offensâ Imperatoris aut Regis, ut fuit deductum. Respondetur secundò: non esse bonam consequentiam: Hæc vel illa
persona non habet Majestatem in sensu politico, id est, supremam in Republicâ potestatem, ergò contra illam nequit
committi crimen læsæ Majestatis; nam hoc suppositum infringitur exemplô Consiliariorum, adversus quos crimen læsæ
Majestatis perpetratur, ***d. l. quisquis.*** licet Majestatem politi-
46 cam non habeant; nec debet replicari, eos arcanorum Imperii participes esse, quia hoc & in personam Augustæ quadrat, uti jam dictum est; minus facit, quòd Imperatrix vel Regina non eodem modo pars corporis sit Cæsarei vel Regii,
quo Consiliarii, nec iisdem accenseri queat defectu salarii,
& quæ similia; hæc enim partim non necessaria sunt ad sanctimoniam personæ, ut crimen læsæ Majestatis obtineat, velu-
47 ti salarium, juramentum & id genus alia, partim refelluntur
ratione majori, quoniam Augusta sacratiore longè modo
Cæsarei vel Regii corporis pars intelligitur, quàm Consiliarii;
ergò quia propter hanc rationem, quòd Consiliarii participent arcana, consiliisque juvent, Cæsarei corporis pars dicuntur, & idcircò ex legis auctoritate in eos crimen læsæ Majestatis committitur, multò magis in Augustâ, quæ secretiorum
consiliorum particeps censetur, & potiori sanctiorique connubii fœdere, corporis Augusti mariti pars censetur, hoc idem in
48 consequentiam asserendum erit. Respondetur tertiò, regulariter saltem privilegia Imperatoris vel Regis competere
conjugi, ex ***d. l. princeps.*** & casum ***d. l. quod Principi. & d. l.
si Augustæ*** specialem habere causam differentiæ privilegii Principis & Augustæ, quia hæc non habet fœminam in dignitate
succedentem, pariter ut Imperator in Principatu; Augusta
49 enim jure matrimonii assumitur in dignitatem, non à Milite

vel

vel Senatu, ex priscâ formâ vel hodiè ab Electoribus eligitur, & ideò potest intelligi testator, qui Principi quid relinquit in testamento, si is decedat ante testatorem, sensisse de successore Principatus, secus verò ille, qui Augustæ quid relinquit, quem de futurâ Augustâ, sive ab eodem Imperatore sive à successore connubii jure associandâ cogitâsse minus est verosimile; & hinc Antonini constitutio, cujus textus meminit in 50
d.l.quod Principi. haud extendenda visa est ad casum, quo Imperatrici quid in testamento relinqueretur, quæ res tamen minimè tollit regulam, per quam Augusta privilegiorum Principis est ipso volente particeps, ex *d.l.Princeps.* Et hæc de istâ controversiâ. Succedit alia quæstio de foro Imperatricis 51
vel Reginæ Romanæ. Et apud Imperatorem hoc haberi dubitandum non est, primò ex universali jurisdictione, de quâ suprà diximus *tit.* 12. Deinde quòd nec lege nec ratione constet, 52
Augustam ab hac universali jurisdictione eximi. Tertiò quòd exempla hanc rem probent Imperatorum, qui in causis conjugum judicaverunt; ita enim in civili ac testamentariâ causâ Plotinæ Hadrianus, in Faustinæ conjugis controversiâ Antoninus Imperatores constituisse ac decrevisse referuntur, *d.l. quod Augustæ.* In criminali causâ Claudius Messalinam suam 53
ad mortem condemnavit, quam sententiam etiam executio secuta est, referente Tacito *lib.* 7. *Annal. circa fin.* Sic & Otto Tertius in Mariam conjugem animadvertisse fertur. *Cranz. lib.* 4. *Chr. c.* 26. *Sigon. lib.* 7. *Chron. Lehmann. lib.* 5. *Chron. c.* 14. Notaque insuper sunt Henrici Octavi Angliæ Regis in duas conjuges successivè animadvertens exempla; Neque id mi- 54
rum, quando & in alias personas necessitudine junctas Cæsarea vel Regia se extendit jurisdictio. Sic Philippus Macedoniæ Rex inter Persea & Demetrium filios suos, quorum ille hunc de parricidio accusavit, criminali judicio cognitionem suscepit, quâ de re pulchræ extant & patris judicium subituri, & filiorum tùm accusantis tùm accusati orationes apud

Liv.

Liv. lib. 40. *histor.* Alia exempla nostri Imperii suprà notavi.
55 Sic etiam Agrippina mater Neronis, cum rea delata esset, ita disserit apud *Tacit. l.* 13. *histor. desunt sc. mihi accusatores, qui non verba impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina objiciant, quibus nisi à filio mater, absolvi non possim*; unde constat, à matre etiam criminalem jurisdictionem filii in causâ suâ fuisse probatam, & hæc de foro Imperatricis vel
56 Reginæ Romanæ. Nunc de privilegiis dicendum, ea Augustæ plura in jure competunt, & generaliter eadem, quæ Princeps sive Imperator habet. *d. l. Princeps.* quæ dispositio tamen limitatur ibidem à glossâ de omnibus privilegiis, quæ in fœminam cadunt, *Luc. de Pennâ in l. cubicularios.* 3. *num.* 1. *C. de præpos. sacr. cub. Zas. in d. l. Princeps. num.* 9. *Limn. c.* 14. *num.*
57 9. Neque verò hæc Augustæ privilegia præcisè ad jura rerum, ut fecit Theodoricus *loc. præcit.* restringenda arbitror; nam dignitas suprema personæ & sanctimonia Imperatricis, quam retuli, paritas item vestis Augustalis, honor statuæ, de quibus *Limn. d. l. num.* 7. & 8. & id genus similia ad jura rerum mini-
58 mè pertinent. Quòd porrò textus *d. l. Princeps* ait: Principes Augustæ eadem privilegia tribuere, quæ ipsi habent, non est ita intelligendum, quasi specialis concessio in singulis requiratur, sed cum Augustæ sint Augustæ jure connubii, Principes emergentibus casibus volunt permittuntque eas
59 paribus prærogativis, quas ipsi habent, gaudere; unde non oportet Augustam demonstrare privilegium ab Imperatore concessum, cujus vigore Cæsareo jure utatur; sed quia Augusta est, voluntate tacitâ, & consuetudine per longam Impe-
60 ratorum, seriem probatâ, jam habere intelligitur. Ad Augustæ verò privilegia præter enumerata referri debent prærogativæ fisci, juxta *l. fiscus* 6. §. 1. *ff. de jur. fisc.* ubi tamen benè notandum, non bona fisci vel emolumenta fiscalia ad Augustam referri, quia non hoc dicit Ulpianus *in d. l. fiscus.* sed quòd ratio Augustæ gaudeat privilegiis fisci, itaque v. g. bona,
quæ

quæ ut indignis auferuntur, vacantia, commissa, & similia ad 61
fiscum Cæsaris pertinent, non ad Augustam; ast si ipsa cum
aliquo contrahat, in bonis ejus habet tacitam hypothecam,
quam habet Imperator, si contraxisset; *l. certum est 2. C. in
quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contr. & d. l. fiscus.* §. 1. Sic 62
& in concursu Augusta habet privilegium fisci, *d. l. fiscus.* adeoque si dos, concurrat res æstimanda erit ex tempore, ut utra obligatio rationis Augustæ vel dotis prior sit, ea præferatur. *l.
quamvis. 2. C. de privil. fisc. post Bald. Gothofr. ad l. dotis.
9. n. 13. C. de jur. dot.* Id quod declarat B. Dn. Brunnem. de bo- 63
nis post matrimonium quæsitis *in d. l. dotis.* Huc & pertinet privilegium prælationis in bonis pòst acquisitis adversus priores creditores, ex *l. si qui mihi. 28. ff. de jur. fisc.* quod intelligendum de omnibus bonis post fisci contractum; in anterio- 64
ribus enim prior creditor præfertur, sive jam tempore hypothecæ, sive posteà ante contractum cum fisco celebratum essent quæsita, isque sensus est *l. fin. princ. ff. qui pot. in pign.* eaque cum *d. l. si qui mihi.* vera conciliatio, ceu rectè declaravit *Cujac. lib. 10. obs. 22.* Sic & in articulo præscriptionis Ze- 65
nonianæ Augusta gaudet prærogativâ juris fiscalis, ut nimirum, si rem alienam fortè vendiderit vel donaverit, emptor vel donatarius statim sit securus, & intra quadriennium tantum contra rationem Augustæ sive officium administrantium res Augustæ regressum habeat, *per l. fin. vers. eodemque
modo. C. de quadr. præscr.* Porrò non dubitandum, quin Impe- 66
ratrix etiam gaudeat factione testamenti liberâ à solennitatibus juris positivi, adeoque testamentum condere possit mero jure gentium; id enim vulgò Dd. in Imperatore admittunt per *d. l. Princeps. Paul. de Castro in l. si quis. 6. num. 1. C.
qui testam. fac. poss. Jason in l. ex imperfecto. 3. num. 2. C. de
testam. Mant. de conj. ult. vol. lib. 6. tit. 1. n. 8. & 9. Menoch.
cons. 351. num. 8. & 9.* Atqui nulla ratio est in Imperatrice diver- 67
sa, quia facultas secundum jus gentium testandi sublimitatem

personæ à legibus positivis exemptæ concernit non Imperii potestatem, cui nihil detrahitur, si Imperatrix omissis juris civilis solennitatibus ex jure gentium testamentum condat;
68 ut sic procedat regula *d. l. Princeps* pro testamento Imperatricis secundum jus gentium confecto, *add. Dn. Rhet. Inst. jur. publ. lib. 1. tit. 22. §. 9.* aliud de privilegiariâ concessione testamenti dicendum, quippe quæ ad Principem refertur & pars legislatoriæ potestatis est, sive inhabili fiat ad condendum
69 testamentum cum solennitatibus juris, *l. si mutus. 7. ff. qui test. fac. l. si quando. 35. C. de inoff. test.* sive habili, ad testandum citra solennitates, ut exemplis militum & patrum inter liberos testantium notum est, quæ res fœmineo juri ex suprà deductis
70 non quadrat; & per eandem rationem vereor subscribere sententiæ Taboris celebratissimi JCti *de testamento Principi oblato. c. 6. n. 11.* quam ex eo referunt *Dn. Rhet. lib. 1. Inst. jur. publ. tit. 22. §. 10. & Dn. Mulz. d. c. 23. §. 5. num. 30.* quòd sc. testamentum Imperatrici oblatum æquè valeat, ac si
71 apud acta esset factum; nam textus. *l. omnium 19. C. de testam.* ubi est dispositio de testamento Principi oblato, vix admittit eam opinionem, si ponderemus verba: *ita nec de ejus unquam successione tractabitur, qui nobis mediis & toto jure, quod*
72 *in nostris est scriniis constitutum, teste succedit*; quibus verbis duostruuntur fundamenta, cur Principi oblatum testamentum non minus valere debeat, quàm actis insinuatum; nempe
73 Principis auctoritas & præsentia, deinde testimonium totius juris in scriniis Principis contenti, quod ipsum intellexere vulgò de scrinio cordis, quasi Imperatores Honorius ac Theodosius dicerent, se totum jus pectore complexos, perinde ut Bonifacius octavus de Pontifice Romano, in *c. 1. de const. in 6.* errore forsan imitandi jus civile lapsus loquitur; atque ita etiam in explicatione hujus Legis sentiunt *Bartol. Paul. de Castro, Jason, Salycet. & dd. comm.* cujus quidem asserti Dauthius ibidem tres affert rationes, quare sc. Princeps totum jus in scrinio

scrinio pectoris conditum habeat, quæ apud ipsum legi possunt; sed hanc interpretationem erroneam esse & alienam 74
à textu *d. l. omnium*, pulchrè ostendit Hugo Donellus, *ibid. n.* 5. & scrinia rectè intelligit arculas vel capsulas, in quibus jura asservabantur sive epistolæ ac constitutiones, libelli etiam & similia acta, per text *l. si quis in sacris. XI. C. de prox. sacr. scrin.* cui quidem explicationi *d. l. omnium.* etiam accedit *Perez.* 75
in d. tit. de prox. Sacr. Scrin. n. 1. estque procul dubio de jure verior, & juxta eam hic sensus: uti testamentum actis insinuatum valet duplici fundamento, sc. auctoritate Judicis vel Ma- 76
gistratus, cui insinuatur, & fide actorum publicorum, apud quæ insinuatur & asservatur, ita cum pro testamento per preces Principi oblato militet tùm Principis major auctoritas, tùm scriniorum, in quæ ejusmodi dispositio reponitur, publica fides sc., cui totum jus in scriniis conditum testimonium præbeat, ex *d. l. omnium.* etiam hoc Principi oblatum testamentum valere, atque hoc jam est, *teste toto jure in scriniis* 77
condito succedere, sc. per dispositionem, cujus veritati ex fide loci continentis jus totum attestetur; jam verò scrinii Cæsa- 78
rei, in quo jura condita sive autographa constitutionem ac libellorum asservantur, penes Imperatricem non esse, apparet manifestè, ut sic dispositio *d. l. omnium* ad eam non videatur extendi posse; quamvis enim & Imperatrici aliquod archi- 79
vum tribuat *Dn. Mulz. d. c.* 23. §. 6. ipse tamen fatetur, tale non esse, quale describitur in *d. l. omnium.* videlicet in quo totum jus sit. Et esto, assumamus erroneam assertionem de scrinio pectoris, ne sic quidem id congruè applicare possumus Imperatrici, in cujus pectore non utique totum jus sive suprema juris potestas, ut in pectore Imperatoris, comprehendi rectè diceretur; igitur utrovis modo oblationem testamenti juxta *d. l. omnium* explicemus, non invenio, quâ ratione solidâ opinioni præmissæ adstipuler. Præter verò jura & privi- 80
legia hactenus exposita, habet Augusta etiam primariarum

precum jus in asceteriis vel monasteriis fœminarum circa beneficia vacantia. *Besold. in Thes. pract. voc. primariæ preces. Dn. Mulz. d. c.* 23. §. *XI. & p.* 2. *c.* 33. *num.* 247. ubi ex Besoldo exemplum subjicit precum Eleonoræ Imperatricis Friderici Tertii conjugis ad cœnobium Buchaviense Constantiensis
81 diœceseos: Verum hoc jus magis speciali consuetudine metiendum videtur; nec enim par ratio est in Imperatrice, quæ in Imperatore respectu originis precum, quam suprà ex ju-
82 re sacrorum veteri deduximus. Referendum hoc amplius est privilegium donationis, sine insinuatione actorum, quod Imperatrix habet, sive ipsa donet alii, per *d. l. fin. C. de quadr. præscript. & l. sancimus.* 34. *pr. C. de don.* sive ipsi donetur. arg. *Nov.* 52. *c.* 2. & nominatim si ab Imperatore marito donetur
83 conjugi Augustæ, *l. pen. C. de don. int. vir. & ux.* Quin etiam eo privilegio gaudet Imperatrix, ut ejus donatio filiofamilias collata plenè intelligatur & patris usumfructum excludat, adeoque res ea donata referenda sit ad peculium adventitium irre-
84 gulare sive plenum. Textus *est in l. pen. C. de bon. quæ lib.* ubi ratio subjungitur, quòd liberalitas Imperialis pleniùs sit interpretanda *l. beneficium.* 3 *ff. de const. princ.* Addunt Doctores
85 & rectè ulterius Imperatricis privilegium, sc. immunitatis à vectigalibus, per *l. locatio.* 9. §. *fin. ff. de publ. & vectig.* Sed hoc ex jure fisci est, per consequentiam tamen ad Imperatricem meritò refertur, ex *d. l. fiscus.* §. 1. uti & alia, de quibus suprà in exemplis dictum est, quibus accensere etiam possumus be-
86 neficium venditionis rerum communium, juxta *l. un. C. de vend. rer. fisc. cum priv. commun.* item beneficium retractationis sententiæ intra triennium, de quâ in *l. un. C. de sent. adv. fisc. lat. retract.* quæ & id genus alia fisci privilegia Imperatrici rectè tribuuntur, ex *d. l. fiscus.* §. 1. An verò omnia similiter uxoribus Principum Procerumque Imperii competant, de eo opportuniùs alio loco; hæc interim pro titulo nostro sufficiant.

TITU-

TITULUS XV.
DE VICARIIS IMPERII
SUMMARIA.

Num. 1. *usque* 7. *Vicariorum constitutio ac differentia à vicariis juris communis civilis vel canonici.* 8. *Vicarii nostri Imperii, quatenus conveniant priscis.* 9. *&* 10. *Vicariorum, quos diversi Imperatores constituerunt exempla.* 11. *Vicariatus Palatini privilegium Ruperto Electori Palatino concessum ante Auream Bullam postea confirmatum est.* 12. *Vicariatus Palatini gesta Carolus Quartus ex Italiâ in Germaniam reversus confirmavit.* 13. *Vicariatus Germaniæ etiam referuntur ad casum absentiæ Imperatoris.* 14. *Vicariatus jura absente Imperatore Bulla Caroli Quarti non sustulit.* 15. *Absentia Imperatoris descripta montibus principaliter designat Alpes, sed* 16. *non sensu exclusivo.* 17. *Imperii provisio favorabilis est.* 18. *Vicariorum Imperatoris & Imperii distinctio vix hodiè obtinet.* 19. *usque* 29. *Vicariatus Imperii à Pontifice prætensus in interregno refellitur.* 30. *usque* 49. *Vicariatus Pontificii in interregno Imperii asserti argumenta, præsertim Joh. vigesimi secundi in* extrav. ne sed. vac. *diluuntur.* 43. *Vicariatum Pontificium excludentia fundamenta summatim repetuntur.* 44. *Vicarii definitio proponitur.* 45. *Imperium non vacat, si mortuo Imperatore supersit Rex Romanus.* 46. *&* 47. *Ejus rei declaratio.* 48. *&* 49. *Vicariatus non tantùm in casu interregni & absentiæ Imperatoris vel Regis Romani, sed teneræ etiam ætatis locum habet.* 50. *Vicariæ potestati commissa negotia summariè referuntur.* 51. *Vicariatus per Germaniam Ducis Palatini & Saxonici.* 52. *&* 53. *Vicariatus per Italiam celebres, Mediolanensis, Mantuanus & Sabaudicus.* 54. 55. *&* 56. *Vicariatus Sabaudicus hodiè capitulatione Cæsareâ stabilitur.* 57. *usque* 60. *Ejus rei*

 con-

conditionalis declaratio ex capitulatione Josephi Regis. 61. & 62. *Vicariatus Italiæ haud subesse Germanicis ostenditur.* 63. *Vicariatus Italiæ & Germaniæ quatenus differant.* 64. *Vicariatuum quatuor tantum ex interregnis exempla per duo proxima secula.* 65. *Vicariatus hodiè ex legibus Imperii tres, Palatinus, Saxonicus & Sabaudicus.* 66. *usque* 71. *Vicariatus Palatinus inter Bavarum & Palatinum Electores hodiè est controversus, & in quo controversia subsistat?* 72. 73. & 74. *Vicariatus Palatini controversiam amicabiliter componere, ex re Imperii esset.* 75. *usque* 87. *Vicariatus Palatini & Saxonici fines distinguuntur usu juris Franconici & Saxonici, & quid hoc nomine intelligendum?* 88. 89. & 90. *Vicariatuum terminis jura Franconica & Saxonica adduntur per modum demonstrationis, non causæ.* 91. *Vicariatui Palatino & Saxonico quinam subsint circuli?* 92. & 93. *Vicariatus terminos non mutat alterutrius hujus juris abrogatio.* 94. *usq;* 104. *Vicariatus Saxonicus non quidem ex verbis Bullæ Carolinæ, sed ex sententiâ & aliis argumentis referri debet ad casum absentiæ Imperatoris.* 105. *usque* 110. *Vicariis commissa jurisdictio per judicia Vicariatus consuevit exerceri in omnibus causis.* 111. *usque* 117. *Vicariatus iudicia nec hodiè, dum Camera in interregno jus reddit, sublata sunt.* 118. & 119. *Vicariis cum Camerâ est concurrens jurisdictio, sed Vicariatibus restricta.* 120. *Vicaria iurisdictio ordinaria est, & similiter judicium hoc intuitu constitutum.* 121. & 122. *Appellatio à Vicariatus judicio non datur ad Vicariatum.* 123. *Vicarii personalis cura in administratione justitiæ.* 124. *Vicariatus judicium non videtur excludere revisionem.* 125. *Vicariæ potestatis exercitium in judicio Cameræ.* 126. *usque* 130. *Cameralium processuum expeditio fieri potest nomine Imperatoris absentis, non mortui.* 131. *Imperatoris ab hoste capti auctoritate non peraguntur negotia Imperii.* 132. & 133. *Imperatoris vel Regis immaturæ ætatis nomine, sed auctoritate Vicariorum,*

rum, expedienda publica negotia. 134. *usque* 140. *Vicariorum communi nomine communique Vicariatus sigillo in Camerâ expediuntur processus tempore interregni; secùs* 141. *&* 142. *In judicio Rotvvilensi aliisve particularibus.* 143. *&* 144. *Vicariorum jurisdictioni subsunt omnes causæ ad forum Imperatoris pertinentes præter reservatas lege exceptas.* 145. *&* 146. *Vicariâ jurisdictione comprehendi causas regalium feudorum Cubachius & Limnæus censent, sed* 147. *usque* 165. *Melioribus rationibus contrarium confirmatur.* 166. *usque* 183. *Vicariis competit potestas præsentandi ad beneficia Ecclesiastica & exercitium juris primariarum precum.* 184. 185. *&* 186. *Vicariæ potestati precum primariarum contrariis argumentis respondetur.* 187. *usque* 194. *Vicariæ potestati an & quatenus hodienum competat exercitium primariarum precum?* 195. *usque* 199. *Vicariis tribuitur facultas recolligendi proventus vel reditus Imperii, & in quibus ea consistat?* 200. *&* 203. *Vicariis investitura de feudis Imperii committitur, exceptis feudis Principum, & per vexilla conferendorum.* 201. *&* 202. *Vicarii an feuda Imperio aperta de novo conferre possint, & de quibus feudis hic sit quæstio?* 204. *usque* 215. *Ecclesiastici principatus, vulgo* Scepter-Lehen, *in interregno non subsunt collationi vicariorum.* 216. *&* 217. *Principatus novi vel his parificati Comitatus, vulgo* Gefürstete Grafschafften, *sunt extra collationem Vicariorum Imperii.* 218. *usque* 224. *Comitatus Imperii; item* 225. 226. *&* 227. *Baronatus in feudum conferri non possunt à Vicariis.* 228. *Principatus & Comitatus quà tales excipiuntur à vicariâ collatione.* 229. *Recognitionis tempus durante interregno non currit in feudis à vicariâ investiturâ exceptis.* 230. *usque* 237. *Vicariis competit receptio juramentorum nomine Imperii, & quibus casibus.* 238. 239. *&* 240. *Vicariorum gesta confirmantur ab Imperatore vel Rege Romano, sed* 241. *per se tamen valent.* 242. *usque* 261. *Vicariorum Imperii potestas, an sit universalis,*

salis, nec ne, controversa inter Limnæum & Sinoldum quæstio, distinctè resolvitur. 262. *usque* 269. *Vicariis interdicta omnis rerum Imperii alienatio.* 270. 271. & 272. *Ordines Imperii in interregno, num possint res Imperii alienare?* 273. & 274. *Vicarii prohiebntur usumfructum dare, pignus constituere, vel servitutem in rebus Imperii.* 275. & 276. *Vicariis prohibita concessio nova in feudum.*

ADministrationi Imperii, de quâ suprà quandoque inci-
dunt impedimenta bellorum absentiæ & similia, quo-
rum intuitu jam olim in Imperio constituti sunt, qui Impera-
1 toris vices per diversas provincias agerent; hinc dicti Vicarii,
quo quidem charactere internoscuntur Vicarii, de quibus no-
bis hîc sermo est à Vicariis juris vel civilis vel canonici; illi
enim non propriè Cæsaris, sed Magistratuum majorum, ut
præfectorium prætorio, Vicarii fuerunt, ceu apparet ex *l.* 1. §. 4.
ff. de leg. 3. & *l.* 1. *C. de prox. sacr. scrin.* Neque, obstat quod
legimus in *l. fin.* §. 2. *C. de mod. mult.* esse qui VICE NOSTRA,
2 id est Cæsareâ, administrationis gubernacula susceperint;
præterquam enim, quod monente Cujacio *in parat. Cod. de
off. vic.* legendum videatur vice vestrâ, quam lectionem, &
Gotthofr. in d. l. fin. §. 2. *num.* 50. probat additis expostititiis
Græcis verbis: *καὶ οἱ ἐν τάξει τῶν ὑπάρχων ὄντες*, retenta etiam le-
ctione textus & voculâ NOSTRA responderi potest, vica-
rios secundum jus commune habere quidem etiam jurisdi-
ctionem à Cæsare commissam, ut probat Cujacius *d. t. de off.*
3 *vic.* Verum ea erat exercenda in partibus vel certis provin-
ciis præfecturæ Prætorianæ, *l. fin. C. de diverf. off. & app.* ita
quidem, ut Vicarius in illis præfecto prætorio adjunctus cense-
4 retur, sive datus ab Imperatore administrationis adjutor, eo-
que sensu intelligenda *l.* 1. *C. de off. vic.* ubi vicaria dignitas
ipso nomine dicitur trahere præfecturæ portionem, nihilo-
minus

minus verò Vicarius iste minimè fuit in illis partibus vel pro- 4
vinciis præfectus prætorio, vel ei jure & privilegiis officii exæ-
quatus, quoniam à præfecto prætorio appellari nequit. *l. un.*
ff. de off. præf. præt. l. un. C. de sent. præf. præt. l. à proconsu-
libus. 19. *C. de appell.* Sed à Vicariis utique appellatur per *d. l.*
à proconsulibus, quod & rectè ostendit Cujacius *lib.* 16. *obs.* 2. 5
unde perspicere licet, Vicarios præfectorum secundum jus civi-
le distingui à Vicariis Imperii Romano-Germanici, quippe
qui in terris Vicariatus, non habeant alium præfectum Cæsa-
reum, ut Vicarii prædicti. Secundum jus Canonicum etiam 6
Prælati majores, velut Archiepiscopi, Vicarios habent, de qui-
bus extat *tit. in decretal. de off. Vic.* sed hi iterum non sunt
comparandi Vicariis nostris, qui non vice Archiepiscoporum
vel Episcoporum in Ecclesiasticis, sed vice Cæsareâ funguntur
in Imperio, ac, licet ipse Pontifex Vicarium Romæ constitue-
re soleat, ejus tamen jurisdictio restricta est ad urbem, *c. pen.* 7
X. de off. Vic. & tantùm delegata, ut deducit *Gonzalez in d. c.*
pen. n. 6. Secus ac Vicariorum nostri Imperii potestas Vica-
ria, quæ non ad certam urbem restringitur, & ex lege hodiè
competit, ut pòst dicetur, adeoque ordinaria est; quare, ut
dixi, Vicarii in Imperio Romano Germanico tàm à juris civi-
lis, quàm Canonici Vicariis differunt, quanquam in eo simi- 8
les sint priscis, quòd certis terris ac provinciis præstituantur,
ut quondam præfectorum prætorio Vicarii, sed his illi longè
eminentiores sunt, quòd reverà Cæsaris & Imperii in parti-
bus definitis sint Vicarii, non cujuscunque alterius Præfecti
Cæsarei, & olim diversis districtibus per Imperium Vicarios
esse concessos, qui vice Cæsareâ ibi res Imperii administra-
rent, ac jus dicerent Cæsare vivo, constat ex historiis, quo
quidem sensu, non tantùm in Lombardiâ fuerunt Cæsarei Vi-
carii, velut Mediolani vice-Comites, sed Romæ etiam, ut
inter alios Henricus Septimus, qui Romæ Præsides vice suâ 9
functurus reliquit Hugonem Comitem Bucheccium & Ste-

phanum Columnam, *Lehmann. lib. 7. Chron. c. XI. p. m.* 738. Sic Ludovicus Quartus Imperator cum Italiâ discederet, diversos diversorum locorum provinciarumque reliquit Vicarios. *Vid. Avent. lib. 8. Chron. tit.* wie Käyser Ludwig wi-
10 der in Teutschland zog. *p. m.* 495. & suprà annotatum est, exauctorationis Wenceslai eam inter cæteras causam in sententiâ allegatam fuisse, quòd Galeatium Imperii Vicarium Mediolanensem creaverit Ducem, Imperioque jura sua hinc deminuerit. Sic porrò Sigismundus Imperator Brunorium de la Scalâ Veronæ & Vincentiæ cum territoriis adjectis constituit Vicarium, quod diploma exhibet Goldast. *tom.* 1.
11 *const. Imp. p. m.* 395. *usque* 398. Nec solùm in Italiâ, sed in Germaniâ quoque, si Imperatores fortè abessent, transgressi Alpes, Imperium per Vicarios administratum legimus, idque patet privilegio Caroli Quarti Imperatoris, de Vicariatu Ruperto Electori Palatino concesso ante Auream Bullam, quod privilegium posteà à Maximiliano I. & Carolo V. Imperatoribus verbotenus est confirmatum, in quo hæc habentur verba: Wann die Pfaltz-Grafen bey Rhein, die Chur-fürsten seyn, von Röm. Käysern und Königen solche Würdigkeit und Freyheit vor alten und langen Zeiten gehabt haben, und noch haben sollen: Wann Röm. Käyser oder König über Berg gezogen seyn oder ziehen, daß sie dann gemeine Vicarien des Reichs hie dißseits gewest seyn und seyn sollen, darumb haben wir von Käyserl. Macht ꝛc. die obbenante Würdigkeit und Freyheit ꝛc. bestättiget und
12 erneuert ꝛc. Goldast. in Reichs-S. *p. m.* 241. Neque ea res in terminis meræ concessionis substitit, sed Carolus IV. Imperii civitates, uti Rupertum Palatinum Vicarium suum in Germaniâ consilio & auxilio in omnibus negotiis juvarent, per literas admonuit, posteaque, cum in Italiam profectus abfuisset, & in Germaniam reversus esset, gesta Vicariatus Ruperti, diplomate confirmavit, quæ literæ exhibentur in *Vicar.*

Imp

Imp. Pal. defens. sub adjunct. I. & K. Ex quibus colligere licet etiam Germaniæ Vicariatus referri ad casum absentiæ Imperatoris, licèt Aurea Bulla in tantùm disponat de Vicariatu post mortem Imperatoris & interregno; huic rei argumento insuper est duplex Caroli Quinti Imperatoris constitutio, quâ Electores Ludovicum Quartum Palatinum & Fridericum Tertium Saxonem securos reddit, ne præsidis ac regiminis Imperii ordinatio Vicariatibus Palatino & Saxonico in præjudicium vergat, utraque dispositio Carolina extat apud *Goldast. d. l.* in Reichs-Satzungen, *p. m.* 243. quæ uti & prælle- 13
gata confirmatio privilegii Palatini indubium præbet testimonium, Bullam Caroli Quarti *tit.* 5. §. 1. & §. 2. ubi de Vicariatu pro tempore interregni statuit, haud quaquam sustulisse 14
Vicariatum Imperatore vivo & extra Germaniam absente exercendum; quorsum enim aliàs tamdiu post Caroli Quarti tempora confirmatio illa facta esset, aut cur Carolus Quintus Imperator post 165 annos ab editione Bullæ Caroli Quarti geminâ illâ constitutione, Vicariatus jus, se absuturo integrum salvumque declaravisset, si hoc ad solum casum interregni tunc pertinere judicâsset. Igitur hodienum (nam nihil ab eo tempore mutatum constat, ut videatur locus esse regulæ juris communis ex *l. præcipimus.* 32. § *fin. C. de appell.*) exercendi Vicariatus sunt tàm absentiæ Imperatoris, quàm interregni tempore; absentia descripta est montibus per verba 15
concessionis præmissa: Wann Röm. Käyser oder König über Berg gezogen seyn oder ziehen. ubi probabiliter intelliguntur Alpes, sc. montes Germaniam ab Italiâ discernentes, quia in Italiam frequentiores erant Cæsarum Regumque Romanorum expeditiones ac secessus, tùm propter coronationem, tùm propter statum Italiæ firmandum; minimè tamen 16
ideò sensu exclusivo id accipiendum crediderim, ut adeò si Imp. Regemvè Romanum in aliis orbis terrarum partibus extra

17 Germaniam esse contigerit, sicut olim Conradus Tertius & Fridericus Primus Imperatores bellis Asiaticis abfuerunt, adhuc Vicariatui locus relinquendus sit; est enim provisio Imperii res favorabilis, quæ non debet restringi, sed potiùs ad pares casus extendi, ne res publica interim quid detrimenti capiat; quare nec alii casus excludendi videntur, qui absentiæ
18 possunt æquiparari. Quod verò Vicariatum attinet pro tempore interregni, exercetur is, usque dum novus Rex vel Cæsar Reipublicæ præsit, quia tunc Imperium vacare & interregnum esse desinit, uti superiori casu Vicariatus durat ad tempus, quo Cæsar vel Rex reversus fuerit & impedimentum cesset. Secundùm quæ hodiè vix est distinctioni locus Vicariorum Imperatoris & Imperii, quia & in interregno ex lege & vivo Imperatore per extensionem soli legitimi Vicarii obtinent; ubi celebris occurrit quæstio de jure Pontificis in interregno, an ei competat administrandi potestas? Asse-
19 runt hanc duo inprimis juris Canonici loca, nempe textus *Clem. pastoralis. vers. nos tam*, in verbis: *quàm ex potestate, quâ vacante Imperio Imperatori succedimus, de sent. & re*
20 *jud.* & textus *Extrav. Joh. tit. ne sed. vac.* Sed sunt hæc testimonia Pontificum domestica, quæ pro asserendis sedi pontificiæ juribus Imperii, nihil prorsus habent momenti, & evidenter apparebit, jus nullum Pontifici esse circa administrationem Imperii in Interregno, si rem ipsam paulò exactius consideremus; quæro enim, qualis illa sit successio, quam vacante Imperio Clemens Quintus Pontifex *in d. Clem. pastoralis.* sibi
21 adscribit, Regia, an Vicaria? Si regia, primùm notari meretur contradictio in asserto Clementis, quòd vacante Imperio succedat Imperatori; ubi enim Imperium habet legitimum successorem, jure Regio Rempublicam administrantem, ibi non vacat, sicut vacare non dicitur, si moriente Imperatore sit jam Rex Romanus electus Imperiique succes-
22 sor. Deinde si Pontifex mortuo Imperatore habet faculta-

tem

tem administrandi Imperii jure Regio, aut eandem obtinet jure sanguinis, aut jure electionis, quia nimirum duobus his tantùm modis Rege mortuo perveniunt Regna jure gentium ad successores, vel ex stemmate & sanguine, ut Regna successiva, vel ex electione, ut electiva; ast Pontifex neutro jure 23
succedit, nec sanguinis, quo, mortuo Imperatori haud solet esse junctus, nec electionis, quippe ab electoribus ad hoc non designatus. Ergò Imperatori in Imperio prorsus non succedit jure Regio, & prætensa ista successio est merè commentitia. Probatur idem & declaratur ulteriùs, quòd Pontifex nec 24
prætextu superioritatis post mortem Imperatoris gaudeat jure Regio administrandi Imperii, tùm quia hæc superioritas gratis & sine solido fundamento asseritur, tùm quia, si vel maximè Pontifex dignitate superior & vel Dominus feudi esset respectu Imperii, quod tamen est falsissimum supràque satis explosum, hinc minimè sequeretur asserta administrandi Imperii facultas; nec enim mortuo vasallo administratio feudi ad Dominum jure feudali pertinet; & si dicatur, peculiare 25
esse in Regno electivo, cum interim successorem non habeat, dum novus Rex eligatur, replicari meritò potest, hoc non esse tollere, sed augere difficultatem, cùm constet, feuda, maximè majora, hodiè esse successoria; ostendendum igitur Pontifici, quâ ratione Imperium Romano-Germanicum sit verum feudum, & tamen contra naturam feudorum morte Imperatoris ita expiret, ut ad assertum dominum Pontificem sc. jus ejus omne revertatur, denuoque eligentibus Principibus Electoribus novum Regem vel Imperatorem, in hunc à Pon- 26
tifice etiam invito retrocedat; tenetur nempe Pontifex Electoribus Principibus recognoscere jus eligendi, ut fatetur Innocentius Tertius in *c. venerabilem. 34. X. de Elect.* adeoque etiam invitus impedire non potest, quin eligant, & consequenter, quin ad electum suprema potestas Regia vel Imperatoria electione transeat, quæ rursus minimè respondent 27

feudi aperti juribus, quod si semel in manus domini ex morte vasalli devolvitur, invito domino pòst ad alium transferri nequit. Igitur nec illa superioritas, nec feudi prætextus subsistere vel probari possunt, & si possent, haud tamen Pontifi-
28 ci darent administrationem Imperii mortuo Imperatore, non magis, quàm Regni Bohemici administratio antehac, cum adhuc electitium esset, propter qualitatem feudalem mortuo Rege obvenerit Imperatori, cùm potiùs Ordines Regni interim publicam curam susceperint, dum novus Rex ritè foret electus, quod cur non & in Imperio Romano-Germanico obtinere dicendum sit, nihil obstat, sed potius quòd reve-
29 rà obtineat, publicæ leges probant; ex quibus clarè perspicitur, mortuô Imperatore Regiam administrandi Imperii facultatem, quomodocunque explicetur, Pontifici nullam competere; Sed neque vicaria rectè eidem tribueretur, quia deest legis auctoritas, & Pontifex ipse non propriè ut Vicarius Imperii, sed ut Dominus superior, qui Vicarios constituendi jus habeat, administratoriam Imperii potestatem mortuo Imperatore sibi arrogat, quam nullo jure tamen eidem asseri, jam
30 est demonstratum. Johannes vigesimus secundus papa in *dict. extrav. ne sed. vac.* tres prætexit causas administrationis Imperii morte Imperatoris ad Pontificem delatæ, primò necessitatem, cùm non pateat tunc recursus ad secularem judi-
31 cem supremum; secundo cœlestem collationem, cùm in personâ B. Petri non tantùm cœlestis, sed terreni quoque Imperii jura Pontifici summo fuerint commissa; tertio usum etiam in subsidium vocat, & quòd olim, ut loquitur inconcussè, sic fuerit observatum, nimirum ut mortuo Imperatore jurisdictio, regimen ac dispositio Imperii ad Pontificem fuerint devoluta.
32 Sed nec singulæ hæ causæ nec omnes junctim, falsum hoc assertum succedaneæ Pontificum administrationis Imperii, satis adstruunt; prima enim Pontificis ratio statim falsitatis convincitur, quia patet mortuo Imperatore recursus ad Vi-

carios

carios Imperii legitimos in interregno publicam administrationem, tùm in aliis, tum in his, quæ justitiam concernunt, optimo jure habentes, ut taceamus, si ex Pontificis supposito 33
non esset secularis judex, ad quem post obitum Imperatoris liceret recurrere, haud tamen magis Pontificis Romani quàm Patriarchæ Constantinopolitani aut insignioris cujusdam in orbe Christiano sacrorum antistitis administrationem Impe- 34
rii, hinc probatum iri; quod enim in secundâ ratione de collatione terreni regni beato Petro factâ adjicit, ex textu sacro minimè apparet, nec ex commissione clavium vel absolutoriarum vel ligatoriarum, cœlestis Regni finem concernentium, secularis alicujus Imperii administratio consectanea est, ceù non tantùm nostra ætas perspicuè agnoscit, sed diu 35
ante reformatam religionem & ante plura secula, Imperator Ludovicus Quartus & Synchroni Principes ac Ordines Imperii, licet Romano-Catholicæ religioni addicti, unanimi consensu approbaverunt & lege comitiali, uti suprà relatum, declaraverunt. Ratio tertia itidem minùs stringit, quia 36
usus à Pontifice allegatus haud quaquam fuit ita antiquus aut observantia, ut refertur, *inconcussa* sive non interrupta; quo enim tempore hoc jus administrationis Imperii magis exer- 37
ceri debuit, quàm post fata Henrici Tertii Imperatoris, cùm designatus successor Imperii filius Henricus Quartus adhuc puer esset, & mater Augusta per aliquot annos administrationem suscepisset, ut superiori titulo retuli; ast Victor Pontifex tunc non suo auspicio, vel per Vicarios à se constitutos curam Regni Italiæ gessit, sed ex mandato Imperatricis, ceu 38
suprà ex Aventino dictum est, evidenti satis argumento, eâ ætate succedaneam Pontificis administrationem Imperii, nondum fuisse assertam, & licet sequiori ævo 39
aliqua forsan inveniantur exempla Vicariorum à Pontifice mortuo Imperatore constitutorum in partibus Italiæ,

tamen

tamen illa nec antiquitate omnino respondent assertioni Johannis Vigesimi Secundi Pontificis, nec usu continuo & juris Imperii exclusivo; ipse successor Johannis Benedictus Duo-
40 decimus Pontifex diversos legitur in diversis Italiæ partibus constituisse Vicarios, ut Mediolani Luchinum & Johannem, Veronæ & Vincentiæ Martinum Scaligerum, Mantuæ & Aretii Wilhelmum Gonzagam, alios alibi; sed Imperator Ludovicus Quartus (quem Bavarum vocant) eodem tempore plures vel in ipsis Ecclesiæ ditionibus dedisse fertur Vicarios, Johannem de Vico Viterbi in Hetruriâ, Galeottum Malatestam & fratres Arimini in Romagnâ, Antonium Feretanum Pisauri & Fani in Piceno, Urbini Rudolphum &c. Vide hæc ex Antonio Marcello *de jure seculari Rom. Pontif. c.* 17. *pag.* 138. referentem Limnæum *tom.* 5. *Jur. publ. in ad-*
41 *dit. ad lib.* 3. *c.* 12. *num.* 4. Planè usurpationi huic insuper obstat bona fides, cum Pontifices scirent, vel scire deberent, nullo jure ea, quæ Imperii sunt, ab ipsis rectè usurpari, ut præter varietatem, quæ observantiam continuam ac firmam excludit, *l. semper in stipulationibus.* 34. *ff. de reg. jur.* præscriptioni quanticunque temporis ipso jure Canonico obstet mala fides. *c.*
42 *fin. X. de præscr. c. possessor.* 2. *de reg. jur. in* 6. Hinc & tempore Ludovici Imperatoris modò relati contrariam traditionem rejectam, atque in Comitiis decreto firmatum fuisse: quòd vacantis Imperii administrationem Pontifex habeat, nullam scripturam, nullam rationem, sed SOLAM USURPATIONEM introduxisse commemorat *Cranzius Metropol. Saxon. l.* 9. *c.* 19. & ex eo Limnæus. *ad capit. Carol. Quint. art.* 3.
43 *verb.* Pfaltz und Sachsen. *num.* 62. Paucis, Pontifex nec jure & concessionibus, quæ deficiunt, nec consuetudine ac præscriptione, cum uniformitas actorum & mala fides obstent, in prætensâ administrationis Imperii potestate, nititur, & idcircò tempore interregni soli Vicarii legitimi jus administrandi habere intelliguntur, de quibus priusquam distinctiùs

dica-

dicamus, consideranda & præmittenda venit Vicarii defi-
nitio, is describi potest *Imperii provisor legitimus tempore* 44
interregni aut absentiæ Imperatoris vel Regis Romani simi-
lisve impedimenti, Remp. administrans; & Vicariatus nihil
aliud est, quàm *jus providendi Imperio in interregno vel per*
tempus absentiæ aut impedimenti Cæsaris vel Regis Roma-
ni. Ubi cumprimis notandum est, Imperium nunquam vacare, 45
si mortuo Imperatore supersit Rex Romanus, quia in hunc vi-
gore electionis ex suprà traditis administratio Reipublicæ im-
mediatè recidit; ergò tunc nullum interregnum nec ex hoc ca-
pite Vicariatus exercitium est, hoc ita, dummodo Rex Roma-
nus Imperii successor administrationis Reip. jam tunc capax exi- 46
stat; alioquin enim nihilosecius Vicario administratio suc-
cedit, cujus rei recentissimum exemplum habemus ac testi-
monium ex *capitul. Reg. Joseph. art.* 47. ubi cautum est: Jo-
sephum Augustissimum Regem Romanum non admini-
straturum Rempublicam vivo Imperatore nostro Invictissi- 47
mo, nec post mortem ejus ante cœptum ætatis annum deci-
mum octavum, interea verò Vicarios administraturos, negotiis
tamen sub nomine Josephi expediendis, uti clara dispositio
ostendit *d. art.* 47. hisce verbis: Wir sollen und wollen uns
auch zu keiner Regierung oder Administration im Heil.
Röm. Reich, so lang Ihro Käyserl. Maj. im Leben, oder
nach dero Tod (welchen Gott lang verhüten wolle) zu
Præjudiz der Reichs-Vicarien, welche immittelst die Reichs-
Administration führen, die Expedition aber in unserm Na-
men verfügen sollen, unterziehen, biß wir das achtzehen-
de Jahr unsers Alters erreicht und angefangen haben. Ex 48
quo capitulationis Josephinæ textu manifestè probatur, non
tantùm in casu absentiæ, quem allegavi, sed etiam alterius im-
pedimenti paris, Vicariatus exercitio propter Rempublicam
locum relinquendum; etenim, si casus hic evenisset, quem
propitium Numen continuatione vitæ Imperatoris be- 49

nignè præcluſit, Vicariatus adminiſtratio ſucceſſiſſet, nec propter abſentiam, nec propter interregnum, ſed propter teneram & immaturam adhuc ſucceſſoris Imperii ætatem. Conſideremus verò nunc Vicariatus poteſtatem penitius, quæ nimirum publica negotia ei-
50 dem ſubſint, quæ non? Aurea Bulla in *d. tit.* 5. quinque negotia Vicariorum Imperii poteſtati permittit, unum interdicit; permiſſa hæc ſunt, judiciorum exercitium, præſentatio ad beneficia Eccleſiaſtica, collectio redituum vel proventuum, inveſtitura de feudis, & receptio juramentorum fidelitatis; interdicta prorſus Vicariis eſt alienatio rerum vel partium Imperii; quæ quidem de Vicariatu Palatino in *d.* §. 1. expreſſa ſunt, & de Saxonico repetuntur ſequ. §. 2. Atque
51 hi duo ſunt Germanici Vicarii, quorum Vicariatus in terris Germaniæ habet locum; fuerunt verò, uti prædictum, celebres etiam in Italiâ Vicarii, præſertim Mediolani Vice-Comites,
52 ſed hæc Vicaria Comitiva converſa eſt in Ducatum ſub Wenceslao, ut ſuprà diximus; nihilominus tamen hoc fundamento probabile eſt aſſeri Hiſpaniæ Regi eum Vicariatum, ut Duci Mediolanenſi per Inſubriam & Hetruriam. *Bodin. lib. 1. de Rep. pag.* 200. & pro illo Vicariatu Mediolanenſi conſuluit. *Bald. vol. 1. conſ.* 326. *conſ.* 327. *conſ.* 328. *item conſ.* 333. *per tot.* Verum Sabaudiæ quoque Duci Amadeo Magno & poſteris conceſſum generalem in Italiâ & perpetuum Vicaria-
53 tum ab Henrico Septimo Imperatore, appoſito ex Ranchino tenore privilegii Limnæus refert, *in addit. ad lib. 5. jur. publ. c.* 14. *pag.* 439. ubi mox etiam plurima loca Sabaudico Vicariatui ſubjecta denominat; ac licet Mantuano Duci controverſia fuerit Vicariatus cum Sabaudo, & Ferdinandus Tertius Imperator eum Mantuano obtulerit, ut referunt Dietrich. *ad Aur. Bull. d. t. 5. & ibi Limn. obſerv.* 9. imò actu contulerit, deci-
54 ſio tamē pro Duce Sabaudiæ extat in capitulatione *Leopold. art.* 4. §. So thun wir auch. *noviſſimâ Joſephi Regis capitulatione art. &c. eod.* repetita. Interceſſerunt Electores per literas apud

apud Mantuanum Ducem pro Vicariatus generalis annullatione, & ut porrò in præjudicium Sabaudicæ domus istum usurpare desisteret, earum literarum tenorem ratum habent *d. art.* 4. Imperator & Rex Romanus, promittuntque Vicariatus Sabaudici & privilegiorum manutentionem publicam, ut adeò Sabaudiæ Dux pro generali per totam Italiam Vicario Imperii ex lege habendus sit; nam, si justè possidet, qui au- 55
ctore Prætore possidet, *l. justè.* 11 *ff. de acq. poss.* quantò magis, qui auctoritate legis ac Cæsaris & Imperii consensu? Clausula tamen declaratoria in capitulatione Josephinâ *d. art.* 4. 56
sub fin. his verbis adjecta est: Welches alles jedoch auff die 57
Condition gestellet wird, wann sich der Hertzog zu Savoyen denen von ihrer Käyserl. Maj. von Reichs wegen publicirten Inhibitoriis und Avocatoriis gemäß bezeugen und verhalten wird. Quæ conditio societatem armorum hostilium vel quodcunque auxilium penitus excludit, neque dubitandum est, quin jure valeat; etsi enim actui purè perfecto nequeat ex pòst facto adjici conditio, juxta *l. pen. C. de* 58
don. quæ sub mod. & propterea cùm privilegium Vicariatus Italiæ ab Henrico Septimo Imperatore Amadeo Magno Duci Sabaudiæ purè concessum, purè etiam Capitulatio Leopoldina *d. l.* concepta idem statuat, non videatur conditio recentior apponi potuisse, tamen hæc conditio tacitè inest, ut sc. privilegio Vicariatus utatur Sabaudiæ Dux, dum vicissim 59
servet, quæ nexus feudalis requirit, atque sic fidem præstet Imperatori in avocatoriis & inhibitoriis mandatis; est enim hæc pars juramenti fidelitatis, non juvare hostem, ex *tt. de nov. form. fidel.* 2. *F.* 7. cui omnes fideles & Imperii etiam Principes 60
obstringuntur, *Rec. Imp. de an.* 1641. §. nicht weniger hat bißhero. 85. *cum §. seq.* adeoque cum, si quid contrà fiat, vel justa privationis causa subnasci soleat, per *tit. quæ sit prim. caus. benef. amitt.* 2. *F.* 24. §. 2. *vers. præterea.* conventiones etiam ac stipulationes tacitam hanc legem habere intelligantur: si res

maneat in eodem statu. *l. cum quis sibi.* 38. *princ. ff. de sol.* ubi *num.* 23. nominatim hanc conditionem: *si fidem servaveris* ex Oldentorpio inter tacitas conditiones Gotthofredus *in not.* recenset, suprà scripta conditio Vicariatui Sabaudico ju-
61 re potuit adjici. Porrò Italiæ Vicariatum subesse Germanicis Vicariatibus, nonnulli contendunt, *Sinold. vol.* 1. *de statu Rei Romanæ disp.* 5. *lit. e. Dietrich. in not. ad A.B.d.l.* A quibus meritò discedit Limnæus ad *d. tit.* 5. §. 1. *observ. XI.* & *in not. ad Capit. Carol. Quinti. art.* 3. *verb.* Pfaltz und Sachsen.
62 *num.* 68. 69. *&* 70. nam nec ex Aureâ Bullâ, nec aliunde constat, Vicariatus Germaniæ per Italiam extendi, & privilegium Caroli Quarti Imperatoris suprà relatum potius contrarium demonstrat, videlicet in provinciis & partibus Imperii, quæ nobis cis Alpes sunt, Vicariatum Palatinum, absente Imperatore exerceri, verbis: daß sie dann gemeine Vicarien deß
63 Reichs hie dißseits gewest seyn und seyn sollen. Non est autem vel extensio vel subordinatio Vicariatuum asserenda sine lege probabili ratione. Cæterum Vicarii Italiæ & Germaniæ differunt in eo, quòd illi sint continui, etiam vivo Imperatore, quatenus Imperatores hodiè ab Italiâ continuò solent abesse, hi verò, quia rarissimè contingit Imperatores extra Germaniam esse, & alioquin rariora sunt interregna, dum
64 plerumque Rex Romanus vivo Imperatore eligitur, ceu pluribus exemplis constat, non tantùm usu continui non sunt, sed rariores, ita ut hoc ad finem vergente seculo decimo septimo tres tantùm casus interregni, nempe post obitum Rudolphi Secundi, Mathiæ, & Ferdinandi Tertii Imperatorum contigerint; superiori verò decimo sexto exemplum unicum queat referri, nempe post mortem Maximiliani Primi, quia mortuo Carolo Quinto, Ferdinandus Primus, mortuo hoc Cæsare Maximilianus Secundus, & hoc decedente Rudolphus Secundus jam ante electi Regis Romani, in Imperio successerunt, & sic intra duo circiter secula quatuor tantùm inter-

interregnorum casus observare liceat. Sunt igitur hodiè ex 65
legibus Imperii tres Vicariatus Imperii per Italiam Sabaudi-
cus, per Germaniam Palatinus & Saxonicus; sed contro-
versia magna exorta est occasione translati Electoratus Pala-
tini in domum Bavaricam quoad lineam Comitum Palatino-
rum Rheni Rudolphinam & Ducum Bavariæ Guilhelmia- 66
nam, utrum ad hanc, an verò & Rudolphinam lineam jus Vi-
cariatus Palatini hodiè pertineat? Controversia hæc maxi-
mè mota est post mortem Ferdinandi Tertii Imperatoris in-
ter Ferdinandum Mariam Bavarum & Carolum Ludovicum
Palatinum Electores, ac utrinque magnis animis agitata: ex- 67
tant scripta Serenissimorum controvertentium publica apud
Lundorpium, veluti der Chur-Pfältzische Bericht wegen
des *Vicariats, part. 8. act. publ. c.* 41. der Chur-Bayerische
Gegen-Bericht über den *Vicariat, part. ead. c.* 66. die Chur-
Pfältzische Ableinung des Chur-Bayerischen Gegen-
Berichts, *ibid. c.* 67. item Chur-Bayerische Anzeig über
die Chur-Pfältzische Ableinung, *ibid. c.* 68. Denique Chur-
Pfältzische Abfertigung der Anzeig. *d. p.* 8. *c.* 189. Prodi- 68
erunt etiam præter priora Freheri & Gewoldi scripta Electo-
ratum præcipuè concernentia, de hac ipsâ Vicariatus mate-
riâ tractatus duo, & quidem pro causâ Palatinâ, alter anony-
mo primùm auctore, quem tamen celebratissimum Conrin-
gium fuisse, ipsa styli aliis scriptis Conringianis conformis
qualitas, haud obscurè ostendit, alter inscriptus sub nomine
Gratiani Philoeci, quo Joh. Freinshemius Auctor nomen su-
um inclusum tectumque voluit. Cardo rei in hoc maximè 69
vertitur, an per tabulas Pacis Germanicæ cum Electoratu
etiam Vicariatus in domum Bavaricam sit translatus? Af-
firmant, qui Bavaricam causam defendunt, negant qui
Palatinam; momentum ulterius in eo esse videtur, an Vi-
cariatus sit annexus Electoratui, & an cum Electo-
ratu Palatino tempore belli à Maximiliano Electore Ba- 70
variæ unà possessus; hoc enim factum quodammodo respicit,

quæ verò jus concernunt, tenor Instrumenti pacis complectitur, *art.* 4. Bavari Electoris Vicariatum tuetur Hermes *in fasc.*
71 *jur. pub. C. XXIII. num.* 5. sed frigidè; Palatina enim argumenta in sequentibus adducit, non autem solvit, & sanè in hac controversiâ plerique scriptores referunt saltem causæ ab utraque parte merita, è quibus videri possunt *Limn. ad A. B. d. t.* 5. *§.* 1. *obs.* 5. *& in add. ad lib.* 3. 1. *p. c. XI. num.* 7. *Boecler. in Not. Imp. lib.* 4. *c.* 3. *vers. verum in Palatinum Vicariatum. Strauch. disp. exot.* 3. §. 2. *&* 3. *Dn. Rhet. lib.* 1. *Inst. jur.*
72 *publ. tit.* 5. §. 3. Et est de hac controversiâ hactenus adductis acquiescendum, ne monitum Taciti ex propinquo nimis haud judicandum suadentis, neglexisse videamur. E re autem utique & optandum foret, litem hanc inter Principes Regiæ stirpis de Imperio benè merentes amicabili ratione finiri, uti, quæ Moguntinum inter & Coloniensem Electores de coronatione Cæsareâ
73 controversia antehac fuit, transactione sopita est, cum neutra pars in tantis juribus facile soleat cedere; & Imperii intersit ejus generis lites, quæ turbas aliquando dare possent, eo præsertim tempore dirimere, quo actu ipso ex præsente casu non
74 disceptantur. Quomodo verò hanc controversiam componere expediat, alter natione, ansimultaneâ admissione tertiique Vicariatus dispensativâ introductione, quæ consensum Imperatoris & Imperii efflagitaret, non est, cur specialiùs inquiram. Sed missis his dicamus breviter de utriusque Vicariatus Germaniæ terminis, hi sic describuntur in *Aur. Bull. d. t.* 5. *§.* 1.
75 *&* 2. ut Vicariatus Palatinus *in partibus Rheni, Sueviæ & in jure Franconico*, prout verba Bullæ habent, obtineat, *d.* §. 1. Saxonicus verò, *in illis locis, ubi jura Saxonica servantur.* Quâ in re primò disquiri solet, quid nomine juris Franconici intelligatur; Saxonicum enim minus habet dubium, & in speculo Saxonico conscriptum variisque constitutionibus pòst adauctum intelligi censetur: fuisse autem hujus juris duplicis, Fran-
76 conici & Saxonici, usum in Germaniâ, annotaverunt plures, *Freher.*

Freher. ad Petr. de Andlo lib. 2. de Imp. Rom. c. 10. verb. comitatus sui privilegio, p. 191. Rüml. ad A. B. p. 1. differt. 4. th. 14. Arum. ad A. B. disc. 3. th. 28. Strauch. d. disp. exot. 3. §. 1. *circa fin.* Haud tamen notant, vel pariter exprimunt, quid nomine juris Franconici propriè designarit in Bullâ suâ legisla- 77
tor Carolus; *Besold. in thes. pract. verb.* Gebieth. intelligit districtum jurisdictionis, quo sensu non laborandum esset de explicatione legum Franconicarum, quæ & quales sub verbis Franconici juris comprehenderentur, sed sufficeret declaratio finium Franconiæ, ut quousque hi se extenderent, eousque etiam Vicariatus Palatinus versus illam plagam obtinere crederetur: Verum hæc interpretatio ex eo refellitur, quòd Vica- 78
riatus hic se longè extendat, ultra Franconiæ, quæ hic haud dubiè orientalis intelligitur, fines, nempe in Bavariam, Austriam & usque ad Alpes, ceu præter scriptores ad *A. B. d. tit.* 5. §. 1. demonstrant Cæsarea diplomata Caroli Quarti & Ruperti, quorum illud in his, quæ hanc rem concernunt, suprà retuli, hoc apud Freherum extat *d. l. ad Petr. de Andlo.* Deinde per- 79
vincit idem Bullæ Carolinæ tenor *d. tit.* 5. §. 2. dum contextus hisce verbis: *in illis locis, ubi jura Saxonica servantur*, satis arguit, per jura Saxonica intelligi leges vel consuetudines gentis Saxonicæ, quousque scilicet fuerint receptæ; non est verò ulla ratio, cur in eodem Aureæ Bullæ loco, si nomen juris ratione Vicariatus Saxonici denotat legem, intelligamus nomen juris Franconici ratione vicariatus Palatini, non de lege vel consuetudine Franconicâ, sed de Imperio Franconiæ & ejus terminis, eaque ratio Limnæum meritò movit, ut *d.* 80
§. 1. *obs.* 4. verba Bullæ: *in jure Franconico* non de territorio vel Imperio Franconiæ, sed similiter acceperit de Franconicis legibus, ut jura Saxonica de Saxonicis; quænam verò illæ sint, Limnæus ibi non explicat, sed *lib. 3. J. P. c. 12. num.* 17. dubitativè ait, idem fortassis esse jus Franconicum cum illo, quod Suevicum dicitur; ast ne sic quidem satis declarat, quid nomi-

nomine Franconici juris propriè intelligat, & si, quod vulgò
81 speculum Suevicum appellatur, subintellexerit, eam sententiam haud indistinctè admittendam putarem; præterquam enim, quod speculum Suevicum diversa contineat erronea, publicâ certè auctoritate conscriptum editumque non est, adeoque non aliter pro jure sive Suevico, sive Franconico haberi potest, quàm quatenus gentis vel Suevicæ vel Franconi-
82 cæ legibus aut moribus congruit, perinde ut nec Saxonicum speculum aliter, quàm quatenus Saxonicis legibus aut consuetudinibus est conforme; jam cum deducente Conringio *de orig. jur. Germ. CXXV.* ad usque seculum decimum tertium à nativitate Christi Germania nullis penè scriptis legibus usa fuerit, consequitur, & Franconiam vel paucis vel nullis ad ea usque tempora usam fuisse legibus scriptis, quòd & de vicinâ
83 Suevià, aliisque Germaniæ provinciis asserendum, atque adeò, cùm jus vel Suevicum vel Franconicum (orientalis sc. Franciæ) appellamus, non præcisè significatum existimari debet jus aliquod Regium vel Cæsareum expressè promulgatum, sed usu gentis receptum, quamvis in eo aliqua forsan sint, quæ scripto
84 & promulgatione expressâ constant, & perinde se res habere videtur in utroque jure Franconico & Saxonico, ut in compilatione juris feudalis, quòd Obertus de Otto & Capegistus Niger ex consuetudinibus concinnârunt insertis paucis Conradi Tertii, Lotharii II. & Friderici I. constitutionibus;
85 similiter compilatores juris Saxonici & Franconici privatâ auctoritate collegerunt Saxonicæ & Franconicæ gentis jura vel usu recepta vel auctoritate publicâ promulgata, ut adeò
86 nobis opus non sit, qualia specialiter hæc vel illa fuerint jura, scrupulosè perquirere, sed sufficiat scire generaliter, esse hæc jura Saxonica & Franconica, quorum usu Carolo Quarto Im-
87 peratori placuit terminos discernere utriusque Vicariatus, magnâ ex parte moribus introducta, nonnullis tamen partibus legislatoriâ auctoritate subnixa, quorum jurium distin-

ctio

ctio forsan originaliter provenit ex eo, quòd Carolus Magnus Imperator & successores de stirpe, alias Francis, alias Saxonibus, pro diversâ gentium indole, vel dederint vel permiserint leges ac vitæ instituta. Hæc quatenus vel promulgationi vel moribus conformiter in scripturam relata sunt à compilatoribus juris Saxonici aut Franconici, duo illa sunt, quorum à Carolo Quarto Imperatore in Bullâ *d. tit. 5.* fit mentio. Neque verò hæc jura diversa, per modum causæ, 88
quasi ideò voluerit legislator Carolus Quartus huic vel illi provinciæ in interregno Vicarium vel Palatinum vel Saxonem præesse, quòd aut Franconico aut Saxonico utatur jure, sed specie demonstrationis, & quod juris exercitio cujusque Vicariatus loca describere placuerit, *juxta Arum. d. l. th. 29. & Limn. d. c. 12. num. 25.* in Bullâ distinctè sunt adducta, ac 89
proinde sufficit, cognoscere, quæ provinciæ ætate Caroli Quarti Franconico jure, quæve Saxonico vivere consueverint; nam ab hac re juxta Bullam decisio terminorum ac partium Vicariatus pendet, & ut paucis nosmet expediamus, Rhenana ditio, Suevia, Franconia, Bavaria, Austria, & quicquid terrarum ad Alpes usque exporrigitur Franconico juri veteri & per hoc Vicariatui Palatino ad mentem Bullæ (verba enim expressa desunt) subesse creditur, contra quicquid terrarum 90
ultra silvam Thuringiacam in Saxoniâ est superiori vel inferiori ad usque mare Balthicum ad jus Saxonicum & Vicariatum Saxoniæ referendum existimatur. *Script. loc. alleg.* Igitur 91
plerique circuli Germaniæ Vicariatum Palatinum respiciunt, velut Rhenanus superior, Electoralis Westphalicus, Franconicus & Suevicus, Austriacus item & Bavaricus, nec minus Burgundicus; ad Saxonicum non nisi Saxonicus superior & inferior, quòd olim isti populi communi Francorum jure vixerint, Saxones peculiari, vel nominatim concesso, vel usu permisso. Quin & Bohemiam provinciasque unitas ad Vicariatum Saxonicum eadem ratione referunt Goldast. *in præf.* 92

der Reichs-Satz. *pag.* 291. *& ex eo Limn. d. c.* 12. *n.* 13. 14. *&* 15. Atque ex paulò antè dictis, quòd nimirum species diversi juris Franconici & Saxonici, non causam, sed demonstrationem præbeant discernendi Vicariatus, rectè colligitur, si hoc vel illud jus in certis partibus non amplius obtineat, sed mutatum sit, velut in Marchiâ Brandenburgicâ, Ducatu Brunovicensi ac
93 Lüneburgensi Saxonicum jus hodiè cessat, nihilominus dispositionem Bullæ de Vicariatu manere, ac sufficere ætate Caroli Quarti, Saxonici aut Franconici juris usum his vel illis terris fuisse, quamvis posteà mutatio vel abrogatio ejus juris successerit, ita *Arum. Limn. l. c.* quæ enim ex accidenti superve-
94 niunt, dispositionem de terminis mutare non debent. arg. *l. Rutilia.* 69. *ff. de contr. empt.* plus considerationis habet quæstio de Vicariatu Saxoniæ, num & locum sibi vindicet in casu absentiæ Imperatoris vel Regis Romani? Hæc quæstio sine dubio dependet à sensu Bullæ Carolinæ *d. tit.* 5. utrum nempe complectatur in Vicariatibus non tantùm casum interregni, sed etiam absentiæ Imperatoris vel Regis Romani; nam si hoc posterius cum nonnullis asseramus, res disputatione ca-
95 ret, quia textus *d. tit.* 5. §. 2. expressè vult Saxonem Vicarium eodem gaudere jure in terris sui Vicariatus, quo gaudet Palatinus in terris Vicariatus Palatini; verùm rectè contraria sententia defenditur, casum sc. absentiæ verbis ibi haud comprehendi; quia dispositio Bullæ tantum concernit tempora interregni, quibus de provisore Imperii sit prospiciendum, ne
96 forsitan mala, quæ in diutino interregno post Friderici secundi Imperatoris obitum Reip. illata fuerant, subsecuturis interregnis renascerentur; hinc major cura videtur fuisse de interregno quàm de temporali absentiâ Imperatoris aut Regis Romani, certè litera Bullæ non aliud ostendit, ideoque *Limn. in addit. ad d. c.* 12. *num.* 40. circa quæstionem præmissam inclinat in partem negativam; quanquam enim textus *d. tit.* 5. §. 2.
97 Saxonico Vicariatui, par jus in suis terris, quod Palatino in suis

ſuis tribuat, verba tamen ibi habentur reſtrictiva: *Sub omnibus modis & conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum*; adeoque, ut probabiliter *d. l.* tradit Limnæus, referuntur ad caſum §. 1. qui in Vicariatu Palatino tantum loquitur de tempore interregni; ſed major ratio opponi poteſt Limnæanæ ſententiæ 98
ex reſervatione Caroli Quinti Imperatoris, qui in caſu abſentiæ ſuæ non tantum Palatino Vicariatui, ſed & Saxonico, ne quod præjudicium pateretur ex conſtitutione regiminis Imperii, ut antè retuli, ſpeciali diplomate jus ſuum integrum præſervavit, probabiliter id minimè facturus, ſi exiſtimâſſet Saxonicum Vicariatum ad ſolum caſum interregni, non abſentiæ Imperatoris vel Regis Romani referendum. Neque le- 99
gimus Ludovicum Quartum ejus temporis Palatinum Electorem contrà proteſtatum eſſe, quaſi jus Vicariatus omne in Germaniâ ad ſe ſolum pertineret à futuro Carolo Quinto Imperatore. Ergò tunc exiſtimatum eſt, non tantùm in caſu interregni, ſed etiam abſentiæ Imperatoris, Saxoniæ Electorem Vicarium eſſe in terris aſſignatis, licèt priorem caſum tantùm Aurea Bulla verbis expreſſis fuerit complexa, nec ſine funda 100
mento hoc aſſeri crediderim, quòd probabilis argumentandi ratio appareat à Vicariatu interregni, quod ſæpè longius durat, ad Vicariatum abſentiæ Imperatoris, ut quem, Lex fecerit interregem in certis provinciis vacante Imperio, hunc conſe- 101
quenter abſente Imperatore velut proregem voluerit Rempublicam adminiſtrare in iiſdem partibus commiſſis. Ad cu- 102
jus rei argumentum ulterius facit textus Capitulationis Joſephinæ ſuprà allegatus ex *art.* 47. ubi ob teneram Joſephi Regis ætatem, ſi Imperatorem eo tempore contigiſſet mori, non uni Vicario, ſeu Vicariis plurali numero, adminiſtratio Imperii defertur, & ſic haud dubiè duobus Vicariis, Palatino & Saxoni; ſed hic caſus utique non eſt caſus interregni & nulla 103
ratio, cur Imperii Vicariatus per Germaniam diviſi ſint propter impedimentum immaturæ ætatis Imperatoris vel Regis

Romani, non verò divisi sint, sed unus exerceatur occurren-
104 te impedimento absentiæ; ergò id restat, ut contra Limnæum asseramus, etiam extra interregnum duos esse in Germaniâ Vicarios, quorum administratio in casu impedimenti, Imperatoriæ vel regiæ administrationis vices sustineat. Et hactenus de diversis Imperii Vicariatibus eorumque provinciis ac terminis. Succedit ordine ea hujus materiæ pars, quæ de
105 potestate Vicariâ est. Suprà retuli hac de re capita in *Aur. Bull. dict. tit.* 5. §. 1. expressa, quæ nunc pleniùs sunt consideranda, & primò quidem potestas exercendi judicia, ubi notandum consuevisse Vicarios causas, quæ ad Imperialem jurisdictionem pertinerent committere certis à se constitutis judicibus, insignioribus fortè consiliariis suis justitiæ
106 aliàs præpositis ac rerum forensium peritis, horum collegium judicium Vicariatus erat, in quo, quæ causæ apud Imperatorem vel Regem Romanum alioquin fuissent ventilandæ, disceptarentur, idque tempore Caroli Quarti pro statu judiciorum, cum non haberetur Camera suprema certo loco fixa, quæque post mortem Imperatoris vel eo absente jus diceret,
107 necessarium videtur fuisse, tantoque magis, quòd Vicariatus non stabili lege, sed vagâ consuetudine niterentur, itaque ad Vicarios veniendum fuit, si qui Principes vel Proceres Statusque Imperii in interregno aut Imperatore extra Germaniam absente, judicio disceptaturi essent, actaque ista judi-
108 cialia seorsim apud Vicarios singulos fieri consueverunt, & valuit hîc dubio procul vulgaris regula, quâ actor dicitur sequi forum rei, idcircò si quis è numero Principum vel ordinum in terris Vicariatus Palatini constitutus fuerat, is tempore interregni vel quo aliàs Vicariatui locus esset, apud Vicarium Palatinum conveniri debuit, uti per inversum apud Vicarium Saxonem, si in partibus hujus vicariatus Principatum, ditionem vel domicilium habuisset; neque id tantum in primâ,
109 sed etiam appellationis instantiâ, si quo casu ab aliquo dicasterio

sterio intra terras Vicariatus, ad Imperatorem vel Regem Romanum adhuc vivum appellatio procederet; nam eo mortuo, vel si aliàs Vicariatui locus foret, appellandum esset ad ejus districtus Vicarium, & est ratio, quia Aurea Bulla *d. l.* potestatem judicia exercendi, Vicariis in interregno tribuit absque distinctione instantiæ, utrum prima vel ulterior & appellationis fuerit, & indistinctè etiam respectu causarum, ut ad 110
Vicarium omnes causæ meritò referantur, quæ ad Imperatorem, dummodò non sint specialiter Cæsari vel Regi Romano reservatæ & exceptæ ut causæ regalium feudorum, *Ord. Cam. p. 2. tit. 7. junct. A. B. d. tit. 5. §.* 1. de quâ re posteà.
Hodiè etsi in judicio Cameræ Imperialis tempore interregni, nec minus Imperatore absente lites forenses cognoscantur ac 111
dirimantur, non tamen judicia Vicariatuum sublata censentur, quia id nullibi cautum, ut procedat argumentum *l. præcipimus. 32. §. fin. C. de appell.* & ipse Carolus Quartus ex Italiâ reversus actitata judicialia Ruperti Vicarii tunc Palatini in Comitiis Noribergensibus diplomate, quod *Vicariatui Palatino defenso sub lit. K.* est adjunctum, confirmavit his verbis: was 112
er oder sein Hof-Richter gerichtet haben, mit Acht, mit Anleith, mit Nutz, Gewär, oder mit andern Sachen, Rechten und Urtheilen, alldieweil er unser und des Heil. Röm. Reichs Vicarius in Teutschen Landen gewesen ist, daß das alles Krafft und Macht haben soll, und steth bleiben, gleicher Weiß, als ob es vor uns selber in unserm Hofe und vor unserm Hof-Richter, geurtheilt und geschehen wäre, und bestättigen das alles mit Krafft diß Brieffs &c.
Atque ab aliquot seculis retrò ad hoc usque tempus acta ge- 113
staque numerosa Vicariatus Palatini testimonium dare juris hujus competentis refertur in *Inform. Palat. de Vicar.* apud *Lundorp. d. c.* 41. hoc verborum contextu: Sondern auch, daß die Herren Pfaltz-Grafen und Chur-Fürsten von etlich 100. Jahren, ja vor der güldenen Bullen her, solch

Vicariat und Verwesung des Reichs, bis an die verwichene letztere Unruh im Reich, benanntlich auch *in annis* 1612. und 1619. *exercir*et und *in possessione* desselben verblieben, deßwegen auff die hiebevor in offenem Truck außgangene Tractätlein und alle vornehme *Politicos*, sonderlich aber die bey der Chur-Pfältzischen Cantzeley, mit gantzen Säcken voll sich befindende *Acta Vicariatus* Kürtze halben beziehend.

114 Non adduco hæc circa jam relatam controversiam inter domum Electoralem Bavaricam & Palatinam de Vicariatu,
115 sed ut demonstrem exercitium judicii Vicariatus, hodiè etiam superesse, videlicet, ut in interregno & per tempora absentiæ Imperatoris extra Germaniam à singulis Vicariis justitia administretur, si causa concernat reos sub districtu Vicariatus inclusos; hinc Carolus Ludovicus Elector Palatinus in *Inform. de Vicar.* ad finem omnibus pollicetur, jus & justitiam Vicario nomine ab se rectè administratum iri: Ihr Churfürstl. Durchl. seyn erböthig männiglich gutwillig anzuhören, und darauff unpartheyisch Recht und Gerechtigkeit dermassen ergehen zu lassen, daß sich niemand zu beschweh-
116 ren Ursach haben solle; quæ res necessariò ad judicium Vicariatus est referenda, quia Camera Imperialis suo arbitrio justitiam juxta leges & constitutiones Imperii administrare solet, quamvis processuum expeditio in interregno fiat au-
117 ctoritate Vicariâ, certè in interregno post obitum Maximiliani Primi, ut aliàs, etiam Vicariatus Palatini judicium constitutum nec jurisdictionem in solâ Camerâ exercitam fuisse, refutatio Palatina deductioni Bavaricæ ulteriori opposita sub nomine Chur-Pfältzische Abfertigung der Chur-Bayerischen fernern Anzeig, clarè ostendit in verbis: Es sey ein gantz ohnbeschienenes und ohnerfindliches Angeben, daß in *Anno* 1519. bey solchem *Interregno*, das Cammer-Gericht zu Wormbs oder vielmehr das *Vicariat*ische Hoff-Gericht, bey Außfertigung der *Process*, den Reichs-Apffel oder

oder das leere Schild in der Mitten, ꝛc. gebraucht und geführet habe. Unde colligere licet, cùm Vicariis distinctum 118
sit singulis judicium Vicariatus à Camerâ Imperii, esse iisdem cum Camerâ jurisdictionem concurrentem, quemadmodum Imperator, cujus vices gerunt, cum Camerâ habet concurrentem jurisdictionem, duplici tamen notando dis- 119
crimine, sc. quòd Vicaria jurisdictio sit restricta ad terras Vicariatus, non verò jurisdictio Imperatoria; deinde, quòd hæc in reservatis quoque causis indubiè fundata sit, non verò æquè vicaria. Hoc amplius ipsa Vicaria jurisdictio haud 120
dubiè per se ordinaria est, & ex lege competit, an verò judicium Vicariatus, à Vicario constitutum, delegatum sit nec ne, quæritur? Videtur delegatum, quia in arbitrio Vicarii ponitur, quibusnam exercitium Vicarii judicii permittat; dummodò sint alioquin habiles & forensium rerum periti; sed ex adverso considerandum est, si hoc judicium dicamus delegatum, fore locum appellationi ab eo ad delegantem, sicut aliâs à 121
delegato etiam Cæsaris ad delegantem provocandi copia est, *d. l. præcipimus*. §. 3. Sed hoc admitti non potest, quia unus jurisdictionis gradus est, neque aliud judicium quàm ipsius Vicarii, lege probatur, itaque non magis à substitutis per Vi- 122
carium judicibus ad Vicarium, quàm ab Officiali Episcopi ad Episcopum, *c. cum sit Romana*. 3. *de appell. in* 6. appellari existimandum est; nam quod Vicarius per Substitutos facit, ipse fecisse videtur, sanè ipsum Vicarium, ut non singulis actibus 123
judiciariis intersit, saltem sententiam dicere, aut ex relatione actorum ad minimum approbare debere dixeris, uti legi, quæ ipsius auctoritatem personalem in judiciariis disceptationibus respexit, satisfactum appareat. Ad rationem contrà præmis- 124
sam, respondetur paucis: non sequi Vicarium liberè constituere vel eligere disceptatores vel auditores judicii Vicariatus, ergo hoc judicium esse merè delegatum; nam & Imperii Status Assessores suorum judiciorum liberè constituunt & propter-

propterea tamen non sunt judices merè delegati; contrarium enim constat usque ad eò, ut ab Aulicis judiciis non detur ap-
125 pellatio ad ipsum Principem, sed ex circumstantiis tantùm revisio, quâ de re suo loco. Hanc revisionem putarem etiam à Vicariatus judicio permitti, si non ad effectum, ut Vicariatus, saltem ad effectum, ut Imperator pòst causam denuo discepter. Quod porrò administrationem justitiæ attinet in Imperii dicasteriis, Aulicum supremum tempore interregni dicitur cessare, ut in eo usus haud superesse censeatur Vicariæ potestatis: Secùs ac in Camerali judicio, quod uti Principum & Ordinum Imperii auctoritatem magis respicit, quàm Aulicum, ita quoad expeditionem processuum Vicariam prærogativam in interregno agnoscit, ceu notum est & præter vetera, interregni post mortem Ferdinandi Tertii exem-
126 plum horum temporum ultimum demonstrat. Ubi duo insuper consideranda sunt, expeditionis Cameralium processuum casus, quando obtineat, & modus, quo fiat; casum ideò refero, quia hodiè quantum ad articulum expeditionis processuum Cameræ non est par ratio, ut olim circa Vicariatum indistinctè in interregno & absentiâ Imperatoris; nam in in-
127 terregno quidem eadem obtinent, sed non æquè absente extra Germaniam Imperatore; quid enim vetat, Imperatorem in Italiâ constitutum mandare vel edicere, quid fieri velit in Germaniâ, adeoque nomine ejus etiam absentis expediri citationes, compulsoriales, inhibitiones, literas salvi conductus, mandata & quaslibet processuum species, in Camerâ?
128 Olim certè diversa ratio fuit, quia Camera sequebatur Imperatorem, & sic eo in partibus Italiæ absente nulla relinquebatur, nec aliud Imperii judicium universale & supremum in Germaniâ, igitur prospiciendum erat Imperio per Vicariam justitiæ administrationem, quare licèt perpensis suprà rationibus defenderim, adhuc hodiè Vicariatui locum esse absente extra fines Germaniæ Imperatore Regeve Romano, neque

disce-

discedam ab eâ sententiâ, tamen eadem assertio notabiliter 129
limitanda est in expeditione processuum Cameralium, quæ fieri nequit nomine Imperatoris jam mortui, benè verò nomine absentis, qui, sicut dicitur absens gerere bellum per Duces suos, ita etiam administrare justitiam absens per judices & Assessores à se vel nomine Imperii constitutos inque Germaniâ relictos. Fridericus Primus Imperator, cum esset 130
apud Roncalias, legem consensu Procerum tulit, quam expressè sanxit in Alemanniâ quoque valituram, prout videre licet ex 2. *F. 55. de proh. feud. al. per Fed.* §. 1. quidni ergò Imperatoris absentis auctoritate & jus dici, & nomine ejus processus expediri possint à supremo Cameræ Tribunali? Diver- 131
sum in captivitate Imperatoris vel Regis Romani esset, & ideò nec justitia nomine & auctoritate capti à Sapore Persarum Rege Valeriani Imperatoris in orbe Romano administrata, nec quid aliud ejus Imperio, quod in captivitate actu non erat, publicè gestum est, idemque in aliis obtinere debet; hinc, cum Wenceslaus in captivitate Bohemicâ detineretur, Rupertus Palatinus Vicariam administrationem suscepit, & Franciscus Primus Galliarum Rex in Italiâ captus atque in Hispaniam abductus voluit, ut sui in Regno Galliarum velut mortui interim non haberetur ratio; ut adeò non magis nomine & auctoritate Imperatoris vel Regis captivi, quàm mortui, justitia administrari, vel, quæ ad eam pertinent, expediri 132
debeant; huc & refero casum immaturæ ætatis, quâ durante Vicarii velut tutorio nomine auctoritatem darent justitiæ administrationi & processuum Cameralium expeditioni, idque sibi videntur velle verba capitulationis Josephinæ *d. art.* 47. die Expedition aber in unserm Namen verfügen sollen, ut expeditio negotiorum, & sic etiam processuum Cameræ, fiat 133
quidem nomine Regis per ætatem immaturam nondum administrantis, sed auctoritate publicâ Vicariorum. Modus expeditionis Cameralium processuum hic est, ut indivisâ au-

ctoritate præmissis Vicariorum nominibus ac titulis & sub sigillo Vicariatus fiat. Non igitur hic consideratur, sub utro Vicariatu reus sit constitutus (quod suprà dixi in judicio Vicaria-
134 tus attendendum) sed indistinctè sive Palatino subsit Vicariatui, sive Saxonico, communi & nomine & sigillo peragitur, expeditio, aliter ac si in judicio Vicariatus actio instituta esset, ubi unius & illius Vicarii auctoritate lis perageretur, processusque expedirentur, sub cujus Vicariatu reus haberet forum, &
135 licet in Camerâ videri queat, singula à singulis Vicariis adhiberi sigilla propter literas patentes pro vicariatu Palatino affixas, quibus Carolus Ludovicus Elector Palatinus observantiam Vicariatus Palatini ita partim commendavit, partim injunxit: Als gelanget hierauff an alle Chur-Fürsten, Fürsten, Grafen, Freyherren, Ritter, Städte, Gemeinden, in den Landen des Rheins, Schwaben und Franck. Rechtens unser dienstlich, freundlich, günstig und gnädig Ersuchen, Gesinnen und Begehren, den Un-
136 serigen aber alles Ernstes befehlende; daß sie von vorgedachtem Cammer-Gericht keine Processus, es seyen Mandata, Citationes, Inhibitiones, Compulsoriales, Promotoriales, Sententiæ, Executoriales, oder wie sie Namen haben mögen, hinkünfftig annemmen, weniger denselben Parition leisten wollen und sollen, welche nicht neben des Herrn Chur-Fürsten zu Sachsen Ldn. Namen und Sigill zugleich in unserm Namen verfasset, und mit unserm Mit-Vicarii Sigill unterzeichnet und besigelt seynd. Ceu refert *Lundorp. d. p* 8. *act. publ. c.* 42. *circa fin.* ubi sanè sigil-
137 lum Saxonicum & Palatinum ut distincta proponi videntur, veruntamen res aliter se habet, solentque Vicarii de communi sigillo Vicariatus, quo Camera utriusque nomine durante Vicariatu utatur convenire, quanquam antehac solus Vicariatus Palatinus jus sigilli Vicariatus ad Cameram sibi asseruerit, sed novissimis exemplis commune utriusque Vicarii sigil-

sigillum Cameræ exhibetur, sic post obitum Rudolphi Se- 138
cundi, item post obitum Matthiæ Imperatorum observatum
est, quâ de re præallegata refutatio Palatina, hæc habet:
Daß aber tempore interregni, und zwar erst letztlich Anno
1612. und 19. der Reichs-Apffel/ und nicht der Löw (quam
rem Electoralia Bavarica scripta circa Vicariatum contro-
versum in argumentum adducebant) dem Cammer Ge-
richts-Insigul einverleibet worden, kan diese Ursach ge-
geben werden, daß, als Chur-Pfaltz allein bey ereignen-
den interregnis &c. dem Cammer-Gericht ein Vicariats- 139
Insigul zu geben prætendiret/ dieselb Chur-Pfaltz Hau-
ses eigenes Wapen den Löwen gegeben; als aber Anno
1612. und 1619. Chur-Sachsen mit concurriret, hat man
sich absonderlich dahin verglichen, daß beeder Reichs-Vi-
carien Chur-Insignien, dem Cammer-Gerichts-Insigel
einverleibet werden solten. *Lundorp. d. p.* 8. *c.* 189. *add.*
Limn. d §. 1. *observ.* 9. *n.* 3. *&* 4. Atque sic etiam post deces- 140
sum Ferdinandi Tertii Imperatoris, ceu refertur in programma-
te Vicariatus Ferdinandi Mariæ Electoris Bavariæ, de communi
Vicariatus sigillo conventum, *Lundorp. d. p.* 8. *c.* 65. cui ta-
men Electorem Palatinum & verbis reclamâsse & factis restitisse
publicè notum est. Dispar ratio habetur in particularibus ju- 141
diciis Cæsareis, quæ non communi Vicariorum nomine in
interregno exercentur, sed ad solum referuntur Vicarium,
cujus Vicariatui subsunt, quod nominatim de judicio Rotvvi-
lensi ex Höpingio tradit *Limn. d. obs.* 9. *num.* 5. & rationem 142
differentiæ addit, quòd Cameræ judicium universale sit per
totum Imperium, & sic per ditionem utrique Vicariatui adscri-
ptas, Rotvvilense verò particulare per eas tantum provin-
cias, quæ uni Vicariatui assignatæ, quæ ratio, uti probabilis
apparet, sic eadem etiam militat in aliis Cæsareis judiciis par- 143
ticularibus, per Sueviam maximè, & Franconiam vel in tra-
ctu Rheni reliquis. Causas ipsas apud Vicarios disceptandas

quod attinet, constituit Carolina Bulla regulam *in d.* §. 1. omnes, quæ Cæsareæ jurisdictionis sunt, in interregno ad
144 Vicarios referri, & sic concesserim Limnæo, etiam criminales causas vacante Imperio apud Vicarios cognosci, ut alioquin apud Imperatorem, quia hæ regulariter non excipiuntur; sed de causis regalium feudorum, quas supra tetigi, controversa quæstio est, utrum in interregno à Vicariis cogno-
145 sci, ac per sententiam decidi possint? Affirmant *Cubach. lib. 2. Jurispr. publ. c.* 30. *num.* 16. *& Limn. lib.* 3. *J. publ. c.* 12. *num.* 56. *usque* 65. quorum unicum ferè fundamentum est in regulâ, quâ sæpè allegata Bulla Caroli Quarti *d. tit.* 5. §. 1. *&* 2. Vicariis Imperii per Germaniam in interregno committit indistinctè potestatem exercendi judicia vice Cæsaris, à quâ regulâ, negat Limnæus, excipi causas regalium feudorum, sc. quatenus
146 de illis definitivè pronunciandum sit, & exceptionem regalium feudorum, positam in textu *d.* §. 1. ineptè referri ad regulam, ait, de causis judiciorum, utpote de quibus non, sed de collatione feudorum regalium reservatâ Imperatori, concepta sit, ex hac verò collatione regalium feudorum Vicariis interclusâ non sequi, illis quoque cognitionem ac decisionem hujusmodi controversiarum de regalibus feudis esse prohi-
147 bitam; nam & Pares Curiæ judices esse solere in causis feudalibus, cum tamen feuda non conferant. Sed contrà negant alii, *Arum. ad A. B. disc.* 3. *th.* 40. *Rümlin. ad A. B part.* 1. *dissert.* 4. *th.* 19. *circa fin. Riemer. de jurisd. Magistr. sect.* 2. *pos.* 8. *lit. K. quæst.* 2. aliique; horum præcipuè duo sunt fundamenta: (1) quòd textus Aureæ Bullæ *d.* §. 1. id quod minus est Imperatoriæ Majestati reservet, nempe collationem regalium feudorum, quam constet Vicariis esse præclusam, ut adeò id, quod majus est, nempe cognitio & decisio de hujusmodi feudis controversis, multò magis censeri debeat Imperatoriæ potestati reservata, & adeò Vicariis non concessa; (2) quòd Carolus V. Imperator in *Ord. Regim. de anno* 1521. §. ob auch Sachen vorfielen/ nominatim hasce causas regalium feudorum,

rum, velut der Fahnlehen/ sibi reservaverit, & sic potestati Præsidis ac totius regiminis Imperialis subtraxerit; non igitur 148 aliud in Vicariis Imperii censendum esse; atque hæc negativa sententia ponderatis circumstantiis videtur mihi etiam probabilior, ubi prioris argumenti vis posita est in præsumptâ legis voluntate, quæ, dum à regulâ collationis feudorum vicariis 149 permissæ excipit feuda regalia, videri debet non minus cognitionem ac decisionem de his feudis, quâ alterutri parti penitus abjudicarentur, utpotè rem longè majoris momenti per consequentiam excepisse ab alterâ regulâ concessæ judiciariæ potestatis, cum quidem investitura & collatio ordinaria tantum præjudicium alteri non afferat; ex quo apparet, Limnæi objectionem de incongrua exceptione minus stringere, 150 quia licèt in terminis ac verbis formalibus feuda regalia à potestate Vicariorum judiciariâ non excipiantur, sufficit tamen excipi per consequentiam & argumentum à minori ad majus, quod in causis tanti momenti, quicquid obloquatur Limnæus, utique debet valere; nec satis accurata est instantia à Paribus Curiæ, quia hi nominatim in jure feudali cognitionem habent 151 de causis feudorum inter dominum & vasallum controversis, sed in genere tantum, non verò in causis regalium feudorum, quæ tantum ad regem referuntur sive Imperatorem ex *tit. de leg. Corrad. 2. F. 40. in pr.* Ergò non ita generaliter concipiendum est argumentum: quicunque non habet jus inve- 152 stiendi de feudo, ille non habet jurisdictionem de feudo; quo sensu subsumpta de Paribus Curiæ instantia infringit universalitatem majoris propositionis; quando certum est subsumi posse: Pares Curiæ non habent jus investiendi de feudo. Cum tamen conclusio, quæ hinc colligitur, videlicet, ergò Pares Curiæ non habent jurisdictionem de feudo, sit falsa, & sic, cum minor vera sit, infero propositionis majoris falsitatem; sed potius ita formandum argumentum: quicunque non habet 153 jus investiendi de feudis regalibus, ille nec habet jurisdictionem de feudis regalibus; hic enim subsumptio de Paribus vera quidem est, sed non infringit vim propositionis majoris, quia

conclusio, quæ hinc colligitur: ergò Pares Curiæ non habent jurisdictionem de feudis regalibus, non est falsa, *juxta d. t. de leg. Corr.* Et licet consuetudine Imperator adsciverit sæpiùs Pares Curiæ etiam in controversiis feudorum regalium, quâ de re suprà *tit. XII.* dictum est, tamen argumentum adhuc manet firmum, quod ad potestatem Imperatoris attinet, quam pares non habuerunt, sed potiùs vota consultiva
154 ex deductis *d. tit. XII.* & sic benè licebit ita argumentari: Quicunque non habet Imperatoriam facultatem investituræ feudorum regalium, is neque habet jurisdictionem Imperatoriam de feudis regalibus, aut si malimus ita: Quicunque non habet vicariam investituram feudorum regalium, is neque habet vicariam jurisdictionem de feudis regalibus, quæ major propositio vera est, quòd sicut à negatione investituræ regalium feudorum Imperatoriæ rectè negaretur Imperatoria jurisdictio de feudis hujusmodi, sic nulla ratio in vicariis separandi potestatem investituræ vicariam à jurisdictione feu-
155 dorum regalium vicariâ; haud dubiè enim præsumptio est, quæ jura conjunguntur in Imperatore, ea in Vicariis non esse separanda sine lege expresè & specialiter separante, sed talis Lex in hac materiâ deficit, quia licet Aurea Bulla *d. l.* Vicariis neget investituram regalium feudorum, non tamen ex-
156 presè & specialiter statuit, jurisdictionem de hoc feudorum genere Vicariis competere, generalis sc. dispositio regulæ jurisdictionis vicariæ non sufficit, dum Lex eadem, quas causas segregavit ab investiturâ Vicariorum, easdem voluntate præsumptâ censetur etiam segregâsse à Vicariorum jurisdictione, quòd inconveniens sit, quæ in personâ Imperatoris juncta sunt, in personâ Vicarii sine lege speciali & clarâ se-
157 gregari. Alterum insuper argumentum non minùs est validum contra Vicariam jurisdictionem feudorum regalium, si præcipuè consideremus maximam auctoritatem, quæ fuit regiminis Imperii tempore Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum

ratorum, tum quòd summi fastigii personis, putà Electoribus 158
omnibus ac diversis Principibus ac Statibus deputatis eorumve subdelegatis substiterit, tùm quòd negotia maximi momenti huic regimini commissa fuerint, *vid.* Ordnung des Regiments *de anno* 1500. *tit.* wie zwantzig Personen in das Regiment genommen sind, *& tit.* wie alle Sachen bey dem König vor des Reichs Regiment gehandelt werden, item Ordnung des Regiments *de anno* 1521. §. und anfänglich. 1. ubi inprimis notari meretur, potuisse in momentosis causis Rempublicam valdè concernentibus regimen ipsos Electores ac duodecim Principes, ut personaliter comparerent, requirere unà deliberaturos, quæ in rem Imperii ac de salute ejus essent, *dict. Ord. de anno* 1500. *tit.* das Regiment mag die sechs Churfürsten und die andern zwölff Fürsten. *dict. Ord. de anno* 1521. §. würde sich auch begeben. 12. Hoc am- 159
plius constitutum est, ut singuli Electores per quadrantem anni intersint regimini deliberationum publicarum gratiâ, *d. Ord. de anno* 1521. §. zu Beständigkeit des Fürnemmens. quòd si hoc regimen è tantis personis constitutum, & tam arduis causis publicis occupatum, tamen non potuit jurisdictionem exercere in feudis regalibus, definitivè alterutri partium abjudicandis, ex *d.* §. ob auch Sachen vorfielen, quis negaverit, idem de Vicariorum jurisdictione dicendum? Præsertim cum ex *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 7. constet soli Imperatori & Regi Romano in his causis jurisdictionem reservatam, quam reservationem si Lex voluisset etiam ad Vicarios pertinere, probabiliter expressisset. Neque urget ulterior instantia Limnæi; Carolum Quintum hoc expressisse in regimine Imperii, non verò Carolum Quartum in Vicariis & eorum jurisdictione, quia isthæc Caroli V. expressio videtur esse velut quædam in- 160
terpretatio voluntatis Caroli IV.; nam, si Carolus V. censuisset lege constitutum, ut ad Vicarios singulos in interregno vel absentia Imperatoris causæ regalium feudorum pertinerent, nulla fuisset ratio, cur non & toti Electorum collegio totque

totque Principibus ac Statibus regiminis Imperialis easdem
161 causas committeret? Certè ex totâ antiquitate haud reperire liceat ullum præjudicium, quo de controversiâ feudi regalis inter Principes Imperii apud Vicarios in Germaniâ disceptatum judicatumve fuerit, quæ res præbet probabile argumentum, in eo controversiarum genere jurisdictionem vicariam
162 creditam lege non fundari. Nec tantùm usu non obtinuit vicaria in feudis regalibus jurisdictio, sed nec, si competeret, facilè ad usum deduci posset; sanè enim in judicio Vicariatus consueto hasce causas non disceptari, facilè perspicere licet, conceditque *d. c.* 12. *num.* 65. ipse Limnæus, adsciscendos Principes Pares Curiæ, atque adeò in hoc consessu & Parium auctoritate votisque rogatis judicium tale agitaretur
163 præside Vicario; sed quid, si non comparerent, allegantes, nullâ lege cautum, nec usu receptum, ut ad has causas Vicariâ potestate convocentur? Quid, si reus forum declinaret per leges Friderici Secundi, Caroli Quinti & Ferdinandi Primi Imperatorum, quibus, ceu superiori *tit.* 12. expendimus, causæ regalium feudorum solius Imperatoris vel Regis Romani cognitioni ac decisioni personali reservantur, an nihilominus Vicaria jurisdictio & procedendi ra-
164 tio sustineretur? Quòd si tanti momenti controversias vix ab Imperatore ipso sine publico, si non motu, saltem metu armorum resolvi contingit, quid fieret apud Vicarios fortè in interregno? Ergò ex his omnibus colligere licebit, Vicariis jurisdictionem concessam non esse in causis regalium feudorum, neque usu id obtinuisse, nec facilè ad usum perduci
165 posse. Haud obstat, quòd lege Carolinæ Bullæ potestas exercendi judicia Imperii generaliter sit Vicariis concessa; quia jurisdictio regalium feudorum, præterquam quod sit de reservatis, sub generali dispositione Vicariis concessa intelligi non debet, arg. *l. fin.* §. 1. *C. ubi Sen. vel clariss.* & minus con-

congruè adversus speciaiiores rationes urgetur, ex adverso,
sola ferè generalitas regulæ de vicariâ potestate circa judi-
cia; cùm constet, in ejusmodi momentosis causis genera-
lem concessionem non sufficere. Succedit in textu Bullæ 166
potestas præsentandi ad beneficia Ecclesiastica, atque adeò
Vicarii ex communi sententiâ habent exercitium juris pri-
mariarum precum tempore interregni, & consequenter
Curæ ipsorum, non tantùm, quæ ad ordinariam justitiæ ad- 167
ministrationem attinent, commissa sunt, sed etiam con-
cessiones gratiosæ; quod tamen speciali ratione niti vide-
tur: interest enim Imperii, ne jura precum forsan in inter-
regno negligantur, præsertim cum inter alia fundamentum
habeant ex consuetudine, sed hæc ratio cessat in aliis indul- 168
tis gratiæ, velut in privilegiis de non-appellando, vectiga-
lium, & similibus, unde ex hoc loco Bullæ ad illa non de-
sumeretur stringens argumentum. Neque dubito, quin 169
idem sentiendum sit de Vicariatu in casu absentiæ Impera-
toris vel quo simili; exercitium enim precum etiam tunc
observandum est militante eâdem ratione, etsi Imperatori
absenti hoc jus gratiosæ concessionis non sit interclusum.
Verùm ab illâ sententiâ recessit Limnæus ad *A. B. d. t. 5. §. 1.* 170
obs. XI. hoc argumento, quòd sive ex indulto Pontificis jus
primariarum precum Imperatori asseratur, sive ex appro-
batâ consuetudine & jure suo, post mortem concidat, nec
ad Vicarios referri queat. Itaque ipse ibidem circa finem 171
locum hunc Aureæ Bullæ de Vicariorum præsentatione ad
beneficia Ecclesiastica mavult interpretari de jure patrona-
tus, quod, cum Imperator vivus habeat, morte ejus re-
vertatur ad Imperium; hoc enim esse illud jus, quod Vi-
carii exercere possint in interregno. Limnæi vestigia pre-
mit Dn. Mulzius, sed auctore non allegato, quando *pag. 2.*
repræs. Majest. Imp. c. XXXIII. num. 249. scribit: *Jus hoc* 172

primariarum precum Imperatori personale est, quod ipsi competit, quatenus Imperator est, propterea in vicarios non cadit; quamvis enim in Aureâ Bullâ tit. 5. ipsis data sit facultas præsentandi ad Beneficia Ecclesiastica, quod de patronatis intelligendum est, tamen non exercent jus primariarum precum, quia non sunt ipse Imperator vel Rex, cui ju-
173 *re Majestatis id competit.* Sed fallitur certè uterque, & Mulzius adhuc magis, quando istum Aureæ Bullæ locum de patronatis Ecclesiis intelligendum ait, cum jus patronatus Imperatoris, de quo Limnæus loquitur *d. l.* universale sit respectu Ecclesiarum per Imperium, sive patronatæ fuerint, sive non, & speciale respectu Ecclesiæ Romanæ, quâ de re *art. 1.*
174 *Capit. Cæs.* sermo est, & suprà diximus *Tit. XI.* Igitur uti patronata Ecclesia nomen suum non refert acceptum patronatui generali Imperatoris, sed speciali patrono, qui in eâ jure nominandi sive præsentandi ex specialibus causis dotationis, ædificationis aut fundi præstiti gaudet, sic non plus in patronatis, minus juris in non patronatis vel Imperator vivus, vel in interregno Vicarii habent; & sic concidit restrictiva explicatio Mulzii ad hunc Bullæ Carolinæ
175 textum. Uterque verò in hoc errat, quòd putent, in vicarios jus primariarum precum non cadere, quamvis ex Aureâ Bullâ iis conveniat præsentatio ad beneficia Ecclesiasti-
176 ca; nam Imperatori non competit alia ex jure patronatus Ecclesiarum præsentatio ad beneficia, alia per preces primarias, sed est hæc una & eadem, quæ ex veteri jure concessiones dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum Imperatori Ecclesiarum communi patrono est relicta, consuetudine exercita per literas precum primariarum, & per indulta Pontificum subsecuto tempore approbata. Quòd hoc ita sese habeat exemplis Cæsarearum concessionum in beneficiis Ecclesiasticis est manifestum; nec enim in hoc gene-

genere alia species impetratæ Imperialis gratiæ usu demonstrari potest, nisi quæ obtigerit per literas precum: certè ipsimet Imperatores in rescriptis gratiosis ad beneficia Ecclesiastica duplex fundamentum exprimere solent juris hujus competentis; sc. consuetudinem & indulta Pontificum; gratia tamen Cæsareæ præsentationis non ideò duplex propriè & in effectu est, quia aliam & aliam causam habet; itaque si quis tertium principium adjecit, nempe communem Ecclesiarum patronatum, non alia subnascetur præsentatio; sicut patria potestas non ideò triplex est, quia vel per justas nuptias, vel per adoptionem, vel per legitimationem acquiritur: jam quia Imperatoria præsentatio ad beneficia Ecclesiastica ex deductis hæc una & sola est, quæ per literas primariarum precum exercetur, necesse est, ut non alia Vicariis ex lege deferatur in interregno, & per consequens exercitium primariarum precum iisdem ex Aureâ Bullâ rectè asseritur, cum duplex præsentatio Imperatoria ex jure precum & patronatus nullâ lege fundetur. Neque urget in contrariam partem ratio Limnæi suprà adducta; falsâ enim nititur hypothesi, quasi præsentatio ad beneficia Ecclesiastica, quatenus ex consuetudine fundatur, prorsus intereat morte Cæsaris, non verò quatenus patronatus respicit ad Vicarios transitorium; cur enim quod jus antiquâ consuetudine est obtentum, quà tale, post mortem Imperatoris minùs revertatur ad Imperium, atque ita lege deferente ad Vicarios transeat, quàm jus communis patronatus Cæsaris, haud animadverto; possunt enim Vicarii magis, certè non minus pro fundamento præsentationis ad beneficia Ecclesiastica allegare consuetudinem, quàm patronatum Imperatoris communem, quo solo seclusâ consuetudine ad primum cujuslibet Ecclesiæ vacans beneficium præsentare

177 (beside line 2) · 178 (beside line 9) · 179 (beside line 12) · 180 (beside line 21) · 181 (beside line 26)

 tare

tare, longè difficilius esset, & quæsiverim ego, si ex mero
182 jure patronatus Cæsarei res hæc æstimanda, cur præsentatio restricta sit ad prima beneficia, cum hoc non ita se habeat in aliis patronorum beneficiis; ast ex consuetudine ratio reddi potest, quia nimirum hoc ita antiquitùs fuit observatum, quanquam jus illius patronatus & Ecclesiasticum totum, quod olim Imperatores habuerunt, haud negaverim consuetudini harum reliquiarum causam dedisse, & cum ex deductis negari nequeat, Vicariis, qui in interregno non ampliorem ad hæc beneficia præsentandi facultatem habent, quàm Imperator vivus, ad sola prima beneficia Ecclesiastica præsentationis jus esse, de nomine tantum Vicariarum precum, Limnæus litem mo-
183 visse re admissâ videbitur; quid enim judicabimus esse Vicariorum literas præsentationum ad prima beneficia Ecclesiastica, quam exempla vicariarum precum, quæ in interregno primariæ sunt. *Conf. Limn. lib.* 13. *jur. publ. c.* 12. *num.* 66. ubi ipse ex Brautlachtio præsentationem Vicariam ad beneficia Ecclesiastica per primarias preces
184 explicat. Ad rationem Mulzii facilis est responsio, eam sc. non concludere, quia jura omnia, quæ à Vicariis exercentur, per se Imperatoris sunt, sed ad Vicarios interim ex lege Imperii exercenda referuntur, dum caput novum electum Reipublicæ præsit, nec idcircò oportet Vicarios esse Imperatores, aut, quia Imperatores sive Cæsares non
185 sunt, Cæsareorum jurium exercitio destitui; nihilominus enim hæc ad Vicarios pertinent, quatenus lege sunt commissa, atque ab iis etiam exercentur non proprio, sed Imperii ac futuri Imperatoris, cujus interim vices gerunt, nomine, itaque argumentum Mulzii retorqueri posset contra omnia jura Vicariis per Bullam concessa, nec magis
186 enim in his Vicarius qua talis Imperator est, quàm in pre-
cibus

cibus primariis, habet tamen ex lege exercitium. Illud ulterioris est indaginis, an adhuc hodiè facultas primariarum pre- 187
cum ipso effectu sit penes Vicarios? Disputata quæstio est à diversis variè: *vid. Syring. de Par. Relig. conclus.* 31. *Rümlin. ad Aur. Bull. p.* 1. *dissert.* 4. *th.* 17. *Arum. ad A.B. disc.* 3. *th.* 35. Sed hi tantùm loquuntur de collegiis Canonicorum Evangelicæ religionis, an adhuc hodiè jus precum ab Imperatore in illis exerceri queat, vel à Vicariis in interregno; de priori membro suprà dixi *tit. XI.* de hoc idem asserendum videtur, sed non tota quæstio est, quæ sub 188
dubitationem vocari potest; nam & de collegiis Catholicis quærere licet, an Vicarius Evangelicus in illis possit exercere jus precum? Quæ quæstio maximè antehac valuit, cùm uterque Vicarius Saxo & Palatinus esset Evangelicæ religioni addictus; hodiè in Palatino Vica- 189
riatu, postquam decessione lineæ Simmerensis in Neoburgicam Electoratus transiit, cessat, quòd sive ad Bavarum, sive ad Palatinum Electorem, hic Vicariatus referatur, Principi Romano-Catholico jam competat; quicquid verò sit, responderi potest affirmativè ad to 190
tam quæstionem, Vicarium nempe etiam diversæ religionis in Imperio tamen probatæ, habere exercitium primariarum precum, ut, sive Catholicus sit in terris Evangelicorum, sive Evangelicus in terris Catholicorum, sui sc. Vicariatus, ad prima beneficia Ecclesiastica præsentare queat, pariter ut Imperator vivus, quâ de re in *Instr. Pac. art.* 5. §. *ubi Sacra Cæsarea.* 18. ita cautum est; ut Imperator in Ev- 191
angelicis Episcopatibus tantùm Evangelicos, in mixtis verò vel Episcopatibus vel aliis locis, ubi sc. partim Catholici partim Evangelici sunt Canonici, consortem religionis, cujus erat prior possessor, ad beneficium vacans præsentet, eodem ergo modo ad Vicarios pertinebit in interregno

192 exercitium precum. De Episcopatibus merè Catholicis nihil
dispositum in *d. §. ubi Sacra Cæsarea*, sc. quia nulla ratio
dubitandi fuit de Imperatore, quin habeat jus primaria-
rum precum in terris planè Catholicis, sed de Vicario Ev-
angelico, putà hodiè de Saxone, quæstio esse potest de pre-
193 cum exercitio in aliquo Vicariatus sui Episcopatu Catholi-
co; & certè, quantum ad concessionem Pontificis, qui in-
dulta sua de jure precum ad Vicarium non Romano-Ca-
tholicum referri haud quaquam concedet, difficulter hu-
jus juris procederet exercitium; verum, quia idem jus, uti
suprà *d. tit. XI.* satis est probatum, non solâ Pontificis con-
cessione, sed jure Majestatis Cæsareæ & consuetudine sub-
sistit, Vicarius Evangelicus ad præsentationem beneficii Ec-
clesiastici primi æquè est admittendus, ac Imperator ad-
194 mitteretur, si Reip. jam præesset; videlicet, quia ejus vi-
ces gerit, tùm in hoc jure tùm in aliis; quo tamen casu
dubio procul non nisi Catholicus præsentari posset, ut
quemadmodum in terris Evangelicis restricta est Impera-
toria præsentatio, per *d. §. ubi Sacra Cæsarea*, sic argu-
mento saltem hujus paragraphi restricta intelligatur & Vi-
caria præsentatio in terris Catholicis. Et hæc de Vicario-
195 rum jure præsentationis ad beneficia Ecclesiastica. Sequi-
tur ex textu Bullæ *d. l.* facultas recolligendi reditus vel
proventus Imperii, **das Recht des Reichs Renten und
Einkommen einbringen zu lassen**, quæ res tamen non
tribuit Vicariis acquisitionis propriæ, lucri vel consumptio-
nis potestatem, quod annotaverunt juris publici scripto-
res, *Arum. d. disc.* 3. *th.* 36. *Limn. ad* §. 1. *obs. XII. &
lib.* 3. *jur. publ. cap.* 12. *num.* 68. *Ruml. d. dissert.* 4.
th. 18. argumento ab administrationis jure petito. *l. qui
proprio.* 46. §. 4. *ff. de procur. l. qui negotiationem.*
58. *pr. ff. de admin. tut.* quanquam eis utique, si quid
impen-

impenderint in res Imperii, repetitio vel deductio competeret, quòd nemini administratio debeat esse damnosa. *dd. alleg. loc. fac. l. à tutoribus.* 13 *ſ. fin. ff. d. t. de adm. tut.* §. 1. *& tt. ff. de contr. tut. act.* Cæterùm quinam 196
sint illi reditus vel proventus Imperii, penitiùs considerandum est, olim fuisse magnos & varios, constat ex historiis & traditis suprà *tit. X.* in explicatione *const. Frid. quæ sint regal.* sed hodiè valdè minutos esse certum est, ut penè nullos dicat Arumæus *d. th.* 36. *in fin.* ubi unicum 197
exemplum subjicit in collectis Imperii, consensu Statuum decretis; sed adhuc alia supersunt, velut in contributionibus urbium Imperii ordinariis, de quibus est textus in *Capit. Leop. art.* 29. ubi fatetur invictissimus Imperator noster, Imperii reditus valdè minutos, & restitutionem pollicetur in reliquis, ac nominatim contributionibus urbium, his verbis: **Und nachdem das Röm. Reich fast höchlich in Abnehmen und Ringerung gekommen, so sollen und wollen wir neben andern, die Reichs-Steuer der Städt, und andere Gefällen, so in sonderbarer Personen Hände gewachsen und verschrieben, wiederum zum Reich ziehen.** Referri etiam huc debent compendia mulctarum in 198
supremis Imperii tribunalibus; nam hodienum, licet casus rariores sint sententiarum declarationis, ad fiscum Cæsareum pertinent mulctæ istæ, secundùm deducta *tit. XII.* & consequenter in interregno ad curam Vicariorum, huc 199
& retulerim cætera compendia pœnarum ex confiscationibus, quibus casibus adhuc jus Imperatorium respiciunt, item reditus ex feudis Imperio apertis, sive casus contigerit morte, sive per feloniam. In his & similibus enim sollicitudini Vicariæ recollectio est commissa tempore interregni. Porrò Vicariis quoque defertur investitura de 200
feudis Imperii, **die Verleyhung der Reichs-Lehen**, exceptis

ceptis tamen feudis Principum & vexillorum regalibus, vulgò der Fahn-Lehen, de quibus posteà; ea verò investitura intelligenda est de renovatione vel novâ recognitione feudi in interregno, quæ res dubitationem non recipit; sed, an Vicariis competat potestas conferendi feuda
201 Imperio aperta, quæritur? Exempla referuntur ex Authore des kurtzen Berichts von der Churfürstl. Pfaltz zustehendem Vicariat, quibus Rupertus & posteà Ludovicus Quartus Vicarii Palatini suo quisque tempore novas concesserint investituras; sed exempla eadem Limnæus *d. l.* partim ex Aureâ Bullâ, partim ex regulâ juris feudalis tralatitiâ, quòd administratori non competat facultas conferendi nova feuda, impugnat & refellit; ego paulò post hac de re dicam circa punctum prohibitæ Vicariis alienationis; interim illud magis declarandum est,
202 quænam feuda collationi Vicariorum commissa sint? Respondeo esse omnia nobilium feuda, der Reichs-Ritter Lehen, quæ licet nobilitatem inferant, non tamen annexum habent officium regale Ducis, Marchionis &c. sed & quæ alii fortè nobiles feuda recognoscunt ab Imperio, eodem jure sunt, ut in interregno Vicariorum respi-
203 ciant collationem ex regulâ Bullæ. Ab hac verò regulâ ipsa Lex excipit feuda vexillorum, quæ sc. sub solennitate vexilli consueverunt conferri; hodiè, licèt ritus vexilli in feudorum investituris haut soleat observari, cum adhibito gladio ea feuda conferantur, secundùm tradita *tit. XII.* nemini tamen dubium est, quin quæ ætate Caroli IV. Imperatoris vexillorum fuere feuda, à collatione Vicariorum
204 excepta, hodienum eo statu sint, ut in interregno conferri nequeant. Sed hic duplici ulteriore declaratione opus est; nimirum in feudis Ecclesiasticis majoribus, quæ olim non per vexillum, sed quamdiu collatio juris Episco-

palis

lis vel Archiepiscopalis ordinaria penes Imperatores indubiè fuit per baculum & annullum, posteà per sceptrum conferebantur, hinc vulgò dicta Scepter=Lehen, an hæc quoque sub exceptione Vicariæ collationis sint. Dein 205
de quid obtineat in feudis Comitatuum Imperii vel Baronatuum, quæ nec olim regulariter per vexillum collata videntur, nec hodiè, parem habeant cum feudis Principatuum investituram, videlicet adhibito ense. Utrique huic feudorum generi obstare dixeris qualitatem à lege expressam, 206
feudi nimirum vexillorum; quòd per vexillum conferri more prisco non solerent, atque sic non ad exceptionem, sed regulam Vicariæ collationis, referenda videantur. Sed contrarium rectè placet aliis. *Rumlino d. dissert. 1. th. 19. Limn. ad A. B. d. tit. 5. & §. 1. th.* 20. Fundamentum duplex, 207
est primò in ipso textu Aureæ Bullæ *d.* §. 1. cujus verba ita concepta leguntur: *feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ vulgò* Fahn=Lehen, *appellantur,* quibus apparet, feuda Principum, quà talium, universa excipi à vicariâ collatione, cum generaliter excipiantur; sicut verò omne, 208
quod sub complexu verborum regulæ est & exceptionis ratione destituitur, ad regulam pertinet, ita omne, quod sub verbis exceptionis comprehendi potest, ad exceptionem referri debet: *arg. l. Gajus. 86. pr. ff. de leg. 2. l. patronus* 35. §. 1. *& l. heres.* 100. §. 2. *ff. de leg.* 3. Secundum fun 209
damentum petitur ex diplomate Rupertino, quo Romanorum Rex Rupertus in Italiam abiturus concessit Vicariatum filio Ludovico, & inter alia collationem feudorum Imperii, *vid. Freher. ad Petr. de Andlo lib. 2. c.* 10. *pag.* 193. sed excepit tamen Rupertus majora feuda atque insigniora hisce verbis: *exceptis duntaxat feudis insigniis* (ita scribebant 210
tunc) *Archiepiscoporum, Ducum, & Marchionum, & quæ cū vexillis seu gladiis recipi consueverunt, & de quibus offi-*

 cialibus

cialibus Imperialis curiæ de more ſervitur. Ubi expreſſa ſit
Archiepiſcoporum mentio, & ſic conſtat non ſola ſe-
cularia vexillorum feuda, ſed Eccleſiaſtica quoque Prin-
cipibus per ſceptra conferri ſueta excipi à Vicariâ in-
211 veſtiturâ. Verùm hinc emergit novus ſcrupulus, quòd
Epiſcoporum commemoratio planè ſit omiſſa, adeoque
diploma Rupertinum non probet, præcluſam Vicariis
eſſe inveſtituram de Epiſcopatibus & aliis feudis Eccle-
ſiaſticis majoribus, ut ſunt Abbatiæ Principalis juris,
212 imò potiùs contrarium hinc quis colligat, quòd Ru-
pertus hoc ita expreſſerit per particulam excluſivam *dun-
taxat*; & conſequenter, præter nominata, cætera feu-
da omnia magis incluſerit Vicariæ collationi. Sed uti
ſæpius accidit, leges poſteriores referri ad priores, atque
ex illis interpretationem accipere, *l. non eſt novum* 26.
213 *ff. de ll.* Sic non immeritò dicendum, quod verbis de-
eſt Rupertini diplomatis ſupplendum ex Bullâ Caroli
Quarti eſſe, in quâ verba præallegata generalia, *feu-
dis Principum duntaxat exceptis*, non minus Epiſcopo-
rum & Abbatum, qui ſub Principibus comprehendun-
tur, quàm Archiepiſcoporum feuda ſecludunt à Vica-
214 riâ collatione. Et ſi omninò ſtrictè acciperemus di-
ploma Rupertinum, nec ſub eminentiori Archiepiſcopo-
rum nomine Principes Eccleſiaſticos alios, virtualiter in-
cludi admitteremus, ex eo tamen argumentum gene-
rale ſumi non poſſet pro Vicariâ Epiſcopatuum aliorumve
Principatuum Eccleſiaſticorum inveſtiturâ, quia Ruper-
215 ti diploma non eſt Lex perpetua, ut Aurea Bulla Caro-
li Quarti, ſed tantùm exemplum conceſſi Vicariatus à
Rege Romano, quod licet pro declaratione Bullæ Ca-
rolinæ, non tamen ad abrogationem ejus, vel deroga-
tionem allegari poteſt, unde hodienum Epiſcopatus cæ-
teri-

terique Principatus Ecclesiastici virtute generalis exceptionis dictæ Bullæ â Vicariâ investiturâ censeri debent exempti, tantò magis, quòd eadem hodiè investiendi 216
ratio per ensem communis sit & surrogata investitutis sive per sceptra, sive per vexilla, uti suprà *tit. XII.* dictum. Ac iisdem argumentis tàm Principatus novos post Bullam Carolinam in eum dignitatis gradum evectos, quàm Comitatus Principatibus pares, Gefürstete Graf- 217
schafften, comprehendi sub exceptione generali Vicariæ investituræ exclusivâ dicendum est, quia generalis dispositio pertinet etiam ad subsequentia & paria, *l. peculium.65.pr.ff.de leg.2.l.denique.8.§.8.ff.de pecul.leg.*
Sed in Comitatibus ac Dynastiis infra Principatus jura con- 218
stitutis & in Abbatiis minoribus est magis dubia quæstio, num ad Vicariam collationem feudalis investitura eorum pertineat. Quia sc. nec Principatus sunt nec Principatibus pares, nec ad vexillorum vel hodiè surrogatam investituram per ensem referuntur. Aurea verò Bulla. alterutrum requirere videtur, vel feuda Princi- 219
patus vel morem investituræ per vexillum, ad hoc ut locus sit exceptioni à Vicariâ collatione, & consequenter cùm nec ex Bullâ Carolinâ nec ex diplomate Ruperti præallegato, satis clarè videatur constare, id genus feuda esse excepta, à regula investituræ Vicariæ probabile quis dixerit, ad Vicariam potestatem in interregno pertinere, eorundem feudorum collationem.
Sed ex adverso considerari potest primò ipsius Aureæ 220
Bullæ textus, qui non sola fenda Principatuum excipit à Vicariorum investiturâ, *d. tit. 5. &* §. 1. sed feuda vexillorum etiam; cum enim regulæ Vicariæ investituræ subjecisset generalem exceptionem in feudis Principum, 221
mox addit verba: *& illis, quæ vulgò* Fahn-Lehen, *appellan-*

pellantur (pariter sc. exceptis) unde satis clarè sequitur, valuisse tunc temporis investituram per vexillum, etiam extra feuda Principatuum, aliàs, si cuncta feuda vexillorum fuissent Principatus, superflua prorsus adjectio de feudis vexillorum fuisset, at superfluitas ejusmodi non præsumenda, sed vitanda est, tùm in aliis, tùm maximè in legibus; po-
222 sito autem, ex his præter Principatus etiam alia fuisse feuda, quæ ætate Caroli Quarti conferebantur per vexilla, hæc certè vix alia, quàm Comitatuum esse potuerunt, quod infra Principatus non alia insigniora dentur; non dico, ex hoc textu pervinci, omnia Comitatuum Imperii feuda collata esse tempore Caroli Quarti per vexillum, sed aliqua, ac dubio procul potiora Comitatuum fuisse, ex deductis rectè colligi, negari vix potest. Deinde subsecutis Bullam Carolinam legibus indistinctè omnes Comitatus Im-
223 perii feudales, cognitioni Imperatoriæ reservati sunt, Ord. des Regiments *de anno* 1521. *d.* §. ob auch Sachen vorfielen. *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 7. ut eadem videatur esse reservandæ investituræ ratio, præsertim cum Comes Imperii non minus, quàm Dux vel Marchio (qui Principes sunt) inter Capita-
224 neos regni referatur jure communi feudali, ex 1. *F.* 1. *in pr.* nec aliam habeat eo jure investituram. 2. *F.* 10. & cum prætereà Comites etiam, quorum Comitatus feuda sunt Imperatoris & Imperii, collegio Principum licet, inæquali juris Comi-
225 tialis participatione intersint, adhuc sub exceptione Vicariæ investituræ comprehendi arbitror, idque benè defendi posse cum Rumlino *d. dissert.* 4. *th.* 19. In Baronibus Imperii, non tum origine officii regalis, quippe de quo in Imperio nostro vix constat, quàm æquiparatione Comitum Comitiali, idem sentiendum, quò & pertinet generalis nota *d.* §. ob auch Sachen vorfielen, quæ per &c. est
226 subjecta Comitatibus, & includere videtur Dynastias feu-

feudales Comitatibus pares, ſanè Dynaſtias Subofficialium, qualis eſt Pincernæ de Limpurg, ipſo diplomate Ruperti excipi cenſeo à Vicariâ inveſtitura verbis hiſce præallegatis: *& de quibus officialibus Imperialis Curiæ de more ſervitur.* Addi poteſt, Barones Imperii non minus hodiè in Baro- 227
natibus juri dicundo præeſſe cum omnimodâ jurisdictione ſolere, quàm Comites in Comitatibus, uti experientiâ notum; ſed hoc tamen de Dynaſtiis Imperii, quarum domini pari jure ſive territoriali ſive comitiali gaudent cum Comitibus accipiendum, non de novorum Baronum bonis feudalibus. Et in univerſum illud haud omittendum eſt, Principum, etiam Comitum vel aliorum Imperii Procerum feuda, ſenſu reduplicativo intelligi exempta Vicariæ inveſtituræ, ſc. Principatus, Comitatus, quà tales, non verò ſi Principes, aut Proceres, feuda non regalia fortè acquirant; 228
hæc enim à Vicariis conferri poſſe & recognoſci debere, quid obſtet, nihil video, niſi forſan Principatibus aut territoriis acquirentium legitimè fuerint incorporata, ut jam non diſtinctâ inveſtiturâ à Principatu, vel iſto territorio conferri debeant. Hoc amplius etiam notandum venit, 229
exceptis lege à Vicariâ inveſtiturâ, per tempus interregni non currere terminum annalem renovandæ inveſtituræ, quia per clauſulam reſervatoriam Bullæ Carolinæ ex conſequentiâ non habent, à quo de feudis ſuis exceptis interim inveſtiri deſiderent; eſt igitur par ratio, ut in appellantibus, qui non habent copiam judicis, quibus propterea fatale appellationis non incipit currere, per *l.* 1. §. 7. *ff. quand. appell. ſit*; aliud igitur diceremus in feudis Imperii non regalibus, quorum cum inveſtitura à Vicariis poſſit conferri, eadem quoque intra tempus legitimum debent recognoſci. Et hæc de inveſtiturâ, ſequitur juramenti receptio, *d. tit.* 5. *&* §. 1. 230
in verbis: *juramenta fidelitatis vice & nomine S. Imperii recipiendi.*

cipiendi. Est autem juramentum fidelitatis duplex: pro feudo, quod vasallagium vocant, nostro idiomate, die Lehens-Pflicht, & pro devotione superioritatis, ut ita ex usu loquar, vulgò homagium, sive die Huldigung, prius juramentum præstant vasalli, posterius devotè subjecti extra respectum feudi; ac licet verba Aureæ Bullæ jam relata ge-
231 neralia sint, non est tamen, cur dubitemus intelligenda esse de terminis habilibus, quatenus nimirum à Vicariis vicissim id posset præstari ac præstaretur, cujus intuitu juramentum fidelitatis exigitur, intelligo investituram de feudo; sunt enim præstatio juramenti fidelitatis & investitura
232 conjunctissima, adeò ut jure feudali, investitura saltem abusiva præmittatur juramento; *ex tit. quid præced. deb. 2. F.* 4. quod etsi usu non æque servetur in feudorum jure successionis quæsitorum recognitionibus, ubi juramentum præmitti ac investitura sequi solet, ceu observatum in investiturâ Electoratus Palatini à Ferd. Primo Imperatore factâ Friderico Tertio Electori Palatino, quem integrum actum descripsit Goldast. in Reichshandlungen, *p. m.* 190. 191. *&* 192. certum tamen est eodem actu absolvi utrumque, & sicubi nulla sit investitura de feudo, cessabit etiam præstatio vel receptio juramenti, & consequenter Principes Im-
233 perii aliique, quibus à Vicariis non conferuntur feuda, haud præstabunt Vicariis juramenta fidelitatis in interregno. Quæ res in his, qui jam antè Imperatori præstiterunt juramentum, ratione aliâ nititur, quòd sc. Imperio jam sint devincti, cùm vasalli jurare soleant Imperatori & Imperio fidelitatem, ut adeò cessante investiturâ Vicariâ,
234 nulla supersit causa novi juramenti in interregno. Secundum hæc itaque nobiles Vasalli Imperii cæterique feuda non regalia habentes obstricti erunt ad juramenta Vicariis præstanda nomine Imperii, pro quibus vicissim investitu-

ras

ras feudorum recipiunt. Quid in homagiis civitatum, an ea quoque possunt à Vicariis denuò exigi tempore inter regni? Sic videtur, si generalitatem textus Bullæ respicia- 235
mus, sed si rationem attendamus, quòd Imperatori & Imperio fidelitatem prius juraverint urbes, insuper habenda erit nova exactio jurisjurandi nomine Imperii, vel saltem non erit necessaria; nec enim pariter ut vasalli jurantes pro hoc juramento, vel intuitu ejus investituram recipiunt, *add. Limn. ad d.* §. 1. *obs.* 16. quanquam novum jusjurandum si intuitu interregni petatur, haud videatur Vicariis regulâ Bullæ subnixis rectè negari. Illud utique constat sive ex juramento repetito apud Vicarios, sive ex antè præstito Imperatori ad obsequia obstringi Vicariis omnes Princi- 236
pes Status, & Nobiles, & omnes omninò, qui fidelitatem Imperio juraverunt; neque enim fidelitas hæc jurata verè servaretur, nisi vices Imperii gerentibus præstarentur legitima obsequia; & rursus Vicarii obligati censentur 237
ad publicam tutelam nomine & vice Imperii, cum justum æquumque sit, fideles Imperio adversus vim injustam publicis viribus defendi. Et hactenus de his, quæ Vicariis per Auream Bullam expresśè sunt concessa, ea tamen, ut sunt verba ulteriora textus, *per Regem Romanum posteà electum suo tempore omnia innovari & de novo juramenta ipsi præstari debebunt*; cujus generis confirmatio actorum gestorumque Vicariatus Ruperti Palatini diplomate Caroli IV. 238
Imperatoris suprà relato exhibetur. Quærit verò hîc Limnæus: Cui bono innovatio investituræ & novi juramenti præstatio respectu Imperii fiat, ac subjicit, etiam respectu Imperatoris videri omitti posse, si tempore interregni investiti jurarent, se fore fideles Imperio & futuro Romanorum Regi, *d.* §. 1. *obs. XVII.* Fateor quoad Imperium mi- 239
nus necessariam apparere hanc innovationem, neque hoc respectu

respectu in textu Bullæ desideratur, sed intuitu Imperatoris, cujus interest habere vasallos sibi personaliter jurejurando obstrictos, quæ res si non arctius, saltem expressius vinculum continet, quàm vagè jurata futuro Impera-
240 tori fidelitas, quin & ipsius vasalli interest confirmatione Imperatoriâ investituram Vicariâ auctoritate factam magis securam reddi; est nempe ipsa hæc innovatio nihil aliud, quàm confirmatio gestorum Vicarii, ac sufficiet, Imperatorem gesta Vicariorum, velut judicialia actitata, præsentationes ad beneficia, exactiones & recollectiones redituum Imperii, collatasque investituras, omnia, inquam, hæc, & si quæ talia sint, generali approbatione rata habere, ita tamen, ut præstita Vicariis nomine Imperii
241 juramenta speciali ratione de novo repetantur. Nec eò deveniendum est, ut existimemus, ante Cæsaream confirmationem gesta Vicariorum nomine Imperii haud valere, vel in suspenso esse, sed additur hæc confirmatio in majus robur, & ut auctoritate Imperatoria constet, Vicarios in interregno dextrè functos esse officiô.
242 Majoris indaginis succedit quæstio, an vicaria potestas negotiis suprà scriptis & in Aureâ Bullâ expressis præcisè consistat, an verò ad alia etiam non expressa se extendat, sive, quod idem est, an sit generalis? Disputaverunt hac de re Limnæus & Sinoldus Schüz; Affirmavit ille prius *libr. 3. jur. publ. cap. 12. num. 81. & sequ. item ad cap. Carol. V. art. 3. verb.* **Pfaltz-Sachsen**, *num. 15. & sequ. nec non tom. 5. jur. publ. in add. ad lib. 3. cap. 12. num.* 40. Hic contrà posterius adstruxit, *vol. 1.*
243 *disp. 5. th. 12. lit. a. & vol. 2. disp. 10. th. 2. lit. c.* Rationes utriusque apud ipsos legi possunt prolixius; summa hæc est: Limnæus textum Aureæ Bullæ *d.* §. 1. certa tantum negotia hactenus explicata Vicario Palatino, & §. 2.

Saxoni

Saxoni pariter commisisse dicat, Sinoldus contrà existimet, præter Vicarii officium per se, quo idem possit, quod ille cujus est Vicarius, demonstrari generalem potestatem ex verbis Bullæ: *esse debet provisor ipsius Imperii*; Sed hæc Limnæus ait restringi per contextum verbis immediate subnexis: *cum potestate judicia exercendi &c.* Quæ Sinoldus tantùm accipit ut declaratoria, quid dicendum? utrumque ex parte rectè sentire, neutrum ex toto; nam 244
quod Limnæum attinet, rectissimè negat contra Sinoldum, Vicarium Imperii in non expresse prohibitis omnia posse, quæ possit Imperator; cum enim plurima sint jura reservata Imperatoris, quorum exercitium nec expressâ lege 245
defertur Vicariis, nec concessione etiam generali provisionis Imperii, tanquam ad hunc scopum non pertinens, delatum intelligi debet, meritò deficiente solido concessionis fundamento negatur ipsa concessio, nec est, ut Si- 246
noldus ad Vicarios juris communis provocet, quia hi minimè participant suprema Imperatoris jura, & maximè differunt à Vicariis nostris; igitur non est bonum argumentum: Vicarii de jure communi possunt exercere omnia jura ejus, cujus vices gerunt, ergò & Vicarii nostri Imperii jura Im- 247
peratoris; nam à juribus Præfectorum Prætorio, quorum prisci illi Vicarii in partibus assignatis quodammodò ex administratione participes fuerunt, non rectè argumentaremur ad jura Imperatoris reservata, & quòd ea in interregno 248
Vicariis nostris omnia sint collata; omitto differentiam ratione privilegii de non appellando ipsomet jure veteri inter Præfectos Prætorio & eorum Vicarios ex prædeductis perspicuam. Secundum quæ meritò negari arbitror, posse Vicarios nostri Imperii indifferenter omnia Cæsarea jura 249
exercere, eaque ipsis commissa esse, tametsi scopum Vicariæ provisionis Imperii propriè non concernerent: per

250 exemplum, si Vicarii in interregno concedere vellent Principum alicui vel Statuum jus Academiæ vel studii universalis, privilegia vectigalium vel monetarum (posito adesse consensum Collegii Electoralis) privilegia de non-appellando, electionis fori vel similia, non valere putarem; quid enim hæc ad Rempublicam pertinent, vel provisionem Imperii, cùm potiùs expediat id genus indulta minui vel omitti, *arg. Rec. Imp. de anno* 1654. §. weilen auch der
251 Ständen. 116. Sic si regium dare titulum vellent, si Principes creare in interregno, si Judicem Cameræ constituere, cùm interim à Præsidibus directio justitiæ benè suscipi possit, in his & similibus reservatis majoribus, similiter vereor dicere, republicâ non efflagitante, exercitium Vicariis vi generalis provisionis esse commis-
252 sum. Ast verò quando publica salus, utilitas vel necessitas in interregno provisionem exposcit, quin Vicarii tunc succurrere, publica damna avertere, commodaque Imperii promovere jurium utcunque majorum reservatorum exercitio, possint debeantque, etsi ea in Aureâ Bullâ nominatim non expressa vel commissa illis fuerint, asserere cum Sinoldo adversus Limnæum pror-
253 sus non dubito. Ad quod me movet (1.) consideratio finis vicariæ provisionis, qui sine dubio ex Republicâ æstimandus, ac per se favorabilis est; quò enim magis adjuvatur publica salus provisione Vicariorum, hoc magè rectiùs agi, finemque Vicariæ sollicitudinis obtineri, nemo est, qui negare ausit; ergò ad eam rem suf-
254 ficiet generalis commissio curæ Imperii, quam Vicariis factam, demonstrant generalia verba, *esse debet provisor ipsius Imperii*, quibus etsi nominatiora quædam negotia fuerint subjecta, non tamen expresso tenore ad hæc sola factam esse potestatis Vicariæ restrictionem legimus.

gimus. Probatur (2) adversus Limnæum generalitas Vicariæ curæ hunc in modum: Si ad sola per Auream Bullam expressa referretur provisio Imperii, sequeretur frustrà interdictionem alienationis rerum Imperii subjectam esse. Sed frustrà subjecta non est, cum superfluitas omnis in legibus vitanda sit, nec præsumatur, ergò ad sola expressa per Auream Bullam provisio Imperii referenda non est, & consequenter subintelligitur generalis; majorem propositionem probo & declaro ulterius: quia hæc facultas alienandi, jam in effectu fuisset interdicta, ex quo non expressè in præcedenti Bullæ contextu est permissa; cum ergò Legislator Carolus Quartus nihilominus addiderit ad expressa alienationis prohibitionem, satis hinc est perspicua mens ejus, quòd nimirum præcedentium expressionem non intellexerit sensu planè exclusivo. Quod & (3) suadet ratio subjectæ materiæ: est enim articulus valdè favorabilis provisionis Imperii, adeoque contra verba indefinita Bullæ Carolinæ ac mentem verosimilem ex contextu apparentem minimè restringendus ad certa negotia expressa, quibus Legislator nullam notam exclusivam adjecit; quæsiverim enim, si Imperium exposceret publicam defensionem, ac circuli officium non facerent, an Respublica nostra in interregno omni Vicariorum sollicitudine privari deberet; & quid, si res monetaria remedium efflagitaret præsens, quid, si cursus publicus vel jus postarum subortâ per provincias confusione? Sc. in his & similibus, juxta hypothesin Limnæanam, quia non expressis verbis per Bullam commissa sunt, negaremus, Vicarios Reipublicæ, conciliis & auxiliis loco Imperatoris interim prodesse posse in terris Vicariatus, quos tamen & cura provisoria hisce casibus expressè non exclusa admoneret officii, & necessitas evitandi damni invitaret? Minimè,

255 (gimus), 256 (tas alienandi), 257 (non intellexerit), 258 (cam defensionem), 259 (interim prodesse)

ſed potius clauſula excluſiva Limnæo ſubintellecta excludenda eſt, Vicariisque interregibus aut proregibus lege permitti exiſtimandum, ut agant, quod è Republicâ vel ad ſalutem aut utilitatem Imperii proficuum judicaverint. Quibus ita
260 deductis probabiliter ſaltem conſtare arbitror, nec Limnæo ſatis cauſæ fuiſſe, cur generalem proviſionem Imperii Vicariis negaret, nec Sinoldo, cur extenderet indiſcriminatim ad omnia jura Cæſarea, quanquam in interregno ad Reipublicæ ſalutem vel utilitatem forſan haud pertinerent, & ſic extra ſcopum vicariæ proviſionis Imperii eſſent conſtituta. Neque
261 tamen hæc ita reſtringi putarem, quin ea, quæ Statibus ſuo modo communicata ſunt, velut arrogationes, legitimationes, conceſſiones veniæ ætatis, & ſimilia, cum exercitium juſtitiæ ex inſtantiâ implorantium velut in voluntariis actibus quodammodo reſpiciant. Vicariis jure proviſionis Imperii competere cenſeam, à quibus diverſa ratio eſt inſigniorum, quorum ſuprà facta eſt in exemplis mentio, reſervatorum. Sed de his hactenus: progredior ad ultimum punctum hujus tituli,
262 videlicet ad alienationem rerum Imperii, ea in verbis textus *d. tit. 5. §. 1. verſ. ipſe tamen Comes.* Vicario prorſus legitur interdicta, quâ de re ita Limnæus ſcribit *tom. 5. jur. publ. in add. ad lib. 3. cap. 12. num.* 40. *Nec opus fuiſſet addere quicquam de prohibitâ alienatione vel obligatione rerum Imperialium, cum ne quidem Imperator ipſe hic manus habeat liberas*; atque adeò putat, ſuperfluam eſſe interdictionem alienationis rerum Imperii in Aureâ Bullâ factam, cum nec Imperatoris liberæ diſpoſitioni ſit permiſſa. Sed vix eſt, ut huic ſententiæ calculum adjiciamus, quoniam ætate Caroli Quarti adhuc permiſſas fuiſſe alienationes rerum Imperii, docent ipſius & aliorum Imperatorum exempla; quanquam enim ex Conringio referat Limnæus ad Cap. Ferd. IV.
263 verb. gemeldter Churfürſten ſämptlich, fuiſſe antiquitus

etiam

etiam id genus alienationes prohibitas, quæ assertio quodammodo congruit formulæ juramenti Imperatorum exhibitæ in *Spec. Suev. cap.* wie der König dem Reich schweret. 21. ubi inter capitula hujus juramenti refertur, ne Rex Romanus bona Imperii minuat, quòd certè per alienationem fieri videtur, arg. *l. 6. pr. ff. quæ in fraud. cred.* du- 264
bitandum tamen non est, ante Capitulationem Caroli Quinti, Imperatoribus alienationes rerum Imperii, si forsan non omnes fuerint permissæ, certè non omnes fuisse prohibitas, Caroli Quarti auctoritate utique factum, ut Delphinatus juris Imperii esse desineret, & Galliæ Regno acquireretur; sic vectigalia Rheni, quæ ju- 265
ris Imperii fuerunt, Palatino Electori tunc temporis acquisita referunt, constatque, diversas Imperii urbes variis casibus Cæsarea auctoritate fuisse oppignoratas, in quibus hodienum Oppenhemium & Gelnhusa recensentur: 266
itaque quod de prohibita ipsimet Imperatori alienatione dicitur, referri non debet ad Caroli Quarti tempora, quibus usu ipso contrarium constat, ut non ex vano videatur fuisse prohibitio alienationis Vicariis facta, quando extra hanc creditam fuisset, alienationem, si non omnem, aliquam saltem, fortè oppignorationem rerum Imperii Vicariæ potestati esse permissam.
Hodiè in alienatione rerum Imperii, haud diffiteor Or- 267
dinum consensum necessarium, si ipse Imperator alienet, idque suadent novissima pacificationis Germanicæ documenta & exempla. Vicarios verò quà tales non habere alienandi potestatem textus Aureæ Bullæ *d. tit.* 5. & §. 1. demonstrat, quæ dispositio nec hodiè corre- 268
cta vel mutata apparet, sed loquitur Bulla de potestate Vicarii per se non de universi Imperii consensu; quid ergò, si in interregno talis casus contingeret, numquid di-

cemus, Vicarios saltem cæterorum Ordinum consensu alienare res Imperii posse? Haud posse diceres, quòd potestas alienandi iisdem penitus sit interdicta *d.* §. 1. un-
269 de non magis de Vicario quærendum, possitne res aliquas vel terras ad Imperium pertinentes alienare consensu universorum Ordinum, quàm de quolibet alio Imperii Principe; planè diversa quæstio est, an id possint ex causa necessitatis Reip. vel insignis ac manifestæ utilitatis ejusdem, quæ ad alienationem eâ specie requiri solet; sed
270 ne tunc quidem Hugo Grotius concedit Regi vel populo alienationem partium Regni aut Imperii, *lib. 2. de jur. bell. & pac. c. 6. §. 4. & sequ.* quam sententiam impugnavi in *Synops. jur. gent. cap. 30. num. 26. & sequ.*
271 Difficilius certè est admittere regno vacante ex parte Ordinum alienationem partium, quàm respectu Regis aut populi liberi, quia prior casus similis vulgò censetur alienationi sine tutoris auctoritate factæ, ac tenentur Ordines & in Imperio nostro tempore interregni Electores ex præscripto legis eligere caput; igitur magis est, ut acceleretur electio, quò deinceps & Regis electi & Ordinum consensu negotium alienationis ritè pro-
272 cedat; quòdsi tam urgens immineret necessitas, ut moram etiam acceleratæ electionis excluderet, quin Ordinibus, in quos interim cura Reipublicæ recidit, pro suâ erga Imperium juratâ fide, alienare quædam, ut cæte-
273 ra serventur, liceat, haud est, cur negemus; ubi tamen pòst electi Regis vel Imperatoris confirmatio addenda; sed de his satis, cùm hîc non de corpore Ordinum, sed Vicariorum jure, sermo sit. Certè, uti aliàs, quando alienatio lege prohibetur, per consequentiam servitus, pignoris nexus, ususfructus, emphyteusis prohibita apparent *l. fin. C. de reb. al. non alien.* Sic Bulla Carolina Vicariis *d. tit.*

tit. 5. & §. 1. in fin. generaliter interdixit *omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium,* ut quicquid alienationis vocabulo jure comprehenditur, Vicariæ potestati circa res Imperii in interregno interdictum constet,
& consequenter etiam in quæstione de feudis Imperio aper- 274
tis, num à Vicariis denuò conferri possint, idem sentiendum videatur; est enim feudi concessio species alienationis, sc. quoad dominium utile, & cum alienationis prohibitio includat etiam prohibitionem ususfructus, *d. l. fin. de reb. alien. non alien.* certè non minus, sed magis inferet interdictionem concessionis in feudum, tùm quòd feudum dicatur ususfructus, *2. F. 23.* tùm quòd jus vasalli longè firmius & majus sit jure simplicis usufructuarii, *Struv. in syntagm. jur. feud. cap. 2. aphor. 3. num. 3. & 4.* itaque licet 275
exempla nonnulla in contrarium allegentur concessionis novæ feudorum Imperio apertorum ab auctore des kurtzen Berichts von des Heil. Röm. Reichs der Churfürstl. Pfaltz zustehenden Vicariats, qui pag. 17. refert, Pfaltzgraf Ruprecht, als Vicarius, habe Johannsen von Schachtolsheim, Rittern, mit dem Burglehen zu Ehenheim, so dem Heil. Reich von Peter Bogers von Geißspoltzheim wegen ledig worden, belehnt, Anno 1355. fer. 3. ante festum corporis Christi, & pag. 26. aliud exemplum addit, puta: Ludovicus Palatinus, als Vicarius, habe D. Bernhard Wormsern von Schaffelsheim ein dem Heil. Reich heimgefallen Lehen von 24. Pf. Golds von neuem zu Lehen angesatzt, Samstags nach Exaudi Anno 1529. Item: daß Pfaltzgraf Ruprecht als Vicarius Anno 1355. dem Abt zu Reinstein und seinem Gottes-Hauß 13. Malter ewigen Gülte zu Bussisheim in dem Dorff bey Zell von des Heil. Reichs wegen zu rechten Burglehen angesetzt, *d. Auctor. l.c.* tamen hæc, & si quæ sunt si- 276
milia

milia exempla, rectè impugnat Limnæus *dict. tit. 5. §. 1. obs.* 14. tùm quòd adversentur Bullæ Carolinæ ex prohibitâ omnigenâ alienatione rerum Imperii, tùm etiam, quòd feudistarum receptæ regulæ reluctentur, quâ administratores meros feuda in rebus alienis, quarum administrationem tantùm habent, de novo constituere non posse, tradunt *Zas. de feud. pag. 5. num. 40. Vult. de feud. lib. 1. cap. 3. num. 2. cum alleg.* Verum Limnæus hac ipsâ regulâ juris feudalis receptâ argumentum contra se adstruit in quæstione potestatis Cæsareæ; Imperator enim potest feuda Imperio aperta de novo conferre, licèt id hodiè per leges Capitulationum fiat cum consensu Electorum *Cap. Leop. art.* 30. *&* 32. Ergo non est merus administrator, sed dominus directus feudorum Imperii, ut suprà *tit.* 12. deductum est. Atque hæc de Vicariis Imperii, qui, quamvis non sint Imperatores, cum tamen vice Cæsareâ fungantur, sub jure publico Cæsareo comprehensi sunt, dicta sufficiant.

SOLI DEO SEMPITERNA GLORIA.



INDEX



INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

Circuli

Colla-

D.

E.

rum

Fisco

I.

N.

O.

Præfecti

Privile-

R.

Regis

V.

Camera

sus

FINIS.



